


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [1] - -


PUBLIC DOMAIN

[T-A 468] Leibn. Marg. 210:1

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [2] - -

PUBLIC DOMAIN




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [3] - -

PUBLIC DOMAIN

Suarez laudatus p. 9. p. 33
Hon. Fabritius p. 15
Indices, judex Synodi p. 13. p. 25. p. 195
probabilius tenere posse aliquid ad consilium non praecepto p. 22
Historia opinionis de absolutione per epistolam p. 32
parvulos posse salvos fieri sacramento lotus naturae cum
baptizari nequeunt ex Campanella et Lugo p. 49
De auctoritate cathedrae Petri Romani p. 57
De restrictionibus mentalibus p. 84
Tamburinus alios copiose refellat p. 91
Nominale posse sacramentum p. 101
ignorantia juris naturalis invincibilis an detur p. 108
habitualium gradus p. 130
In optimo in arbitrio voluntatis p. 177
Ockamus non eligit inter sententiam patrum Thom. p. 179
Caramuel pro Lutheranis p. 205
Bellarminus Archiepiscopatui Capuano renuntiat p. 344
De Dispensatore in voto solenni p. 348
primus probabilista Medina, p. 405. et Armilla p. 406.
13 Sophisma S. Margaritae p. 411
Lectiones aliquando rigide p. 412
in ordinationes graecorum legitima p. 418




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [5] - -

PUBLIC DOMAIN

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [6] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [7] - -

PUBLIC DOMAIN

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [8] - -
PUBLIC DOMAIN

THEOLOGIA MORALIS,

ADVERSVS

LAXIORES PROBABILISTAS,

PARS PRIOR

VERA MENS D. THOMÆ ET eius Scholæ, de opinionum ex Lege delectu vt qualibet re Morali explicata & defensa.

ADVERSVS

D. CARAMVELIS APOLOGEMA IN D. Fagnanum: Anonymi nodos in P. Mercorum: Theophili Raynaudi exceptionem, & Amadæi Guimenij tractatus quindecim.


Authore R. P. VINCENTIO BARONIO, Ordinis Prædicatorum, Conuentus Tolosani S. Thomæ Aquinatis, strictioris Obseruantiæ.

PARISIIS,
Sumptibus SIMEONIS PIGET, viâ Iacobæâ ad insigne Prudentiæ.

M. DC. LXV.

Cum Priuilegio Regis, & Approbatione Doctorum.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [9] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [10] - -

PUBLIC DOMAIN

SERENISSIMO

REGIÆ STIRPIS PRINCIPI

ARMANDO BORBONIO

PRINCIPI DE CONTY

PARI FRANCIÆ,

OCCITANIÆ PROREGI.

HAS *pro lege, & pro canâ veritate ac doctrinâ antiquâ, pro moribus Eccleſiæ purioris ætatis, noſtrâ inſtaurandis, diſſertationes grauiſſimas, quamuis ingenij mei tenuitate detritas, te boni conſulturum, & habiturum acceptas, hoc nomine, & argumento certiſſimus ſum,* PRINCEPS SERENISSIME, *quod iam præcipua, ac pene*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [11] - -
PUBLIC DOMAIN

vna tibi sit rerum quas propugno cura: tibique ex solâ lege antiquis Christianorum moribus viuendum, & vni à Scripturâ haustæ, & Traditione Patrum receptæ doctrinæ adhærendum, jamdiu indixeris; & summis votis, ac totis viribus contendas, vt omnes ad salutem, hâc tutissimâ viâ grassentur. Quare tuo accensus, ac confisus studio, ad virtutem & bonam mentem, & subinde meæ oblitus infirmitatis, & imperitiæ, nihil dubito, meum de lege & antiqua doctrina, aduersus laxitates aut nouitates opinionum tutanda, susceptum opus & consilium, eo te animo accepturum, quo Deus obsequia nostra grata habet; quibus licet longe imparibus, suo in nos iuri seruando, patitur nos, nedum sua, sed etiam seipsum demereri.

Ea namque inexhaustæ bonitatis Dei ratio, & nimiæ, *vt loquitur Paulus, vis est* charitatis, *vt nostri, non sui causa, atque vt nobis bene sit, suas leges sanciat, nec suam gloriam patiatur solitariam esse, sed omnium*

noſtrum ſaluti, & vtilitati indiuiduam eſſe velit, & quidquid in illius cultum & honorem impendimus, in noſtrum bonum refundat. Bonitatis diuinæ abſolutiſſimum exemplum imitandum tibi ſumpſiſti, PRINCEPS SERENISSIME, *quaſi tibi vni illud Euangelij verbum ſcriptum eſſet,* Eſtote perfecti ſicut Pater veſter Cœleſtis perfectus eſt. *Et quæ tuis Natalibus, ac majori Regia ſtirpe virtuti Chriſtianæ debentur officia, miro genere bonitatis, diuinæ non diſſimilis, eo tantum conſilio pateris exhiberi, quod in majus colentium te bonum, & decus, quam in tuum, & in ipſius tandem veritatis, ac virtutis commendationem redundatura ſint. Id etiam omnem à me timorem, & penè pudorem depulit, quem audaciſſimo cuique poſſet ingerere tua dignitas, & par eruditio, niſi humanitas & pietas accederet, vtriuſque dotis temperamentum, recreatura quos illæ deterrerent. Ad ſummam Reipublicæ felicitatem, optabant Sapientes, magis quam ſperarent, Principem*

Philoſophum : ſed illorum vota videtur noſtra felicitas ſuperare : diuino munere contigit nobis è Regia ſtirpe Princeps Theologus, qui diſciplinam, quâ à puero imbutus eſt, non oſtentationem ſcientiæ, *vt loquitur Tullius*, ſed vitæ legem *putat, & ab ea vel minimum receſſiſſe, quaſi piaculum exhorreſcit. Atque hæc eſt præcipua mei conſilij ratio. Quamuis enim more receptum ſciam, litterarum patrocinium ambiri à viris Principibus, qui litteras magis ament quàm calleant, exemplo non diſſimili Eccleſiaſticæ poteſtatis, cuius vindices agunt, licet ab ea ſibi vindicanda religioſe abſtineant. Sed quis neget munera litteraria, & ſacra deberi magis, aut conuenientius dari Principibus, qui natalium juri merita adiunxere, & rerum diuinarum, humanarumque peritiam, morum ſanctimonia auctam, cumulatamque. Et hoc ſingulariſſimum eſt noſtris diſſertationibus pro lege, & antiqua doctrina præſidium. Amorem ferunt ſua indole cæcum, & hoc malum auget, ſi res quibus videtur affici,*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [14] - -
PUBLIC DOMAIN

ignoret, & propugnet suo studio, alieno iudicio. At Tibi, PRINCEPS SERENISSIME, summum in scientias imperium, earumque patrocinium, comparauit præter congenitam tibi potentiam, & ingenij præstantiam, rerum sacrarum incredibilis ardor, & nihilo minor recondita & inexhausta eruditio, atque his omnibus maior vitæ Christianæ ad seueriorem legis sensum institutio. Et hoc vno exemplo & præsidio tutus esse possum, & intactus à telo, atque argumento, quod aduersarij hactenus putarunt ineluctabile. Id enim millies obiiciunt, qui probabilioris pro lege opinionis delectum docent, præcipere inconcessa hominibus, quæ vires nostras superent, quæ optare magis liceat, quam sperare, imponi iugum hominibus, cui Angeli succumbant: denique Hæresis suspectos, aut compertos esse, qui sic pro lege pugnent, & ex illa vna omnes viuere velint. Multis hanc accusationem eleuare conati sumus; sed vix nobis, nulla verò ratione aduersariis satisfieret, nisi adesses, SERENISSIME

PRINCEPS, *noſtro ſæculo datus, ne deeſſet exemplum, aut conuitium: & vt demonſtrares falsò cauſari plurimos, quæ totis his diſſertationibus docentur, ſcribi poſſe, non impleri; cum contra ſtet probe inſtituta, & à multis annis à te ſeruata, longe exactius, & ſeuerius vita Chriſtiana, quam fuerit hactenus à Theologorum rigidiſsimis præſcripta: vt omni demonſtratione euidentius palam fiat, quem tutioris ſententiæ, pro lege delectum propugnauimus ad ſalutem neceſſarium, nedum grauem aut impoſsibilem, ſed facillimum & ſuauiſsimum eſſe; nec* audere ſequi homines, quod difficilis ſit, ſed difficilem euaſiſſe, quod aggredi & ſequi non audeant *nec velint. Gratulor noſtro ſæculo tantum bonum & meis hiſce diſſertationibus tantum præſidium ab hoc tuo exemplo eſſe comparatum.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [16] - -
PUBLIC DOMAIN

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

CVM legis Euangelicæ ratio, & fidei ſumma credendis, & agendis conſtet, ex quibus ſperanda bona exiſtunt, quæ fides nos docet, quæ charitatis, aliarumque virtutum merito conſequimur; Id vnum totis viribus humani generis, & nominis Chriſtiani teterrimus hoſtis Dæmon, variis & nouis artibus quotidie tentat & enititur, vt hunc Eccleſiæ à Deo creditum theſaurum diripiat, & receptæ à Chriſto, atque ad nos vſque deriuatæ doctrinæ ſucceſſionem intercidat, & corrumpat puritatem. Et quamuis ab illius inſidiis, & conatibus ſe Sponſam ſuam ſeruaturum Chriſtus promiſerit; vult tamen nos ſollicitos eſſe arcendis periculis, quæ eo propiùs & grauiora impendent, quod nedum extranei à fide, hanc doctrinæ corruptelam erroribus&

affectibus peſſimis, & apertè damnatis, ſed etiam domeſtici, opinionibus veriſſimilibus moliantur: incerta & nupera velint perpetuę Traditionis vim habere; ſua reſponſa, vt, Oracula diuina venditent: & ſententias, ſin apertè falſas, ad minus incertas, & purè humanas, diuinis dogmatibus eſſe accenſendas contendant. Non minus fides incerti, & nouitatis impatiens eſt, quàm falſi neſcia: quia vni Deo auſcultat, à quo nonniſi diuina, & indubitata excipit: quibus proinde ſi aſſenſum certum neges, aut tantum præbeas probabilem, iniuriam facis Deo, & omninò à fide cadis. Illius excidium, aut periculum auertere non admodum difficile eſt, ſi ab hæreticis & apertis hoſtibus impetatur, falſis, & impiis dogmatibus, quę receptæ omnium conſenſu veritati aduerſantur, quæ improbitati, & vitiis patrocinantur: quia quod important, longè antè denunciant malum, vix ſine horrore audiuntur, neque aliis nocent, quàm quibus perire libet. Sed quis timeat ſibi à veneno, quod ita occultum eſt, vt ipſos etiam lateat qui propinant, & fecere; & putent ſe generi humano remedium ſalutis paraſſe?

Ità ſanè mentem illorum quibuſcum ſum diſputaturus, interpretor. Abſit, vt mihi perſuadeam, vel etiam ſuſpicer, illos

sue fraudis conscios, & Architectos, velle homines in laqueos, & insidias inducere: Iurare ausim alienissimos esse ab huiusmodi consiliis: Quis enim ista credat de viris, qui nedum speciem pietatis habent, sed eius etiam veritatis tenacissimi videri volunt? Quæcumque ergo deceptio obrepsit, priùs magistrorum, quam discipulorum animos occupauit; nec nisi decepti, alios deciperent. Quare à meditatâ fraude in totum vindico; bono etiam animo, quæ sentiunt eos docere, & scribere, facile adducor vt credam: an vero ab omni culpâ sint immunes, quod conuenientia pro necessariis, quod probabilia pro certissimis & tutissimis, velint nos habere, nihil ausim statuere, penes Deum sit huius rei, apud me periculosissimæ, certum iudicium.

Indè tantum obseruo, sententiam, quæ multos ex antiquis & recentioribus Scholasticis assertores habet, atque ab eâ multi sanctorum Patrum videntur propiùs abesse, quæ inuincibilem ignorantiam iuris naturalis in peccatum imputat; non immerito illis authoribus displicere, & haberi pro compertâ hæresi: nam si apud Deum obtineret, omnino actum esset de illorum salute, qui dubiis aut probabilibus omnimodam certitudinem vindicant, & pollicentur securita-

tem, iis qui se duces & magistros sequi voluerint: eoque diuino iudicio, & damnationi oportuniores videntur, quod plures habeant dubitandi rationes; nec possit censeri ignorantia inuincibilis, cui curandæ & arcendæ, cum illi parti fauet, vnde periculum peccati impendet, dubitationes aliquæ subortæ, animum pulsant, & vellicant. Sanè mihi magis certa, quam dubia mens est, huiusmodi defensiones apud Deum periculosum exitum habituras. Vnde ita comparatus sum, vt huius diuini iudicij alea, & incerto euentu nolim, nedùm Dianæ, Caramuelis, aliorumque illius Ordinis scriptorum, partam nominis celebritatem, & eruditionis famam, sed neque etiam totius orbis imperium redimere vellem. *Quid enim prodesset vniuersum mundum lucrari, si tuæ salutis detrimentum patiaris?*

Neque ad ista nobis reponas, hic de moralibus & de agendis disputari; à quibus cùm longissime absit, neque comparari queat euidentia & certitudo Metaphysica, importuni sit hominis, & morosi, moralem reiicere, quæ aliquid formidinis admittat. Nam quod ad excusandum præceps illud iudicium affers, Moralis & Theoricæ disciplinæ discrimen, id planè culpam grauat, & omnem amouet apud Deum iustam defensionem.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [20] - -
PUBLIC DOMAIN

In his quæ ad disciplinas Theoricas, & ad speculatiuam fidei partem attinent, quamuis oporteat semper cautè & religiosè agere, nec liceat vnquam ità suis affectibus, & opinionibus quamlibet in speciem piis indulgere; vt ratiocinia, & testimonia humana sufficias verbo Dei, quod est vna *sperandarum rerum substantia, & argumentum non apparentium*: tamen si quando abreptus animus pio, & ardenti in res diuinas affectu, deductas à principiis reuelatis conclusiones, pro fidei articulis, aut inde probabiliter illatas, pro necessariis & indubitatis habeat, id vtcumque excusari potest: quod res ad Theoriam pertineant, vbi nullum intercurrit, aut permiscetur vitæ humanæ, & Christianæ officium, quod instet implendum, aut violari queat. At si tota sit de charitatis, & iustitiæ partibus contentio, si de vnâ salute, & de agendis consulas & statuas; qua ratione violandi officij periculum euades, si minus probabilia secteris, si propiora falso, & peccato, & à vero, atque officio remotiora?

Non dubito quin Deus multorum errores excusaturus sit, imò (vt ita dicam) fortè boni consulturus, qui ad vitam probè instituendam non fuere impedimento, imò interdum ad bonam mentem aliquid contulerunt: nos etiam, qui probabilium opi-

nionum ad mores ſpectantium, intrà certos tutiorum fines cohibemus, illarum, quæ ad diſputandum magis, quam ad viuendum inſeruiunt, cuiuſque arbitrio aſſenſum permittimus: quia ex illo libero delectu, nullum imminet periculum æquitati, aliiſque vitæ humanæ officiis. Alia eſt ergo opinionum ad mores componendos, alia earum, quæ rerum naturam & cauſas inquirunt ratio; vt iſtarum arbitrarius poſſit eſſe delectus, citrà noxam ſalutis & honeſti: ex illis vero ſecteris oporteat, quæ ſtent pro ſalute & officio.

Atque hoc nomine ferendi vtcumque videntur Sociniani alias hæreticorum vti poſtremi, ità deterrimi ex Caluiniſtis orti, ſicut Caluiniſtæ ex Lutheranis, ideſt, ex peſſimis parentibus filij longe peiores, quos merito vocare poſſis omnium hæreſeon colluuiem. Quamuis enim ingenio laxarint habenas, & omnia fidei myſteria ad humanæ mentis captum metiantur, & quæcumque creditu difficilia Euangelium nos docet, complanarint: Trinitatem, ſeu tres vna diuinitate conſubſtantiales perſonas tollant cum Arrianis, perſonam in Chriſto ſicut naturas cum Neſtorio diuidant, neceſſitatem gratiæ efficacis negent cum Pelagio, vt humanæ libertati conſulant, Euchariſtiam ſignum Chriſti

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [22] - -
PUBLIC DOMAIN

corpore vacuum cum Sacramentariis esse velint, denique ità fidem rationi subiiciant, vt nihil opus sit ad illius obsequium isti vim vllam inferre: longè tamen arctius voluntatem diuinis præceptis ligant & addicunt, quam mentem assensui mysteriorum, quem penè arbitrarium esse permittunt, citrà vllum salutis periculum, dummodò sis legis diuinæ obseruantissimus.

Pessimum errorem verisimili hoc argumento confirmant; Quidquid in nos cognitionis à Patre luminum deriuatur, totum ad vitam ex vsu pietateque nominis Christiani componendam, collatum, & ordinatum est; Ergo licet à vero aberret animus, non tamen excidet à fine, neque à salute, si sana sit voluntas, & bonis moribus imbuta. Veritas rerum & mysteriorum in profundissimo naturæ, & Scripturæ puteo latet, vnde vix eam haurias, neque vllis mortalium se visendam, ac fruendam præbet, nisi ex parte, nisi in ænigmate, & per speciem; probitas verò omnibus obuia est, nulli se denegat, neminem dedignatur: hanc si assequaris, etiamsi cætera desint, in tuto eris, quia ex moribus & operibus iudicaberis, non ex opinionibus, nisi obsint probitati. Huic ergò vni studendum est, nec curandæ opiniones, nisi vt conferunt ad morum sanctitatem, & inno-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [23] - -
PUBLIC DOMAIN

centiam, & quæ ad illam tutius, & efficacius conducunt, ſemper eligendæ ſunt. Ita hæreticorum peſſimi & periculoſiſſimi, ſed in hoc ſanè non improbandi; quod illis antiquior ſit vitæ innocentia, quam veritatis indagatio, & arctius voluntatem cenſeant præceptis, quam mentem myſteriorum fidei obſequio alligandam.

Æquitatis & humanitatis ratio iubet, in hoſtibus bona, ſi quæ inſint, à vitiis ſecernere, eaque probare, aut etiam imitari, ſi nobis conueniant. Sociniani Lutheri nepotes, & filii Caluini, ſuis progenitoribus longè deteriores, exemplo ſint & argumento, quo tandem deducant contemptus Traditionis, & priuatus ſenſus Scripturæ interpres; quæ duo ſunt communia huius ſæculi hæreticis, ab omnium parente Luthero repetita principia; quæ tandem in religionis excidium deſinunt, & in omnem impietatem dant præcipites. Sed ſi liceat ſepoſitis, & damnatis malis, quæ bona habent laudare & æmulari: vellem Catholicorum plures, ea quâ Sociniani ſolent, reuerentia, illam Euangelij partem, quæ præcepta continet, proſequerentur: Ne dum ſibi in illis interpretandis permittunt, quam illi vſurpant de fidei myſteriis diſputandi, & ſtatuendi ex proprio ſenſu, inconſultis, & interdùm reclamantibus antiquis

quis Patribus licẽtiam & authoritatẽ, eadem præceptis, quę mysteriis pernicies contingat, atque ita disquisitionis vtrorumque liberioris, vnus sit fructus, nempe, vt cum mysteriorum veritate legis vis, & authoritas, & subinde tota religio funditus pereat.

Nec dicas, quod timeo & denuntio malum, commentitium esse, & longè abesse à mente eorum scriptorum, quos videor sugillare, quasi arbitrarios legis diuinę Interpretes, ac veluti peremptores; quia Theologiam Moralem longè accuratius, quam antiqui Patres & Theologi tractarunt, & præcepta diuina diligentissimè expenderuut; non vt illis quidquam detrahant virium & authoritatis; sed vt graui onere oppressos homines leuent, & solentur, illudque Christi verbum impleant, *Iugum enim meum suaue est*: denique vt peccata minuant, eaque tollant in quę incurrunt homines, dum falso (id est iuxta eorum mentem) dum probabiliter putant se peccare: quod enim Boëtius aliquo consolationis Philosophię loco, de rebus aduersis acutè dixit, adeò nihil graue est, nisi dum putas, ad peccata volunt pertinere: vt si semel dubitationem, vel probabilem, aut si velis etiam probabiliorem, de peccato impendente opinionem tollas, omnem reatum,

omne peccati periculum certissimè auferri.

Sed si ea defensio à bono animo, & studio ad religionem, & animarum salutem & tranquillitatem promouendam repetita, legitima sit, certè non est defutura Soncinianis: causabuntur enim, non sine aliquâ similitudine veri, se ægerrimè ferrè Ecclesię portionem, comparatam Mahumetanis, Ethnicis, aliisque sectis quę orbem occupant & partiuntur, esse omnium minimam, quam tamen maximam & vnicam esse oporteret, cum penes ipsam solam sit legitimus Dei cultus, & certa ad salutem via: si errores semoueantur, & ad verum sensum à Christo, & ab Apostolis reuocetur, eam esse vim Moralis Christianæ, vt omnium hominum, quibus denuntiata fuerit, animos rapere possit: vnum esse impedimentum, quod à professione adeò sanctâ deterreat, nempè, quæ de Trinitate, de Incarnatione, Eucharistia incredibilia traduntur, quæ addita posterioribus seculis, Christi, & Apostolorum prędicationi ac libris sanctis esse blasphemant; & si amoueantur, breui totum mundum fore Christianum. Certè, quas isti obtendunt, de mysteriis benignius ad captum rationis humanæ explicandis, causę, non magis à veri specie videntur abhorrere, quam illæ quibus Casuistæ recentiores se se

tũtantur in præceptis diuinis benignioribus vt vocant, id est, laxioribus interpretationibus, explicandis, aut potius eneruandis, & corrumpendis.

Sed quis non miretur, quod ad superiora consequitur? Cum tot præiudiciis huiusmodi Doctorum opiniones & laxiori, & penè arbitrariâ diuinę legis interpretatione haustę, laborent; vt merito, sin apertè falsas, ad minus incertas, & periculosas dixeris; illas tamen adeo adament & deperean t, vt velint pro indubitatis haberi, ac penè inter fidei articulos reponant, ad illas, vt ad certam regulam, Summos Pontifices decreta, & sanctiones putent exigere: & si quis contra reclamet, & audeat verbum hiscere, hæresis suspectum, & Ianseniſmi cõpertum pronuntient. Ego sanè non ita sum meticulosus, vt istas vociferationes morer; vel huiusmodi vanis, & vagis accusationibus terrear: non sum etiam adeò morosus, & iniquus Censor, vt improbem studia recentiorum Theologorum, qui toti sunt in promouendâ pietate, & nouis inuentis adornandâ, qui continuò luctantur cum difficultatibus, quibus res fidei, & fidelium salus implicantur; vt aliquam mysteriis obscurissimis lucem conferant, & oppressos hominum animos leuent aut confirment. Quid verò dis-

plicet ex illo honestissimo ab huius sæculi Theologis labore, ad res fidei confirmandas, & legem diuinam illustrandam susceptо, cum sapientia diuina dicat, *Qui me elucidant, vitam æternam habebunt?*

Illorum consilia, & conatus maximè laudo: vnus est, quem probare nequeo, quo nonnulli illorum flagrare videntur suarum cogitationum & opinionum tantus, adeoque exęstuans amor, vt illis enitantur fidei articulorum authoritatem asserere, quamuis nec Ecclesiæ Traditione, nec verbo Dei probent, idque hoc putant ratione se assecuturos, si sua priuata sensa opportunè, importunè ingerant omnibus, & longè latéque scriptis, lectionibus, colloquiis spargant; & tum, quasi victoriam manu prensantes, hoc argumento triumphant, id apud omnes Catholicos in confesso est, quod communi fidelium consensu receptum fuerit per totam Ecclesiam, & Pontificis ex Cathedrâ definientis decreto confirmatum, fide diuinâ credendum esse: atque, inquiunt, præsens Ecclesia toto orbe diffusa, paucis, aut nullis reclamantibus, admittere potest aliquid, quod superioribus seculis ignotum fuerit, qualis est hæc, quam passim docent omnes, regula; nempe ad honestatem actionis humanę, ad securitatem salutis, suffice-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [28] - -
PUBLIC DOMAIN

re quamcumque opinionem probabilem, ab vno Doctore classico inductam, aliis reclamantibus & tacentibus, cui si adhęreat fidelis, nequeat illi Confessarius citra peccatum mortale absolutionem negare. Deinde hęc regula in fidei articulum abibit, quamuis nullum in Scripturâ, & Traditione verbũ extet, quo contineatur: quamuis omnes antiqui Patres & Theologi reclament; & quisquis hodie ab illâ ausus fuerit discedere, in hæresim incurret, Ianseniſta fiet. Hoc vno syllogismo complexus sum omnia rationum momenta, quibus recentiores Theologi nouam definitionem vrgent, & se aliquando à summo Pontifice obtenturos sperant: immò quidam se iam obtinuisse gloriantur.

Nisi ad controuersiam nostram de probabilitatis vsu spectaret, hæc, quæ superiori argumento insinuata est, grauissima disputatio de rerum definibilitate, omninò prætermitterem, nec eam est animus pro dignitate rei tractare: paucis tantùm deliba bo, quantùm patitur breuitas Præfationis. Imprimis ridiculus essem, si hoc argumento, quod passim ingerunt Caramuel, Stubrochius, & alii commouerer, quasi perterrefactus, aliqua huius generis in scholam nostram definitione, cuius nullum exstare contendo exem-

plum: atque ad hoc certamen magna fiducia, & ſpe victorię prouoco aduerſarios. Proferant mihi ex Bellarmino, aliiſque huius ſæculi, aut antiquis controuerſiarum ſcriptoribus, vel vnum locum, vbi contra hæreticos apodicticè concludatur, ex conſenſu præſentis Eccleſiæ generali, aut decreto recenti Pontificum de re fide credenda, quam ſcriptura & traditio tacuerint, quam præteriti Pontifices ignorarint, vel etiam improbarint. Nunquam legi Bellarminum hoc genere argumentorum vſum fuiſſe: & ſi his armis pugnaret cum hæreticis, quis non videat nos eſſe vincendos? Vna re ſuperiores ſumus, quod nominemur Catholici & Apoſtolici, & reipſa ſimus; idque cognatione, ſeu (vt ita loquar) cum ſuperioribus omnium ætatum Eccleſiæ filiis, conſanguinitate doctrinæ à Chriſto per Apoſtolos, in omnes Chriſtiani orbis partes continua Paſtorum, ac temporum ſerie ad nos vſque deriuata. Hanc Conciliorum Oecumenicorum, hanc ſummorum Pontificum decreta confirmant, atque iſtud certiſſimè pronuntio, in eam tantum materiam cadere, & caſura eſſe quæcumque hactenùs prodiere ex Cathedra, aut proditura ſunt impoſterum decreta Conciliorum & Pontificia.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [30] - -
PUBLIC DOMAIN

Quare illis nunquam assentiar, qui nupera inuenta quamlibet pia & probabilia, à duobus aut tribus seculis cusa, superioribus verò ignota & inaudita, contendunt posse in fidei dogmata paria antiquis, à Christo perpetua traditionis serie receptis, etiamnum hodiè sanciri; hoc enim longè magis à vero alienum censeo, quam si quis Apostolica authoritate inductum Quadragesimale ieiunium, velit noua sanctione Ecclesiæ posse prouehi ad ordinem legum diuinarum; cum prima sua institutione, quæ immutari nequit maiori ab Ecclesia additione facta, pertineat ad Apostolicas leges, diuinis longè inferiores, & toto genere diuersas: aut si quis censeret aquam Benedictam, primo Ecclesiæ sæculo, inter sacramentalia repositam, Pontificum, aut Apostolorum authoritate, posse in octauum Sacramentum transferri. Certè nihil fidei dogmata legibus diuinis, & sacramentis decedunt; & cum eiusdem sint originis, institutionis, & authoritatis diuinæ; sicut Apostoli, & summi Pontifices habent à Christo facultatem interpretandi præcepta diuina, non condendi, administrandi sacramenta, non instituendi; ita de dogmatibus statuendum, vt non magis noua condant, quam sacramenta, aut præcepta diuina, sed antiqua velut è tenebris eruant, & inter-

pretentur, & aduersus proteruos sanciant & defendant.

Nec magis placent quidam Theologi, quibus dum minimè satisfaciunt, quæ DD. Aug. & Thomas aliique patres scripta reliquerunt aduersus hæreticos, noua in illos arma expediunt, & adeò diuersis responsionibus & argumentis disputant, ab iis quibus Ecclesia hactenùs pugnauerat, & credebatur vicisse, vt Albertus Pighius, Claudius Santesius, Molina, Petauius, aliique plures non dissimulent (neque vllus negare possit, nisi rudis & ignarus controuersiarum de gratia & libero arbitrio) cum Pelagianis & Semipelagianis ita consentire, vt istorum argumenta pro Augustini solutionibus habeant, & plures aperte præ se ferant, cogitatam nuper à se pugnandi methodum & sententiam, ad victoriam ex hæreticis reportandam prorsus necessariam; nec salua fide posse negari: & si reponas olim ignotam, & iam Augustino & Diuo Thomæ eorumque principiis minimè conuenire; licet in speciem videantur abnuere, tacita tamen conscientia, id vltrò agnoscunt. Vnde quidam obmurmurant, quamcũque diuersam à sua sententia, cuiuscumque sit authoris ab Ecclesia ad summum tolerari; à se verò inuentam inter Catholica dogmata iam ferè repositam,

vel quam primum reponendam. Atque vt priuatus iſte huiuſmodi authorum, communis totius Eccleſię ſenſus dici queat, nihil non moliuntur. Sed aduerſus illorum conatus & conſilia hoc vnum oppono, quæ obtendunt nunquam euentura, & quam Auguſtini doctrinam viginti ſummi Pontifices tota qua valebant authoritate ſanciuerunt, à nullo ſucceſſorum euerſum iri, & qui ſecùs ſuadent aut ſperant, peſſimè fidei cauſæ conſulere, & de perennitate Eccleſię ſentire.

Longius quam vellem aut quam ſtatueram abduxit, aut detinuit me ſermo de Eccleſiæ conſenſu, & de definitionibus Pontificiis; ſed ad controuerſiam de vſu probabilitatum neceſſario, ſubmouendis cenſuris aut cenſurarum minis, quas ingerunt, qui probabilitatibus fauent, quorum plures & maximè, qui omnium vltimus, nuper ſcripſit contra D. Fagnanum Caramuel.

Has ſubiicit propoſitiones totius Eccleſię, vt putat, conſenſu, quaſi fide certas, omnes cuiuſcumque generis & ordinis opiniones, ſeu paris, ſeu diſparis probabilitatis, in materiâ fidei, & morum, certiſſimas eſſe actionum humanarum ad honeſtatem, & ſalutem regulas, æquè tutas; Ideſt, ab omni peccato, & ſpecie mali perinde remotas: & qui ſecùs ſentiant, hæreſis Ianſenianę comper-

tos, Sedis Apoſtolicę ſanctionibus damnatos, aut quam primùm apertis decretis damnandos. Hęc ſumma eſt libri, cui ſigillatim & per partes ſumus reſponſuri: & cum cenſuras ac definitiones, vel hęreſis notam ſingulis paginis, ac penè lineis minetur & intentet; viſum eſt vna reſponſione, quaſi ſpongiam in totum librum induci poſſe; ſi paucis in anteceſſum, & prefationis loco demonſtrem, ipſis, non nobis decreta Pontificia timenda eſſe, cum cadant potius in opiniones, quę ſtant pro libertate & voluptate, aut emolumento, contra pręceptum honeſtum, & officium, quam in noſtras, quę conſulunt ſaluti: Quandoquidem infinitis propè locis ſuorum decretorum, hanc regulam repetunt ſummi Pontifices, in dubiis & incertis (quod perinde eſt, ac in probabilibus, quidquid reclamet Caramuel) tutiorem ſententiam & partem ſequendam, quę pro pręcepto diuino, ſeu (quod idē eſt) pro ſalute hominū, ſtat contra cupiditatem voluptatemque.

Si vellemus ęquo iure, & iiſdem legibus cum aduerſariis pugnare, dum nobis in ſpeciem Ianſeniſmum obiiciunt, poſſemus verius validiuſque, quidquid ab Eccleſia naſcēte hęreſeon infernus euomuit, imo ipſummet Atheiſmum in illos regerere: quia nullum vitiorum, aut errorum genus eſt, quod

defendere, & persuadere non possis, si probabilia nullo discrimine constituto, inter legem & libertatem, inter honestum & vtile, sectari liceat vt libet. Sed ab iis abstineo fusiùs prosequendis, ne ipsa prefatione, totam disputationem conficiam. Id non possum omittere, quod ad hunc locum omnino pertinet: pessimè probabilitatum causę consuluisse, quisquis author fuerit D. Caramueli illius propugnandę causâ, vt calamum distringeret in illustrissimum D. Fagnanum. Quid enim aliud est in hac disputatione, quæ basis sit Theologiæ moralis, & iuris vtriusque, harum omnium disciplinarum virum sęculo nostro consultissimum lacessere, quam causæ, cuius defensionem susceperat, præuaricari, & regulas, quas videbatur constituere, falsi & erroris damnare. Nemo nisi proteruus, aut impius negabit, eorum quæ ad fidem & mores pertinent, certam notitiam repetendam esse à conciliis & summis Pontificibus, qui antiqua decreta condiderunt, & qui noua quotidiè sanciunt: Cuinam vero vnquam hominum, certius comperta fuit mens Pontificum omnium, qui ius Ecclesiasticum condiderunt, aut qui superioribus seculis, & nostra ætate Ecclesiam rexerunt, quam D. Prospero Fagnano, quem multi cæcum videntem, & Dydimum nostri seculi

appellant? Mihi verò omissis aliis elogiis illustribus, eius merito inferioribus, placet cleri Romani, & orbis Christiani Ianum vocare, quod nihil illum lateat eorum, quæ gessere & decreuere Pontifices, qui à Petro ad nostram vsque ætatem, eius sedem occuparunt, omnia viderit quæ à 50. aut 60. annis peracta sint, quorum magna pars fuerit, & 5. aut 6. summorum Pontificum à secretis, à consiliis, tanta eruditionis, & integritatis apud omnes opinione, vt Fagnani iudicium, nomen, & vim legis habeat, adeo ardenti in hominem, omnium ordinum affectu & studio, vt nisi orbitas oculorum à 30. annis intercessisset, sicut nullum meritorum habet, ità nec fuisset præmiorum finis: vnus omnium, qui dies Petri prætergressus fuisset, si in eius locum conscendisset, quo illum tempore, eo omnium vota, & propria merita vocabant.

Inter præcipua Pontificatus Alexandri VII. decora & ornamenta, quæ eius sapientiam, felicitatemque commendant, ac posterioribus seculis futura sint exemplo, & admirationi, non vltimo loco reponet sera ætas nepotum, honorificentissimum de D. Fagnano iudicium, cuius prudentiæ & curæ, omnes Regularium causas, aliasque grauiores Apostolicæ administrationis partes permisit; atque tot illustribus beneuolen-

cm 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12
GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [36] - -
PUBLIC DOMAIN

tiæ in virum meritissimum argumentis, tot collatis vni muneribus, quibus vix plures sufficiant, non minus suæ gloriæ, quam illius dignitati, & totius bono Ecclesiæ consuluit sapientissimus Pontifex.

Nam huius administri, & Apostolicæ sollicitudinis socij delectu, toti orbi testatum voluit, non tam, quid de D. Fagnano, quam quid de virtute sentiret. Nempè hâc vnâ, se cuiusque merita & præmia, & affectus in singulos metiri: nihil sibi antiquius & optatius fuisse, quam plures habere DD. Fagnanos, quos rebus Ecclesiæ prę ficeret, quos dignitatibus augeret. Quis ex nostri Fagnani, licet cæci, licet emeriti, ad negotia quæque grauissima gerenda delectu, & flagrantissimo in virum affectu, non facilè agnoscat & videat, in Alexandro omnes eminere sacrorum Principum virtutes? Hoc certissimè denuntio, testimonia hæc & iudicia de D. Fagnano, longissimè abesse à regulis, quas nobis probandas & sequendas subiiciunt aduersarij, cum comminatione hæreseos, si reclamemus. Neque enim administri delectu putarunt Alexander, Innocentius, se conscientiæ satisfacturos, nisi digniſſimum, aliis non indignis prætulissent.

Felicissimè diuino, vt arbitror, consilio

Caramuel Fagnanum lacessiuit, vt totius causę caput ad supremum Tribunal vocaretur, & quidquid de totâ re esset sentiendum, constaret ipsiusmet summi Pontificis de Fagnano iudicio, quod nec auderet ipsemet Caramuel negare exactum ad regulas longè seueriores, iis quas repugnat. Quid igitur opus est pro D. Fagnano scribere Apologiam, cum ipse communem sibi nobiscum causam in tuto ponat, non solum scriptis, & rebus præclarè gestis, sed etiam iudicio, quod à summis Pontificibus promeruit, & quod magis mirere, ab ipsomet Caramuele, vel sponte obtinuit, vel ab inuito extorsit. Nam ipsomet libro scripto in D. Fagnanum, fatetur se administris suæ diœcesis Vicariis, opera D. Fagnani in iure dicendo & regendâ diœcesi præcepisse, vt consulerent, tanquam certissimam regulam, & sequerentur. Quid vltrà egemus testibus, cum ipsemet, qui D. Fagnanum accusat, absoluat & impensissimè laudet; atque vt Magistrum tutissimum vbique audiendum esse velit: cum tamen, quidquid quatuor voluminibus docet ex ipsomet, quod hæresis suspectum habet principio, probabiliora vbique sectanda veluti corollaria deducat? Certè nescio, quâ ratione excusem Caramuelem, aut sibimet conciliem; nisi dicat

se pejora disputando probare, meliora sequi si ad vsum veniat, vel forsan more Medicorum, qui incerta & minus probabilia remedia præbent conditionis vilioris hominibus, vt illorum periculum faciant, & vim explorent: sibi & diuitibus certiora seruant: ita Caramuel, aliis minus probabilia permittit, ipse turiora vsurpat.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [39] - -
PUBLIC DOMAIN

ILLVSTRISSIMO D.

IOANNI CARAMVEL,

SATRIANENSIVM ET CAMPANIENSIVM EPISCOPO.

INDVCTVM olim morem, & quasi legem perpetuam scriptoribus constitutam, de patrono eligendo lucubrationum, quas publici Iuris faciunt, mihi seruandum præ cæteris tuo exemplo persuasisti, REVERENDISSIME ET ERVDITISSIME PRÆSVL, qui nouo & singulari scriptionis genere, tuorum Operum postremum, & superiorum etiã partes non contemnendas confecisti Epistolis ad amicos, quorum demereri beneuolentiã & patrocinium auebas, vel iudicia explorare. Sed cogitãti mihi, quibus meam dissertationem inscriberem, tu primus omnium, cum quo disputationem ineo, in mentem venisti, deinde D. Fagnanus, cuius causam ago. Quamuis enim insolens sit, ac penè absurdum videatur, vt illum tibi in patronum assumas, qualem tutandum, & impugnandum suscepisti: quorum vni concedas oportet, quod efflagitas beneficium, ab altero,

altero, nedum intempestiuè, sed inique etiam exigas, vt sibi desit, te propugnaturus. Hæc tamen, quæ primùm mentem subiit cogitatio, non est visa tanti, vt me à proposito dimoueret, hoc maximè nomine, quod vtrumque vester eo progressus sit, vt extra comparationem, esse videamini: & quod in vos meditor officium, quod debeo obsequium, aut patrocinium expecto, non sint communibus, cum cæteris hominum prudentiæ regulis metienda.

Equidem illustrissimus Fagnanus, ea apud summum Pontificem gratia, & apud omnes authoritate valet, tot & tantis in Ecclesiam meritis præstat, adeò certa & comperta per quinquaginta annos eruditionis, prudentiæ & integritatis fama, nedùm Romæ & in Italia, sed per totum orbem Christianum celebratur; vt vnus sibi aliisque præsidio esse possit: nemo sit, qui fidem non habeat, etiam de seipso testanti: vel iudicem & arbitrum recuset, ipsiusmet causæ, quam in illum mouerit. Quidni igitur à tali, tantoque viro, quem honoris, non necessarię defensionis causâ propugno, non sperem plus præsidij, quam ego, aut vllus mortalium, illi seipso & Deo contento ac tutò, conferre possit? Nihil ergo absurdi, aut absoni haberet consilium, ad illius clientelam confugiendi, cuius defensionem suscipiam. Hâc enim facultate, sicut aliis propemodum infinitis, quibus abundat vir diuinus, ad Dei similitudinem accedit; quod cum omnibus auxilio & præsto sit, iis maximè faueat & adsit, quos in suæ gloriæ vindices dignatur assumere. Nec magis altera, de opere tibi, ERVDITISSIME PRÆSVL, dicando in quem scriptum videtur, quam prior consilij pars à vero & ab æquo abhorret. Tanta

est tua in omnes humanitatis, & æquitatis opinio, vt nihil dubitem, te beneficij loco repositurum, si meas aperiam, tuisque oculis subiiciam cogitationes, etiam de iis, quæ minus in te probo; hâc etiam re, te imitatus, qui soles Epistolis, & libris editis, tuas opiniones & censuras, ad Dianam aliosque scriptores transmittere illæso amicitiæ iure.

Iis de causis nihil dubitaui alterutrius vestrum nomini hoc opusculum inscribere, & vtrumque anteferre, quibuscumque viris eruditione præstantibus, quorum poteram illud clientelæ committere. Hæc vna tantum dubitatio diu suspensum habuit, quem duorum alteri anteponerem. Cum enim nimium tenue & ieiunum sit, hoc à me exhibendum obsequium, vt in duos partiri queam, & vni in solidum esset vindicandum; in te sensi animum magis propensum; quod si D. Fagnanum compellarem, laudibus & encomiis esset onerandus: & sermo tecum habendus ad disceptationem propius accederet, & nonnihil etiam reprehensionis resiperet; & si probè vtrumque noui, non dubito quin sapientissimo seni molestissima futura sint encomia, tibi vero gratissima de tuo libro iudicia liberiora; qualia soles de viris tibi amicissimis proferre. Satius itaque duxi, tibi, quâ par est reuerentiâ meos sensus aperire, quod scio te boni consulturum, & habiturum acceptissimum: quam viri sapientissimi & integerrimi modestiam, suarum virtutum commendatione fatigare.

Præterea, nihil in illo occurrit, quod non probem & mirer, in te vero innumera sunt, quæ animaduerto eximia: sed nonnulla sunt etiam, quibus tecum non omninò assentior: si vnum alteri, His-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [42] - -
PUBLIC DOMAIN

panum, Italo conferre liceat more Plutarchi, qui Græcos duces Romanis acerrimo iudicio comparat & æquissima lance appendit; dicerem Fagnanum nostri seculi Zenonem, aut Crantorem, te vero Carneadem esse, qui diuersissimis dotibus, consecuti sitis parem magni nominis celebritatem: an vero perinde boni, non ausim dicere; alij iudicent, ex collatione vtriusque, quam paucis instituo.

D. Fagnanus iudicio, Caramuel ingenio valet: Illi solida & cana placent, iste subtilibus, & nouis mire delectatur: vnus quasi bos lassus firmius figit pedem, & via trita ac certa graditur; alter diuerticula quærit, & qui se sequuntur, ducit per præruptа: Fagnanus totus ad seueritatem naturâ,& studio comparatus est, Caramuel in se seuerior, in alios indulgentior, benignioribus opinionibus capitur & gloriatur; ille certis adhæresci, & (vt loquitur, ac consulit Hieronymus) tuta quæque timet: Caramuel dubiis firmitatem addit, & à probabilibus tollit omnem formidinem: vterque quasi scriba doctus proferunt de thesauro suo; ille vetera, hic noua: Fagnanus res maturat, Caramuel festinat. Ille tutiorem, iste velociorem cursum intendit, & in incerto putat se certa vestigia figere: vnde nouo paradoxo (cuius ignorantiam Fagnano obiicit) certitudinem actus formalem constituit, cui nulla obiectiua respondeat; alter vero fatetur se iudicii incertum, quandiu videt nutare obiecta.

Pluribus possem hanc comparationem prosequi, quam placet hoc articulo concludere. Celebrabitur posterioribus seculis Fagnanus ob ingentia in Ecclesiam merita, cui indefesso labore, & adeò fælici successu per tot annos inseruiuit; vt nihil dubitem

administrorum Ecclesiæ decanum appellare, qui cum Apostolo gloriari possit, se diutiùs & plus omnibus laborasse, & etiam profeciſſe. Te vero, DOCTISSIME CARAMVEL, nolim hac laude fraudare, credo etiam te de Ecclesiâ optimè meritum iis nominibus, quæ citrà iactantiam, & candide refers 2. pag. Epistolæ 1. ad Cardinalem Palauicinum, detecto, vt inquis, & primum à te impugnato errore Iansenii, triginta Lutheranorum millibus ad Ecclesiæ ouile adductis, aliisque fortè rebus præclarè gestis, quas modestia inhibuit ne euulgares. Sed aliud occurrit meritorum genus, quod apud me tanti est, vt enumeratis à te in Ecclesiam beneficiis longè anteponam. Cùm illud ingenium, quo te Deus donauit, attendo acre, igneum, impauidum, otii impatiens, obseruo nomen quod à familiâ habes, quodque propius accedit ad Angli illius famosi Cromuelli nomẽ; sic apud me reputo; plus tibi debere rem publicam Christianam, quod ab ipsâ steteris, quod sapientiæ modum imposueris, nec nisi ad sobrietatem tibi sapere permiseris: nam si Iansenii partes defendendas suscepisses, aut nouum dogma tentasses cudere, & spargere, quibus ingenii & eloquentiæ viribus, & quâ dialecticâ vales, haud scio an regno Christi par illaturus esses excidium, quod tibi ferè cognomen Cromüel suo Regi, suæque patriæ importauit.

Feliciter igitur nobiscum actum est, quod Sedis Apostolicæ vindex acerrimus, aduersus hæreticos & nouatores, quod à controuersiis otii, & ingenii reliquum fuit, totum impenderis probabilitatibus consectandis & stabiliendis, eoque cursum ingenii concitatissimum intenderis: vnde ad minus fidei rerum periculum abesset. Atque ex hoc in probabili-

tatum ſtudio, videris illud commodum tibi comparaſſe, quod ſimili diſputandi genere ſe conſecutum Cicero gloriatur his verbis. *Nos qui probabilia ſequimur, refellere ſine pertinaciâ & refelli ſine inuidiâ poſſumus.* Hoc enim Philoſophandi genere, videris in Theologiam induxiſſe Academiam à Carneade inſtitutam, à Cicerone inſtauratam & ornatam: cui nihil certi erat præter rerum & opinionum probabilitatem: atque illius aſſenſu, nec cæterarum ſcholarum opinionibus aduerſaris omninò, neque in totum adhæres. Hoc tibi cum omnibus conuenit, quod quæcũque docent ſcholæ ſingulorum, nec falſi poſſe conuinci, nec vera demonſtrari credas; ſed inter veriſimilia reponi debere; atque ita inter Theologos extruis Academiam ea lege, vt veritas quæratur, nulla ſpe inueniendi & conſequendi, donec dies æternitatis illuxerit: interim eius loco conſtituendam probabilitatem, quam virtualem veritatem definis, quaſi inter verum falſumque media ſit: prætereà cum diſſidentibus ſcholis pax ineatur, & religioſe ſeruetur.

Huius legis video te ſatis tenacem fuiſſe, nec antè ſcriptũ in D. Fagnanũ Apologema, nemo quod ſciam, conqueſtus eſt à te acerbius ſe habitum, & diſputationibus ac ſcriptis, vel minimùm læſam æquitatem & charitatem. Tanta enim humanitate agis, vt nihil remittas de contentionis ardore, nihil relinquas ſubtilitatum, quæ ad cauſam faciant: nec tamen vllum verbum tibi excidat aſperius, aut minus vrbanum. Atque hoc humaniſſimo & amœniſſimo ingenio tibi contingit, quod de Sapiente ſcribit Seneca; qui ſibi amicus (ſeu ſui potens & compos fuerit) hunc citò omnibus amicum eſſe: atque illa huma-

nitate effusissima, omnium Ordinum, omnium scholarum homines complectare, & habeas amicissimos. Nec factum satis est tuo animo pacis studiosissimo, dum tibi benè cum omnibus conuenit; tentasti etiam familiarum, & Scholarum dissidentium concordiam; sin euentu tuis votis pari, conatu certè summè laudando, quo Filii Dei nomen, & rem Pacifici officio perfunctus commeruisti, & omnibus testatum fecisti, te ab omni liuore, & odio alienum, & nihil tibi gratius virorum sapientum amicitia, nihil pace & concordia omnium antiquius esse.

Vnde mirari subit, quod cum totus sis natura, & studio ad humanitatem comparatus, & mortalium nullus sit opum, quam tu virorum sapientum amicitiæ cupidior, & tuæ Theologiæ fundamentali præfixa Epistola, ad amicos magno numero ex omnibus Christiani orbis partibus, ex omnium Ordinum familiis recenseas; vnus à te prætermissus sit D. Fagnanus, cum quo amicitiam inire potueris Romæ, & in Italia moratus, nec libuerit: cum tamen totidem, & plures, quam Rex ille Persarum Zopiros, aut mali punici acinos optes; & is ille vnus sit mortalium, quem reuerentius haberi oportebat, qui primus in te humanitatem erga se desideret, iis verbis, ne dicam contumeliis lacessitus, quæ à tibi innata vrbanitate omnino abhorreant, iis argumentis appetitus, quæ nihil resipiant tuam eruditionem & subtilitatem. Quare multi, ideſt probi omnes, à studio partium alieni compertum habent, te ad hoc certamen tua sponte minimè processisse, sed alieno impulsu, & consilio: dolentque plurimùm, te relicto proprio iudicio in alienam causam ac culpam transiuisse.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [46] - -
PUBLIC DOMAIN

Certè cum ad istud certamen inglorium tibi, inuitus compellabare, conueniebat te imitari pertinaciam oleæ, delatum ab arboribus in se imperium recusantis, & eos qui ad suum commodum, tuumque damnum, & dedecus te exasperabant, in virum Pontifici charissimum, omnibus admirandum, depellere oportebat verbis Christi, procul hinc abite vos qui mihi scandalo estis. Aut si ità durè commeritos, nolles excipere; vtendum erat eiusdem oleæ verbis suauioribus, nec minus ad propulsandum pessimum consilium efficacibus, quomodo deseram mihi ingenitam dulcedinem? Cur mea idest aliena opera, meoque damno, vultis res vestras promouere, vestras iniurias vlcisci, & illum deiicere quem timetis, ne summa qua apud summum Pontificem gratia valet, vestram minuat, ne sua apud omnes, sapientiæ & integritatis fama, vestram gloriam inumbret; suaque authoritate impedimento sit, ne vestræ opiniones ita inualescant, vt Ecclesiæ Romanæ communi consensu receptas vobis gloriari liceat?

Vtinam hoc bellum suadentibus ita respondisses, cuius nullam ex te causam idoneam, & iustam habebas: qui enim fieri posset, nisi extraneis consiliis aurem præbuisses, te adeò tui dissimilem euasisse, vt qui in omnes hactenus fueris humaniſſimus, qui Dianam, Sanctium, Lesbias humanæ & Christianæ vitæ regulas colueris, & tantum non adoraris, adeo acerbè scripseris in virum, quem merito Romani Cleri, & Italiæ decus immortale, quem antiquæ disciplinę vindicem inuictum, quem æquitatis indeflexam regulam appellaueris? At inquies meis opinionibus capitaliter aduersatur, probabiliora quę legi

fauent, iubet ſemper eligi, minus aut æque probabilia, quæ pro commodo contra honeſtum ſtant, quæ ego vt tutiſſima conſtituo, pronuntiat periculoſa eſſe & pernicioſa: addis quæſtionem aggreſſum eſſe, cui dirimendæ impar ſit Canoniſta quidem doctiſſimus, ſed Theologię ignarus: his duobus vltimum adiicis, incautum magis quam prudentem, Ianſeniſmum inſtaurare, ſpecie vitæ ſeuerioris & tutioris: & impegiſſe in errorem primæ propoſitionis Ianſenianæ damnatum, quia Deus impoſſibilia, aut quod perinde putas, ſummè difficilia præcipit, ſi iubeat nos tutiora ſectari, quæ ſtent pro ſalute & lege contra libertatem & vtilitatem.

Iis tribus capitibus continentur, quæcumque quatuor Epiſtolis, & ad illas notis, & appendicibus fuſiſſime proſequeris, millies repetita accuſatione Ianſeniſmi, & probata numquam vllo veriſimili argumento. Poſſem vna pagina hæc tria capita valide refellere, & ſuſceptam à me defenſionem abſoluere: ſed hac præfatione breui demonſtro, nequidem leuiter D. Fagnanum perſtringi his tribus telis, ſed in te retorqueri; iiſque confodi & profligari, quam comparaueras tot libris editis, eruditionis, & humanitatis opinionem.

Imprimis putaſne apud ſapientes, & eruditos, iis de cauſis te excuſaturum, incredibilem tuam in ſcribendo mutationem, vt ex humaniſſimo in omnes, repentè in vnum D. Fagnanum totus exardeſcas, eumque acerbiùs exagites; quod illum obliquè petas, & dum à conuitiis iuras te abſtinere, tùm maximè conuitieris? Virum modeſtiſſimum ac grauiſſimum, aliquo loco ais, ſuæ ignorantiæ conſcium, quam eruditis nequit occultare, velle ſciolum vide-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [48] - -
PUBLIC DOMAIN

ri, & apud imperitum vulgus applausus captare. Si tuas opiniones iam vbique gloriaris te demonstratiue probare (adeo occultâ argumentorum tuorum vi, vt tibi vni sit comperta) studio & nostræ sententiæ odio, in illum calamum distrinxisti, cur tandiù tacuisti? Cur nihil simile scripsisti in Paulum Comitolum, Andream Blanchum, Philippum Fabri, Iulium Mercorum, qui ante D. Fagnanum, tuam opinionem impugnarunt, nec eorum argumentis hactenus satisfeciſti?

Adde parum conuenire Christiano, pati, se humanitate & charitate in auctores, qui diuersa sentiant, ab ethnicis superari. Putasne Stoicorum Paradoxa minus aliena esse ab Epicureorum somniis, & Academicorum probabilitatibus, quàm à tuis D. Fagnani sententias, quæ docent ex probabilibus tutiora sectanda, quæ stent pro lege, & honesto contra vtile? Si ità censeres, probares te omninò imperitum antiquæ Philosophiæ: at quamlibet abhorreant Stoica dogmata ab Epicureis, & Academicis, scis tanta animorum contentione, Brutum Stoicum seueriſſimum, Cassio Epicureo, & Ciceroni Academico coniunctum, vt vtrumque belli pro patria, & studiorum socios habuerit, cum Cassio in acie perierit; Ciceronem verò, libro vt ipse testatur, de virtute grauissimo, sub eius nomine edito, prouocauerit ad honestissimam & amicissimam de rebus Philosophicis disputationem, & ipse Cicero præcipuos de Philosophia libros, quales sunt Paradoxa, de Finibus bonorum & malorum, alioſque Bruto inscripserit? Sed Deum immortalem! quamuis diuersissimis sectis addicti, qua humanitate quibus se laudibus, quibus officiis vltro citroque prolatis, prosequuntur?

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [49] - -
PUBLIC DOMAIN

Cur igitur, DOCTISSIME CARAMVEL, totus ad humanitatem fictus & comparatus, ſcripto in D. Fagnanum libro, adeò ab innatâ tibi virtute deflexiſti? Cur paſſus es te Chriſtianum, & Antiſtitem, à Philoſopho & Ethnico vinci, nec præſulum aulæ Romanæ decanum, eo ad minus loco habuiſti, quamuis diuerſa ſentientem, quo Brutus Stoïcus Caſſium Epicuri diſcipulum, quo Ciceronem Academiæ addictiſſimum?

At inquies, Fagnanus toto ſuo Opere ſcommatibus, iniuriis, contumeliis, viros ſanctiſſimos & doctiſſimos, mortuos, ſuperſtites, eo liberaliſſime quo iniuſtiſſime compluit? Non dicam te inuidiosè ſtylum D. Fagnani iis nominibus traducere, à quibus longiſſimè abeſt, vt videantur repoſita potius quàm illata conuitia. Sed imprimis dico, neminem à D. Fagnano carpi nominatim, aut notari, neque ex illo refers vllum verbum aſperius, quàm Nouatoris, quod mirè exagitas nomen, quaſi pro Hæreticis vos habeat, quod illo vocabulo apud Catholicos Hæretici notentur. Vana & verbalis planè cenſura, quæ tota ſit in nomine, quam poſſis exercere, in omnium gentium orbis Chriſtiani homines, apud quos receptiſſimum eſt, Regum, & ſummorum Pontificum miniſtros, vocare nomine ex vſu communi, quo prædicantes Hæretici inſigniuntur. Nec aduertis, quod ſicut duabus religio partibus conſtat, doctrinâ fidei, & diſciplinâ ad mores, ita Nouatorum genus duplex diſtingui poſſe; Hæreticorum, qui fidei dogmata in dies mutando corrumpunt, & Theologorum qui antiquam Pontificum, & Eccleſiæ diſciplinam, benignioribus vt loquuntur, interpretationibus emolliunt & reſoluunt: quod ſe æ-

gerrimè ferre pluries ſummus Pontifex teſtatus eſt, neque id ignorare potuit D. Fagnanus, intimorum ipſius ſenſuum conſcius, cui malo indoluiſſe cum bonis omnibus, & aliquot verba protuliſſe, quibus internum animi dolorem manifeſtaret D. Fagnanus, grande piaculum reputaſti. Ego contra nil diſſimulo, me vix vnquam legiſſe officia Ciceronis, maximè tertium illius librum, quo toto probat honeſtum vtili adeò anteponendum quâcumque comparatione vel minimi honeſti, ad quodcumque maximum vtile, vt ſi vel minimum dubites, vel ſuſpiceris, aliquâ ſpe compendij, & iſtud eligas, non vacet culpâ ipſamet electio & comparatio.

Vix vnquam Ciceronem de his vitæ humanæ officiis differentem, cum noſtris Theologiæ Moralis ſcriptoribus comparo, quin rubore ſuffundar, & penè dolore tabeſcam, ob ſæculi noſtri & Eccleſiæ dedecus ſempiternum. Nam ſi liceat meum ſenſum aperire, videntur mihi Theologi Ethnicè locuti, & Cicero ſcripſiſſe vt Theologus & Chriſtianus. Neſcias an iſte acrius pro honeſto, an illi pro vtili, & libertate pugnent. Certè ſi hâc de causâ aliquos ſuis verbis gemitus immiſceat, & Theologorum mollitiem carpat D. Fagnanus, ſin vt illum laudares à te obtinere non poteras, debueras excuſaſſe, eoque iuſtius, quod homini antiquæ diſciplinæ callentiſſimo, in decretis Pontificiis verſatiſſimo, in cauſarum iudiciis integerrimo, compertum eſſet, ſi in dubiis & incertis, & iis omnibus denique rebus, à quibus abeſt euidentia, liberum eſſet & tutum partem eligere, etiam minus probabilem quæ ſtaret contra legem & honeſtum, pro vtili & amico, hâc regulâ Leſbiâ & plumbeâ, omnia antiqua iura corrumpi, noua vitiari, iudicia perue-

ti, Hæreticis materiam pręberi de Eccleſiâ obloquendi. Quid mirum igitur, tot malorum conſpectu indoluiſſe & cohorruiſſe hominem eruditiſſimum, & iuxta piiſſimum?

Inde etiam ſecunda calumnia depellitur: hanc de probabilitatum vſu controuerſiam, totam Theologicam & Metaphyſicam eſſe contendis, nec poſſe à Iuris Canonici Conſulto, pro dignitate tractari. At ego contra cenſeo, ad D. Fagnanum maximè hanc quæſtionem pertinere, quod à quatuor veluti fontibus repetenda ſit, à Sanctorum Patrum aſſiduâ lectione, ab antiquis Conciliorum Canonibus, decretis ſummorum Pontificum, & à quotidianis illorum iudiciis. In his verò omnibus ipſe verſatiſſimus eſt, & omnes Theologiæ & Scriptores ſuperat. Sanè nihil magis intempeſtiuum & periculoſum eſt, quàm ſi ad vnius Theologię ſubſellium reuoces, quę ſunt vſu continuo frequentanda, ſi res ſolidas ad meras ſubtilitates expendas: quę ad praxim ſpectant, maturo potiùs iudicio ſunt ponderanda, quàm rimanda acuto ingenio, planè in fumum faceſſunt probabilia, huiuſmodi diſtinctionibus quales adhibentur; & huius generis ea eſt de certitudine formalis actus, quę nullâ obiectiuâ nitatur, cuius ignorantiâ laborare vitio vertis D. Fagnano, quã certè non abnuit, nec ſibi dedecori aut fraudi fore putat, ſed de his fuſiùs & exactius, diſputatione ſecunda.

Quod ad tertium caput attinet de Ianſeniſmo; non dicam millies objectum, & nunquam probatum, omni ſpecie veri carere. Quis enim credat Innocentij X. & Alexandri VII. qui duas in Ianſenium conſtitutiones edidere, Adminiſtrum & conſiliarium, impegiſſe in errores ab illis nuper damnatos, his

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [52] - -
PUBLIC DOMAIN

censuris, quarum rationes & momenta, ab ipsismet Pontificibus quotidiano, & familiari colloquio hauserat. Non addam ipsosmet Pontifices hanc calumniam depulisse, damnatione Apologiæ Casuistarum contra Ianseniſtas, à qua videris Apologema exscripsisse: nam quæ ille in omnium laxiorum opinionum, & morum licentiæ insectationem profert conuitia, potiùs quàm argumenta, ex cognatione commentitiâ seuerioris doctrinæ cum Iansenij primâ propositione, tu in D. Fagnanum repetis eadem, nullo argumento confirmata. Quare non dubito quin etiam in Apologema cadat quæ iam Apologiam notauit censura Pontificia: atque huc litteræ istius & superioris hebdomadæ cursore, Româ delatæ, referebant, exemplaria tui libri Lugduno in vrbem deportata, fuisse ad portæ ingressum auctoritate publicâ intercepta: postremę narrabant, eo quo scripta erant die ad Congregationem. Indicis causam deductam; nec dubito quin primus qui aduenier curſor, censuram sit delaturus, quia in eâdem damnatione es cum Apologia, ob Ianseniſmum toties insontibus obiectum. Vix dici potest quot quantisque vitiis laboret hęc accusatio: tota è triuio sumpta est, nihil eruditionis habet, nihil bonæ fidei, subtilitatis aut verisimilitudinis nihil, tota ad inuidiam & ad imperitorum captum composita, ingrata doctis, bonis molestissima, inhonora summis Pontificibus, perniciosa Ecclesiæ, solis Hæreticis acceptissima & ipsis Ianseniſtis decora. Vnde vt tot mala resarcias, puto æquitatis aliquo respectu à teipso euersam fuisse: sciebas Iansenij nomen suspectum & inuisum, putasti si illud obtruderes, & iure vel iniuriâ aduersariis affingeres, te illis inuidiam & aliquam

etiam hæresis suspicionem conflaturum : tuam verò sententiam non solùm in tutò futuram, sed etiam quasi totius Ecclesiæ sensum habendam.

Fortè tibi religioni, ac pudori fuit, adeò apertâ fraude incautos decipere, ideò placuit tibi vulneri quod inflixeras, remedium adhibere, & quam inusseras notam abstergere : neque enim poteras validius hanc tuam censuram, aut argumentationem refellere, quàm dum pluribus tuorum scriptorum locis, & ipsomet Apologemate doces, nos posse legitimè astringi sectandæ probabiliori sententiæ, triplici quasi vinculo nempe voti, iuramenti & præcepti. Putasne illam repugnantiam seu Physicam, seu Moralem rei inesse, vt fiat quæ possit iustè præcipi, voueri, & iuramento confirmari ? Atqui ex te possum his tribus nominibus me addicere parti probabiliori inquirendæ, & ad praxim reuocandæ : desine ergo criminari nos, dum censemus & docemus impossibilia præscribi, Ianseniſmi suspectos ac compertos esse. Et reuera si Pontificiæ constitutiones in Ianſenium, & censura in primam ex ipso propositionem stare nequeant, nisi tu vincas, & nos cadamus causâ ; præclarè cum Hæreticis & hostibus Ecclesiæ, infeliciſſimè cum Catholicis omnibus & summis Pontificibus ageretur, quod decreta ab illis prodierint, quibus feriantur pij omnes, qui cum tremore salutem operantur, qui tuta quæque timent, qui certiora sectantur, qui stent pro officio, & contra naturæ affectus luctentur, quod iisdem decretis obnoxij sint, sanctiſſimi & doctiſſimi ex totâ antiquitate Patres, qui legis & iuris naturalis, vel ignorantiam inuincibilem nullam patiuntur, vel excusare negant posse eos, qui legem violant, quod

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [54] - -
PUBLIC DOMAIN

ſemper aliquo dubio tangantur, ſe malè agere. Abſit, vt Pontificiæ cenſuræ in illos cadant, qui ſuæ ſalutis ſolliciti, non ſolùm tutiora quærunt, ſed putant ſe non poſſe damnationis periculum, ſine hac cautelâ vitare.

Fruſtra ergo pluribus tecum agerem defenſurus quem videris accuſare Ianſeniſmi D. Fagnanum, & quem reipsâ abſoluis, niſi aliud meditarer & probandum ſuſciperem, te iis accuſationibus opportunum, quibus alios immeritò grauas. Plura in D. Fagnanum congeris, parum illo & te digna, eos ais illum *Cum Ianſeniſtis contemnere, quibus ſatisfacere neſciat: eo immedicabilius nocere, quo cautius occultiuſque ſuum venenum affundit: magno apparatu verborum agere, à quo abſit Dialectica, ne impedimento ſit Rhetoricæ: apud Ariſtotelem quærenda eſſe argumenta, nulla eſſe apud D. Fagnanum.* Addis *audere eum dicere quod vult, quia exiſtimat ſe nihil debere probare.* Non dubito quin longè moleſtiùs ferret ſuam defenſionem, quàm tu ipſe meas reprehenſiones, ſi illius causâ tibi ſimilia reponerem; ſed patietur vir manſuetiſſimus, & tu etiam boni conſules; ſi demonſtrauero tuam ſcriptionem his omnibus vitiis laborare, quę in illo carpis: atque vt à leuioribus incipiam.

Dico, hoc tuum Apologema maxime præferre contemptum, aut ſi velis, imperitiam eiuſdem diſciplinę, quam vis illum penitus ignorare. Scis logicam tradere modos ſciendi, eoſque contineri his tribus partibus, legibus diuiſionum, deffinitionum, & argumẽtationum; & quęcumque à ratione ſuſcipitur de aliqua re inſtitutio debet, at optime monet Tullius, ex logicę regulis, à definitione (ſaltem quoad

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [55] - -
PUBLIC DOMAIN

quid nominis) proficiſci vt intelligatur de qua re diſputetur. Ponendus ergo primum eſt controuerſię ſtatus, ſeu vt Iuriſtæ loquuntur, legis & quęſtionis examinandæ ſpecies, & exacte ac diſtincte conſtituenda ; deinde diuidenda in partes, tum ſingulę accurate definiendæ: poſtremò argumentis res propoſita eſt conficienda, & ſubmouendę difficultates quibus impugnatur. Has omnes dialecticę partes & leges, in Ariſtotele D. Thoma, & à D. Fagnano obſeruatas admirari licet, in te vero deſideramus prorſus omnes. Primum male omnino conſtituis, & confundis potius, quàm diſtinguas controuerſię ſtatum, deinde peiùs definis, & quod vnum ſupereſt, vbique Paralogiſas, & ſophiſmatibus pugnas.

Quod ad ſtatum quęſtionis pertinet, perperam omninò ponis ex tua mente quidem, ſed præter noſtram. Putaſti nos tibi in totum aduerſari, & ſicut nullo diſcrimine quodlibet probabile approbas, & tutum cenſes, ità fingis nos omne probabilitatum genus damnare, & hinc genealogiam inſtituis probabilitatum, quas vis mundo coæuas, & perpetuâ ſeriè omnibus ſæculis duraſſe; quaſi improbato toto genere probabilitatum, videamur à communi generis humani ſenſu ab horrere : ſed mentem noſtram aut ignoras omninò, aut diſſimulas.

Nos duas opinionum probabilium Claſſes diſtinguimus aduerſas & pugnantes ; quarum vna ſtet pro lege & honeſto, altera pro voluntate ſeu libertate, & commodo. Primi Ordinis opiniones ſecundi laxioribus, à periculo damnationis & peccati remotiores, ſubinde anteponendas cenſemus, contra tuum paradoxum, quo omnes etiam in ęqualiter probabiles, perinde & ex ęquo tutas aſſeris ; quę fauent

voluptati,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [56] - -
PUBLIC DOMAIN

voluptati, & vtilitati contra legem, nihilo magis habere vllum peccati periculum, quam quæ pro lege stent probabiliſſime. Vellem longâ illâ probabilitatum inductione, quam ab orbe condito ad noſtram ætatem proſequeris, probares, vlli vnquam, nō magis fraudi aut vitio verſum, quod nullo diſcrimine opiniones pro libertate minus probabiles, probabilioribus pro lege & ſalute antepoſuerit. Sed hoc nullo prorſus exemplo probas: immo quæ affers ex Euâ ac D. Petro, aliiſque, tuam cauſam prorſus jugulant, vt demōſtraturus ſum reſpōſionibus ad ſingula.

Neque definis melius partes controuerſiæ, quam conſtitueris, aut diſtinxeris. Probabilem putas cum tutâ opinione coincidere; & hoc tantum differre, quod probabilitatum plures ſint gradus, vnus ſit indiuiſibilis ſecuritatis, qui omne arceat periculum peccandi, aut excidendi à ſalute; atque in eo conſtituis opiniones, vel minimæ probabilitatis; etiamſi pro libertate & voluptate ſtent contra legem & honeſtum; dubiam vero opinionem diſtinguis à probabili, quod pro illâ leues, pro iſtâ graues militent rationes: quaſi nequeat mens dubia eſſe & ſuſpenſa, cum grauiſſimis & inſuperabilibus vtrinque vrgetur difficultatibus, vt ab vtriuſque partis aſſenſu abſtineat, nec ſi velit maxime poſſit, alterutri præbere, quamdiu paribus omninò, aut fere vtrinque rationum momentis libratur: quæ ſi argumenta, quibus Trinitas, Incarnatio, Euchariſtia, Dei libertas, aut noſtræ cum eius præſcientia & concurſu concordia, aliaque fidei myſteria, leuia ſint, quamuis difficultatibus ingenia humana abſorbeantur, nec illis ſoluendis Angelica ſufficiant: parem & forte maiorem diuinâ, poteſtatem in nos aſſumis; ſi pro tuo iure à

nobis exigas, vt dubiæ & probabilis opinionis differentias, & definitiones, quolibet fidei mysterio creditu difficiliores, tanquam certas excipiamus. Sic enim te conuenio, vel graues reputas quæ mysteria Trinitatis &c. impetunt difficultates, à lumine naturali repetitas, vel leues, seu facile & euidenter solubiles existimas: Si primum asseras, ergo probabilium opinionum accenses generi & classi, illas quæ mysteria Trinitatis &c. quæ immortalitatem, prouidentiam negant: & cum probabilis opinio tibi sit eadem ac tuta, nihil peccabit, nec vllum salutis periculum incurret, quisquis ejurabit fidem, & diuinitatem ipsam pernegabit; cum ad id habeat rationes graues, quas nequeat soluere, & quibus plane succumbat, nisi confugiat ad fidei anchoram.

Dices has omnes, quibus vrgemur rationes leues esse, ac proinde opinionem non inducere ad probabilem, sed dubiam tantum nec periculosam. Certe non occurrit aliud, quo tutari te possis præsidium, neque alium vales aggerem, & obicem opponere licentiæ quodlibet impunè agendi & sentiendi, aut cohibere omnia vitiorum & errorum genera, ipsummet denique Atheismum. Sed quid leuius quid futilius excogitari potest, tot arcendis malorum, & impietatum generibus, illo discrimine à te constituto, inter probabilem & dubiam opinionem; vt illa sit certa & tuta, hæc sit periculosa, quod leuibus rationibus fulciatur? Quibus putas te hæc commenta persuasurum, vt leues putent rationes esse, quibus ipsamet ratio succumbat, quas nequeat mens Angelica euidenter falsi arguere? Cogis nos sensum communem eiurare. Quid tibi graue futurum est, si le-

ues censeas rationes dubitandi de mysteriis religionis, quæ omnem rationem superant.

Hæc omnia dicta, velim interpreteris non in te, sed in tuam sententiam; quam te, bono animo complanandi viam, quâ itur ad cœlum, non dubito docere, & totis viribus propugnare: sed timeo ne præter tuam mentem, quos vis in cœlum molli, & decliui itinere deducere, des in infernum præcipites; & dum peccatis minuendis, benignioribus opinionibus allaboras, in infinitum augeas. Id puto ad minus me demonstrasse, nostram de probabiliori & tutiori opinione in rebus fidei, & morum prosequendam sententiam, minus Ianseniſmo fauere & obnoxiam esse, quam cuilibet errori pessimo nequidem Atheiſmo excepto tuam, quæ nullo discrimine tutas sanxit quaslibet opiniones probabiles, quæ aliquâ graui ratione fulciantur. Et cum argumenta quæ contra Trinitatem, prouidentiam, immortalitatem animæ tibi fortè leuia videantur, alii vero vrgentia sentiant, & illis planè succumbant; hos omnes iuxta tua principia oportet ignorantia inuincibili laborare, & excusari ab omni errore & peccato, nec posse iustè à Deo damnari, immo saluos fieri debere, & cœlo recipi, si à puero baptizati inter Christianos, inter Idololatras educati, consenescant in omni genere scelerum, idque impunè, quod sibi probabiliter persuaserint cum Epicuro & Lucretio, omnia casu ex atomis facta esse, & regi.

Hæc omnia tibi subiicio, non quasi à te tradita & probata; sed necessario ex tuis principiis consequuta: nec plane video quâ ratione stantibus quæ ponis documentis, possit hæc difficultas profligari: vt merito à te expectem quid sis responsurus ad hęc

duo quæsita. Primo an vera sit definitio opinionis probabilis, ac proinde tutæ, quod ratione aliquâ graui, id est, quæ vrgeat & difficilis sit solutionis, confirmetur: deinde an leuia sint argumenta quibus impugnantur fidei mysteria, & vitæ moralis principia. Atque interdum pro ingenito candore fateris, te non posse respondere: immo Hæreticus esses, si secus scriberes: nam fidei articulus est, quæ docet mysteria supra omne naturæ creatæ lumen posita, non posse euidenter probari, sicut nec solo lumine naturæ euidenter solui argumenta, quibus impugnantur.

Quare non dubito, quin & hâc præfatione, & quasi primâ in tuam sententiam velitatione, agnoscas & fateare, hanc contra te disputationem, nec gratis & animo litigandi, nec solius defensionis D. Fagnani, sed religionis causâ susceptam esse, quæ omninò periclitatur, si stent duæ definitiones à te constitutæ, de opinione probabili & dubiâ: ex quibus, nihil falsi, aut mali excogitari potest, quod deduci nequeat, in patrocinium cuiuscumque vitii & erroris; quodque timendum est, inde breui erupturum, nisi tu validum aliquem aggerem opponas, quo tot malorum illuuies, Noëmi diluuio longe periculosior, sistatur & cohibeatur.

Dices fortè, hæc quę obiicimus, scandala esse pusillorum, id est, leuia; ex quibus iuxta definitionem à te positam, existere possit opinio dubia, non probabilis. Sed contra vrgeo quæ à me in tuam sententiam prælibata sunt, & fusius prosequenda, non adeo leuia esse, vt sint contemnenda: & sin tibi, qui inuictâ polles vi ingenii, certè aliis negotium facessant, qui experiuntur grauissimas de Existentiâ Dei, im-

mortalitate animæ tentationes, seu dubitationes; quibus succumberent, nisi præsto esset pugnantibus efficacissima Dei gratia; nec facile sibi persuadebunt leues esse huiusmodi tentationes, quas ipsi pene insuperabiles sentiunt, nec vinci posse, si desit omnipotentissima Dei virtus. Vides quo ex tuis principiis deducamur, vt nisi quamprimum respondeas ad ista, grauissimus casus impendeat in omne genus vitiorum & errorum: & quamuis leuia esse contendas quæ obiicio, nec facere probabilem, sed dubiam opinionem (hoc etiam ægre persuaseris aut probaueris) scis etiam pusillorum scandala curanda esse: & hoc à te, tum meo, tum omnium mei similium, id est, pusillorum nomine efflagito. Interim dum à te remedium ad hæc mala, id est, responsum ad hęc argumenta expectamus; patere, & boni consule meum in te studium, & in omnes qui tuis principiis possent impelli, ad aliquid sinistre de fide & contra bonos mores sentiendum, si alia pro viribus assumam ex D. Fagnano, aliisque fundamenta tutiora & remedia parem, quæ iis periculis arcendis videntur mihi efficaciora: ne mala quæ arbitrario probabilium vsu denuntiaui contineri, & inde quamprimum proruptura, promouisse videar, nisi remedium præsentissimum quo sisti, & cohiberi possint adhibuero.

Hæc de totius operis consilio; quod non dubito à te ipso probatum iri, dum meliora deprompseris, sanandis hominibus, qui ex tuis principiis possent se in omne genus malorum præcipites dare. De partitione & methodo disputationum, plura dicam ad singulas. Vnum tantum moneo, non mearum virium fiduciâ, sed quadam ipsius controuersiæ consequutione necessariâ, me tibi addere pugnæ socios, & vni

cum tribus pugnandum esse. Nec ex illâ societate quidquam tuæ causæ accedet, aut deperibit nostræ. alia est enim pugnæ litterariæ & bellorum ratio; in istis magna fit inclinatio victoriæ, in eos qui plures habent socios, & vincunt numero; hic contra spero euenturum. Nostrę disputationis alea & summa, in hoc posita est, vt tuam accusationem de Ianseniſmo depellam à nostra sententia, de probabiliori & tutiori opinione eligenda, quod tu erroris Ianseniį damnas; quasi impossibilia hominibus præscribamus; sed contra te stat Anonymus, qui nostram doctrinam hoc nomine carpit, quod aliis illam principiis stabiliamus, quam quæ à Ianseno repetuntur: neque velimus vnicè inniti huic fundamento, iuris & legis naturalis ignorantiam inuincibilem, non tollere culpæ reatum ab actu quo violatur.

Vides nos à dextris & à siniſtris impeti, non solum diuersis, sed planè pugnantibus inter se accusatoribus: vt ex aduersariorum dissentione, causæ nostræ æquitas sicut castissimæ Susannæ innocentia eluceſcat & inuictè confirmetur. Tu nos purum putumque Ianseniſmum crepare continuo vociferaris: alter conqueritur, nos principia Ianseniį non aduocare nostræ sententiæ fulciendæ. Contraria asseritis, vtriusque dictis constare veritatem repugnat; vtrosque falli nihil vetat: sed nos vltrò agnoscimus & probaturi sumus disputatione secundâ, argumenta quibus sententiam nostram confirmamus, aliunde quam à Ianseniį principiis repeti: & falsum esse nostram sententiam nutare, quod nolimus cum Ianseno conuenire. Igitur ex Anonymo præsidium nobis comparabimus disputatione secunda: qua tuam in D. Fagnano scriptionem, & alia

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [62] - -
PUBLIC DOMAIN

tuis libris ſparſa, quæ ad idem argumentum pertinent expendemus, quid veri, quid virium, aut quid periculi habeant. Huic diſſertationi præmittẽda eſt, diſputatio cum Theophilo Raynaudo de eodem probabilium opinionum delectu. Quid vero tecum commune habeat hic Author, & quid compendij ex ex illo relaturus ſim, ipſe agnoſces, & Lector beneuolus, cum cauſas huius diſſertationis aperuero. Vnum, tantùm addam amouendo offendiculo, quod mihi nonnullus objecit, conqueſtus primas non habere his noſtris diſſertationibus D. Fagnanum, quaſi eius defenſione mihi quidquam poſſit eſſe antiquius. Sed præter cauſas huius ordinis plures, hanc omnibus probatum iri ſpero, quod cum Theophilus in Suaris gratiam duos Pontifices laceſſiuerit, Caramuel D. Fagnanum aggreſſus ſit, viſum mihi eſt æquiſſimum, ſi primùm ipſoſmet Pontifices, deinde illorum adminiſtrum ſapientiſſimum propugnarem.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [63] - -
PUBLIC DOMAIN

APPROBATIO

DOCTORVM PARISIENSIVM.

NOS infra ſcripti Theologi Pariſienſes accuratè per legimus Librum cui titulus eſt, *Theologia Moralis aduerſus laxiores Probabiliſtas*, *Authore* F. VINCENTIO BARON, *Theologo Dominicano* : in quo nihil ſiue fidei, ſiue bonis moribus aduerſum deprehendimus, imo purioris & ſolidioris doctrinæ dilucidam explanationem, in qua vera morum aſtruitur, regula aduerſus impium dogma recentiorum nonnullorum aſſerentium, quamcumque probabilitatem ſemper & in omnibus tutam. Datum Pariſiis die quinta Auguſti anni Domini milleſimi ſexcenteſimi ſexageſimi quarti.

DV FRESNE DE MINCE'.

N. PETIT-PIED.

LVDOVICVS MARAIS.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [64] - -
PUBLIC DOMAIN

FACVLTAS REVERENDISSIMI Patris Generalis.

NOS F. Ioannes Baptiſta de Marinis, ſacræ Theologiæ Profeſſor, Ordiniſque Prædicatorum humilis Magiſter Generalis, & ſeruus. Harum ſerie, noſtrique authoritate officij, tibi R. A. P. F. Vincentio Baronio, Prouinciæ noſtræ Toloſanæ, licentiam facimus & facultatem, publicis Typis emittendi in lucem, opus à te editum, cui titulus eſt, *Theologia Moralis aduerſus laxiores Probabiliſtas*, habitâ prius approbatione duorum in ſacrâ Theologiâ Doctorum, aut Profeſſornm Ordinis noſtri, à R. A. P. Priore, ſeu Moderatore Nouitiatus noſtri Generalis Pariſienſis deſignandorum: ſeruatiſque iuxta ſacros Canones, decreta ſummorum Pontificum, Conſtitutiones noſtras, & acta Capitulorum Generalium Ordinisnoſtri, aliiſque de ſuis ſeruandis. Datum Romædie prima Aprilis 1664.

F. IOANNES BAPTISTA DE MARINIS,
Magiſter Ordinis.

F. IACOBVS BARELIVS,
Magiſter & Socius.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [65] - -
PUBLIC DOMAIN

Approbatio Doctorum Ordinis.

NOS ſubſcripti in ſacræ Theologiæ Facultate Pariſienſis Doctores fidem facimus, Nos perlegiſſe librum cui titulus eſt, *Theologia Moralis aduerſus laxiores Probabiliſtas*, *Authore* R. P. F. VINCENTIO BARON, *Theologiæ Profeſſore*, *Ordinis Prædicatorum*, in quo nihil deprehendimus ab Eccleſiæ Catholicæ, Apoſtolicæ & Romanæ, Religione & doctrina, alienum aut bonis moribus contrarium, ſed omnia Doctoris Angelici ſcriptis conformia & ideo digna quæ ad publicam Theologorum vtilitatem prælo mandentur. Pariſiis die duodecima Iulij anni Domini 1664.

F. BALTHASAR LANGLOIS.

F. BERNARDVS GVYARD.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [66] - -
PUBLIC DOMAIN

Approbatio Professorum Ordinis.

LIBRVM cui titulus, *Theologia Moralis aduersus laxiores Probabilistas*, *Authore* R. P. BARONIO, ex Commissione Reuerendissimi P. Generalis, attente perlegimus : opus suo Authore dignum; quod præter doctrinam Scripturæ, Patribus, & Pontificum decretis consentaneam, hoc habet præcipuum, vt in defensionem diuinæ legis, contra laxiores sententias susceptum, virtutis Apologia dici debeat. Bonis omnibus acceptum fore, æquitas postulat, & omnium expectatio suadet, quibus sua salus curæ est : ideoque dignissimum prælo iudicamus. Datum Parisiis 9. Ianuarij anni 1665.

F. BERNARDVS LAPALISSE, sacræ Theologiæ Professor, & Nouitiatus Generalis Parisiensis, FF. Prædicatorum Prior.

F. ANTONINVS MASSOVLIE', Lector Theologiæ.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [67] - -
PUBLIC DOMAIN

PRIVILEGE DV ROY.

IL eſt permis au R. P. VINCENT BARON Profeſſeur en Theologie, de l'Ordre des Freres Preſcheurs, d'imprimer ou faire imprimer par qui bon luy ſemblera, vn Liure qu'il a compoſé, intitulé, *Theologia Moralis aduerſus laxiores Probabiliſtas* &c. pendant letemps & eſpace de dix ans, durant lequel temps nous faiſons tres-expreſſe deffenſe à tous Libraires, Imprimeurs, ou autres, de vendre & debiter ledit Liure, ſans la permiſſion dudit PERE, ou ceux qui auront ordre de luy, à la charge qu'il ſera executé ſuiuant ſa forme & teneur, contenu en l'Original. Donné à Paris le Mars 1645.

Par le Roy FALLENTIN.

Regiſtré ſur le Liure de la Communauté, ſuiuant l'Arreſt du Parlement en datte du du 8. Avril 1653.

Ledit R. P. BARON a cedé, quitté & tranſporté ledit Priuilege cy-deſſus à SIMEON PIGET, Marchand Libraire de Paris, pour en ioüir en ſon lieu & place, ſuiuant l'Acte paſſé entr'eux le 19. Aouſt 1664.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [68] - -
PUBLIC DOMAIN

INDEX
DISPVTATIONVM.

DISPVTATIO PRIMA.

DE vsu probabilium generatim & in re Sacramentaria, aduersus Theophili Raynaudi exceptiones, sou disputationem de Epistolari confessione & absolutione Moribundi. pag. 1

SECTIO I.

Huius dissertationis occasio, Argumentum & Partitio. 2

ART. I. *Tres à Theophilo libri in Dominicanam Familiam & totidem in Societatem scripti.* ibid.

ART. II. *Argumentum dissertationis de Epistolari confessione Theophili, & nostræ ad illa responsionis summa & partitio.* 7

SECTIO II.

An Suaris Authoritas, vel cuiusuis doctoris classici de qualibet re opinionem probabilem & securam efficiat, vbi de vsu probabilitatis generatim. 10

ART. III. *Referuntur tres hac de re sententiæ & vera eligitur.* 11

§. 1. *De rebus ad salutem necessarijs necessitate medij, tuta sententia esse nequit, nisi stet pro lege, quamuis aduersa sit paris aut paulo majoris probabilitatis.* ibid.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [69] - -
PUBLIC DOMAIN

§. II. *Idem censendum est de delectu opinionum probabilium circa res ex solo præcepto à lege naturali ad salutem necessarias.* 13
ART. II. *Confirmatio superioris doctrinæ responsione ad Dialogum Fabri de hoc argumento.* 15
§. I. *Immerito nobis objici probabilitates ex nostra sententia in totum tolli.* 16
§. II. *Opinio probabis male definita à Patre Fabri.* 17
§. III. *Vera definitio opinionis probabilis qua superiora confirmantur.* 19
§. IV. *Rejcitur Regula probabilitatum P. Fabri nihilo meliorillius definitione.* 21
§. V. *Conclusio & compendium totius Dissertationis.* 22
ART. III. *Consectaria ex superioribus.* 23
§. I. *Colliguntur alia quatuor corollaria.* 25

SECTIO III.

An Suares probabilem & tutam fecerit opinionem de Absolutione sacramentali per Litteras collata, ante decretum Clementis Octaui.

ART. I. *Ex superioris Sectionis doctrina resoluitur quæstio proposita.* 30
ART. II. *Origo & progressus opinionis de licita administratione Sacramenti Pœnitentiæ inter absentes cum suis fundamentis.* 32
ART. III. *Superior opinio refellitur ratione & Decreto Clementis VIII.* 34
ART. IV. *Thomistarum opera superior opinio damnata à Clemente VIII.* 35

SECTIO IV.

An interpretatio Decreti Pontificis à Suare tradita legitima sit, & probabilis. 37
ART. I. *Aperitur status Controuersiæ.* ibid.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [70] - -
PUBLIC DOMAIN

§. 1. *Duo animaduertenda ad quæstionis resolutionem.* 39
§. II. *Hac distinctione conciliantur Doctores.* 40
§. III. *Explicatur vera mens Conciliorum.* 43
§. VLT. *Variæ Theologorum interpretationes & verior Decreti Pontificij.* 44
ART. II. *Satisfit argumentis Theophili.* 46
§. II. *Calumnia Theophili in Dominicanos, præsertim in Morelles & Grauinam, & in Clementem VIII.* 50

ART. VLT.

Præposterum Theophili iudicium.

De Catechismo, & de Rituali Romano. 57

SECTIO V.

Ex Raynaudo tria refelluntur, quibus nimium probabilitatis vsum fouet. 62
ART. I. *Nimiæ Recentiorum laudes quæ in contemptum antiquiorum vergunt, refelluntur.* 63
ART. II. *Suffragium quo Raynaudus omnia Laxitatum genera approbatione operis Tamburini sua fecit expenditur.* 71
§ I. *Notantur variæ laxitates Tamburini.* ibid.
§. II. *Refelluntur varijs testimonijs & argumentis.* 73
ART. III. *An licitæ sint æquiuocationes, & restrictiones mentales.* 84
§. I. *Summa disputationis antiquæ & recentis de restrictionibus mentalibus.* 85
§. II. *Laxitates recentiorum de restrictionibus mentalibus.* 90
§. III. *Tria Tamburini paradoxa ex restrictionibus mentalibus.* 91
§. IV. *Censura Academiæ Louanienſis in iuramenta*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [71] - -
PUBLIC DOMAIN

DISPVTATIO II.

Apologetica pro D. Fagnano contra Caramuelem, & P. Mercoro contra Anonymum. 102

SECTIO I.

Occasio & status Controuersiæ Caramuelis cum D. Fagnano & Anonymi cum P. Mercoro. 103

ART. I. *Occasio scriptionis Anonymi in nostram sententiam traditam à P. Mercoro, & in illam obiectionum summa.* 105

ART. II *Summa disputationis Caramuelis in D. Fagnanum.* 109

§. I. *Summa Epistolæ primæ Caramuelis & Notarum ad illam.* 110

§. II. *Animaduersiones in secundam Epistolam Caramuelis.* 121

§. III. *Examen tertiæ Epistolæ.* 130

ART. IV. *Explicatio status Controuersiæ, solutio primi nodi ex Anonymo, Responsio ad quartam Epistolam.* 134

§. I. *Distinguntur quatuor probabilitatum gradus, & inde eruuntur quatuor Regulæ quibus fit satis Caramueli & Anonymo.* 139

§. II. *Refelluntur Appendices nouem ad Apologema.* 150

SECTIO II.

Examen Epistolæ quartæ. 157

ART. I. *Respondetur generatim ad totam Epistolam.* 139

§. I. *Decurritur tota Epistola, & nihil probare demonstratur.* 160

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [72] - -
PUBLIC DOMAIN

§. II. *An quæstio de probabilitate ad solos Theologos pertineat, an possit etiam à Canonistis attingi.* 162

ART. II *Prima classis argumentorum pro delectu opinionis à lege stantis, ex principiis communibus prudentiæ & conscientiæ.* 167

§. I. *Probatur maior seu prima propositio argumenti, certitudinem requiri ad dictamen conscientiæ.* 168

§. II. *Probatur Minor, seu secunda pars argumenti, hanc certitudinem prudentiæ deesse sequentibus opinionem probabilem pro libertate.* 173

§. III. *Duplex Responsio ad argumentum 1. reijcitur; 2. explicatur.* 175

§. IV. *Impugnatur communis responsio recentiorum, ex reflexione supra probabilitatem, falsò asciscens certitudinem conscientiæ.* 176

§. V. *Repugnat assensus opinatiuus vtriusque partis simul.* 177

§. VI. *Impossibilis est assensus certus vnius partis, si altera sit majoris aut paris probabilitatis.* 179

§. VII. *Impossibilis est etiam assensus certus vnius partis, altera paulo minus probabili contra stante.* 182

ART. III. *Demonstratur illicitum esse assensum certum opinionis pro libertate, contra opinionem pro lege majoris, paris, aut paulo minoris probabilitatis.* 184

§. I. *Ex superioribus deducitur illicitum esse assensum certum opinionis pro libertate, contra opinionem pro lege majoris aut paris probabilitatis.* ibid.

§ II. *Dictamen conscientiæ singulare fieri nequit certum & licitum, sola propositione vniuersali, pro*

libertate probabili , vel sola in illam reflexione 187
§. III. *Repugnat legi æternæ, & prouidentiæ diuinæ, arbitrarius probabilitatis vsus.* 189
§. VLT. *Arbitrario probabilitatum delectui pro libertate , repugnant Patres & Theologi , nec quicquam fauet regula in dubijs standum pro jure possidentis.* 192

SECTIO III.

Secunda Classis Argumentorum pro delectu tutæ opinionis ex diuersis vitæ humanæ & Christianæ officiis. 194
ART. I. *Probatur delectus opinionis tutioris à Religiosorum Instituto.* 196
§. I. *Valet hæc Regula de vtroque Dubio Iuris & Facti.* 199
§. II. *Valet eadem Regula ex lege Amicitiæ cum Deo.* 200
ART. II. *De Religionis candidato & Christiano, in delectu eorum quæ ad salutem credenda sunt , Dogmatum.* 201
§. II. *Refellitur solutio Fabri & Stubrochij.* 202
§. III. *Melior & efficacior methodus cum Hæreticis & Impijs pugnandi , eosque ad fidem reuocandi.* 207
§. IV. *Eodem argumento refellitur resolutio secunda & decima.* 212
§. VLT. *Refellitur resolutio nona.* 217
ART. III. *Probatur opinionis pro lege delectus ab officio Professorum in Scholis , Consultorum, Confessarij, & Medici.* 222
§. I. *Explicatur fusius argumentum propositum ,& triplex gradus aut capnt distinguitur detegenda verioris*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [74] - -
PUBLIC DOMAIN

& tutioris opinionis. 223
§. II. Probatur delectus opinionis pro lege, argumento à Ministris Sacramentorum, & à Medicis. 228
ART. IV. Probatur delectus opiniouis pro lege, ab officio Iudicis, & Principis bellum indicentis. 231

SECTIO IV.

Tertia Classis argumentorum à posteriori, seu à malis quæ ex probabilitatis regula, contra delectum opinionis pro lege, nascuntur. 234
ART. I. Explicatur natura probabilitatis, vnde repetitur generatim vis huius tertij argumenti. 235
§. I. Refelluntur tres aduersariorum responsiones. 237
§ II. Refellitur altera Caramuelis responsio, ad idem argumentum. 239
ART. II. Colliguntur aliquot argumenta à posteriori, pro delectu tutæ opinionis. 244
§. I. Summa & vis duodecim argumentorum, ex D. Fagnano. ibid.
§. II. Superiorum argumentorum summa, quibus alia adduntur eiusdem generis à pesteriori. 254
ART. VLT. Responsio ad obiectiones Caramuelis resolutione decima. 259
§. VLT. Respondetur ad 4. ejusdem resolutionis obiectiones. 263

SECTIO V.

Classis quarta argumentorum pro tutiori opinione, à Testimonijs Scripturæ, Patrum, vtriusque Iuris & Theologorum. 265
ART. I. Nouitas vagæ probabilitatis, male excusatur à Caramuele, responsione ad primam obiectionem. 266
ART. II. Primum ex Scriptura testimonium, contra securitatem cuiuscunque probabilitatis. 278

§. I. *Securitas vagæ probabilitatis repugnat Scripturæ verbis, & exemplis* 276
§. II. *Responsio ad argumenta Caramuelis pro sua sententia, ex Euæ & Adami lapsu.* 278
§. III. *Respondetur argumento pro securitate probabilitatis ab Adami culpa.* 285
§ VLT. *Respondetur aliis quatuor exemplis.* 287
ART. III. *Expenditur probabilitatum securitas, secundo genere testimoniorum, ex Antiquis Patribus & Theologis.* 293
§. I. *IV. Præjudicia ex Antiquis Patribus, & Scriptoribus, contra probabilitatum securitatem.* 294
§ II. *Solutio aliquot argumentorum Anonymi ex tertio nodo contra sententiam P. Mercori.* 300
§. III. *Concluditur argumentum à testimoniis Patrum, & alia ad idem loca adduntur.* 310
ART. III. *Expenduntur testimonia utriusque juris, pro delectu opinionis tutæ.* 316
§. I. *Duarum Regularum Iuris verus sensus, pro delectu opinionis tutæ deffenditur, contra recentiorum interpretationes.* 318
§. II. *Accuratius explicatur regula de potiori iure possidentis.* 323
§. III. *Aliud argumentum à regulis juris Canonici, quid in dubio faciendum.* 328
§. IV. *Perstringitur argumentum Caramuelis, pro laxitate opinionum probabilium, à dispensationibus Pontificiis, & soluitur generatim.* 330
§. V. *Expenduntur septem Caramuelis Exempla.* 335
§. VLT. *Responsio ad argumentum & exemplum dispensationis a voto solemni.* 344

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [76] - -
PUBLIC DOMAIN

SECTIO VI.

Quartum genus testimoniorum à Theologis. Inquiritur mens D. Thomæ, & Respondetur opusculo P. Ferrerij. 351

ART. I. *Pluribus Caramuelis obiectionibus satisfit.* 352

§. I. *Respondetur pluribus objectionibus Caramuelis.* 353

§. II. *Respondetur tribus objectionibus ex D. Thoma & tria vitia deteguntur.* 364

§. VLT. *Respondetur objectioni ex sancta Brigita, & & Angelis Beatis.* 374

ART. II. *Indagatur mens Diui Thomæ de opinionum delectu.* 377

§. I. *Dissertatio grauissima Anonymi aduersus Mercorum de vera sententia Diui Thomæ, & interpretatione Articuli 13. ex quodlibeto octauo.* 379

§. II. *Respondetur argumentis P. Ferrerij, de vera mente D. Thomæ.* 390

§. VLT. *Concluditur nec D. Thomam, nec vllum Theologorum, posse minus probabilem pro libertate opinionem tutam facere.* 401

ART. VLT. *Expenditur Theologorum testimonium & antiqui recentioribus conferuntur.* 405

§. I. *Refellitur responsio vltima Caramuelis ad quartum argumentum.* 408

§. VLT. *Totius Operis conclusio.* 413


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [77] - -
PUBLIC DOMAIN

Errata.

Omissis leuioribus quæ sensum non mutant, & ipse facile Lector corriges, graniora hæc annotabo.

Pag.73.l.14. Italia *l.* Italiæ, p.89. l.15. mendacij *l.* mendaciis, p.130.l.6.pluris *l.* pluries, p.192. l.16. accusemus *l.* accensemus, p.224.l.11.& reipub.*l.* è reip. p.245.l.7.hinc sibi *l.* fit,p.249.l.36. agnoscunt *l.* agnoscant, p. 398. l. 18.non aduersari, *dele* non, p. 405. l.25. discordiam *l.* concordiam.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [78] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [79] - -

PUBLIC DOMAIN

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [80] - -
PUBLIC DOMAIN

DISSERTATIO PRIMA

De vsu probabilium generatim & in re Sacramentaria adversus Theophili Raynaudi exceptiones, seu disputationem de Epistolari confessione & absolutione Moribundi.

DE probabilium opinionum vsu moderando, cum tribus aduersarijs acerrimis, doctissimis, & contraria obtendentibus, disputaturus; putaui è re nostra fore, id est maximam veritati lucem accessuram, si hoc argumentum aggrederer ab exercitatione cum Theophilo, nuper id est postremo per-vigilio Festi Sanctorum, viuis exempto, & vt opto, Beatis accensito. Nam cum eius dissertationi de Epistolari confessione (quod tertium ex eius Libris in Dominicanos editis opus extabat) respondissem, antequam apologema Caramuelis prodijsset in lucem aduersus Fagnanum, & ad meas manus peruenissent Anonymi Authoris nodi, contra basim Mercori, eiusque solutiones; & quasi præsagâ mente subodoratus fuissem, eam tractationem susceptam ad defensionem Dominicanorum resumendam esse, & fusius prosequendam: ea pro Dominicanis Apologia de Sacramento Pœnitentiæ inter absentes administrato, prima tantum huius controuersiæ, lineamenta duxi, & fundamenta posui cum aduersarijs communia, aut quæ vix negare audeant; ex quibus consecutione quasi necessariâ deducemus, ea de quibus minus inter nos conuenit, aut apertè dissentimus. Itaque maximam ex hac primâ exercitatione ad reliquas lucem hauriemus. Et quamuis hæc rationum momenta minime nos vrgerent, ad hunc concertationum ordinem instituendum; consentaneum

plane erat hunc honorem haberi Theophilo, vt sit primo loco; tum quia antiquior est, & iam viuere desijt; & alij adhuc sunt superstites, vt si visum fuerit, ipsius defensionem, aut potius causæ communis, eius nomine suscipere possint; tum quia scholam Thomisticam & Familiam Dominicanam acerbissimè excepit ille author, & miris conuitijs ac calumnijs exagitauit, cum qua nulla alijs intercessit contentio & simultas. Id vero æquitatis & charitatis lex jubet vt tui prius quam extraneorum rationem habeas, tuæque defensioni & saluti antè consulas quam alienæ.

SECTIO PRIMA.

Hujus Dissertationis occasio, Argumentum & Partitio.

SCIRE aues (Erudite Lector) quid nobis intercesserit negotij & litium, quæ origo fuerit contentionum cum Theophilo Raynaudo nostri sæculi polistore, & plurium voluminum scriptore. Cur multi è nostris in illum scripserint, & visi sint acerbius habuisse, quam vellent nonnulli. Sed facilè excusabis, immo & boni consules, hanc nedum iustam, sed etiam necessariam defensionem, si paucis eius causas aperuero, quæ ad rem faciunt, & sunt velut Isagoge ad nostram controuersiam.

ARTICVLVS PRIMVS.

Tres à Theophilo libri in Dominicanam Familiam & totidem in Societatem scripti.

VIDEBOR forte nonnullis sæuire in mortuos, eorum sepulchra diripere, & pios manes sollicitare, si commemorem, & ab origine repetam aduersus Dominicanos disceptationes & simultates à triginta annis susceptas, sopitas interdum, extinctas numquam, nisi fortè vt post aliquot interualla acrius exardescerent, & ex piorum voto ac sensu, æterno silentio obruendas. Mirum sane est, tandiu potuisse adhærescere animo viri aliàs, vt ferunt, à multis vitijs vacui & immunis, non ausim odium dicere, sed certe pessimum, & præposterum de Dominicanis judicium, cui videtur immortuus,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [82] - 2
PUBLIC DOMAIN

nec prius eos insectandi finem fecisse, quam viuendi. Libentissimè ego etiam ex omnium bonorum sententiâ, ab ijs commemorandis abstinerem, quæ non nisi mœrorem & lachrymas Ecclesiæ, heterodoxis vero gaudium sint paritura; si cum morte extincta & deleta essent, quæ in nos exarauit stilo planè ferreo opera. Sed cum extent, & semel edita reuocare non potuerit, nec voluerit retractare; imo vnum ex illis insertum sit decimo quarto tomo librorum eius editionis Lugdunensis: Et cum veritas & innocentia non patiatur se indefensam relinqui, quamdiu supersunt qui in illam pugnant aduersarij, vel illorum libri; hanc deffensionis rationem tenendam existimo, vt in illos quamdiu superstites sunt, & ex aduerso pugnant, acrius agere liceat, ne sibi videantur sapere, & vt insanire desinant, seuerius castigati: vbi verò viuere desierunt, illorum libros censeo sola vi argumentorum refelli oportere: quia cum nullus sit resipiscentiæ locus, acerba disputatione nullius bono consulimus, sed odio, vindictæ, alijsque prauis affectibus nostris indulgemus.

Optandum sanè erat Theophilo humanius ingenium contigisse, & ne perpetuâ iniuriarum memoriâ, aut nimia morositate, & de alijs obloquendi licentia, plures & optimas dotes corrupisset. Multos scriptis insectatus est, nihil tale commeritos: & ipse quadam epistola gloriatur se ita durè *Sex Bambaliones contudisse, vt nullus eorum redactitare ausus fuerit.* Sed præ omnibus Dominicanos sibi sumpsit lacerandos. Odij causas nihil attinet referre; ipse satis euulgauit tribus libris in illos scriptis mordaciſſimis: quorum primo à triginta quatuor annis, alieno nomine edito titulum fecit *Caluinismus Religio Bestiarum.* Eo Dominicanos omnes accusat consortij cum bestijs, & conjurationis cum Caluinistis, ob extinctam, vt obtendit, hominis libertatem, iure causæ primæ asserto secundis in agendo præeundi. Et cum puderet adeo grauis calumniæ ipsummet authorem, prodijt laruatus sub ementito nomine: sed ijs artibus & dolis auxit magis culpam, quam imminuerit. Conscientia quidem & pudor damnandi omnino facti impulit ad quærendas latebras & tenebras. Sed vbi ijs se tectum vidit, quasi Deum & homines latere posset, & in tuto ac probè admitteret quidquid clam & impunè fieret: vt Augustinianam & Thomisticam doctrinam traduceret, cuiusdam Augustiniani cœnobitæ nomen sibi imposuit: & apostatam nescio quem ex Dominicana familia, nomine Ioannem Petrum à Bellis, natione Italum induxit, qui litem moueret,

Banneſio, & toti ſcholæ Thomiſticæ & familiæ Dominicanæ, à qua fingit deſciuiſſe ad Caluinianas partes. Bannem primum (vt inquit) Phyſicæ præmotionis ex Thomiſtis aſſertorem contendit Caluino concordem, & eadem de ſeruo aut extincto arbitrio ſentire. Dici non poteſt, atrociores-ne, an magis ab omni ſpecie veri alienæ ſint, quibus ille libellus ſcatet, calumniæ. Omnia ad libitum ex libidine de Dominicanis detrahendi, ex odio antiquæ traditionis, & doctrinæ ab Auguſtino ad illos deriuatæ & ſeruatæ in hunc diem, conficta ſunt: ſuppoſitum nomen authoris Ioannis de Bellis apoſtaſia commentitia, & ipſemet purum Theophili figmentum. Sed huiuſmodi accuſatio adeo iniqua fuit, vt damnationem Romanam non potuerit effugere.

Certè ſi culpæ atrocitas non poterat ad reſipiſcentiam hominem reuocare, debuerat manſueſcere patientiâ Dominicanorum, qui ijs contumelijs laceſſiti omnino obmutuerunt, vno pacis, modeſtiæ, atque humilitatis Chriſtianæ ſtudio. Sed ipſe ſilentium noſtrum ab ignorantia & ignauia profectum reputans; quaſi omnium noſtrum oculos præſtrinxiſſet ſplendore eloquentiæ, & animos perterruiſſet mole argumentorum, quibus fruſtra obluctaremur; poſt triginta annos ab edito hoc primo libello, alterum longè deteriorem emiſit, cum hoc titulo de *Immunitate Cyriacorum à Cenſuris:* de quo tacere omnino præſtat, quam quidquam dicere; cum omnem fidem & ſtuporem ſuperent, quæ ille plauſtra conuitiorum in nos congerit, quæ portenta calumniarum cudit, quam mendaciorum colluuiem vno libello effudit in religionem de Eccleſia bene meritam; ſed ſibi inuiſam, nulla injuria prouocatus. Si cauſam, ſi argumentum, ſi ſcriptionis genus attendas, nullam vnquam aut ſcribi poſſe agnoſces fine & ſtilo deteriorem. Pudet referre quæ in totum Ordinem, quæ in illius caput Magiſtrum Generalem, quæ in præcipua illius ornamenta, in Albertum Magnum, Diuum Thomam, alioſque ſanctitate, doctrinâ illuſtres ſcripſerit. Et quaſi nihil mali admiſiſſet, cuius illum pudere poſſet & pœnitere: adeo alienus fuit à retractatione duorum ſuperiorum, vt tertium addiderit librum eodem animo & ſtilo ſcriptum, inſertum operi Suares de intelligentia auxilij efficacis, quo aliquas repetit ex ſuperioribus libris calumnias, & nouas adjungit.

Licet juſtiſſimas habeant Dominicani cauſas expoſtulandi aduerſus hunc authorem, illi etiam vicem reponendi, & comprimendi audaciam: & id duabus Apologijs in lucem editis

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [84] - 4
PUBLIC DOMAIN

aduersus secundum opus de immunitate Cyriacorum factum sit, multo moderatiùs quam iniuriarum magnitudo ferret: doloris tamen sensum & iustæ defensionis impetum compressit ipsiusmet Societatis exemplum, perinde à filio male habitæ, ac familia Dominicana. Leniuit etiam animos æquitas R. admodum Patris Oliuæ Vicarij Generalis Societatis, qui libellum de Immunitate Cyriacorum graui censurâ notauit, & à suis legi atque haberi prohibuit. Licet vero mala nostra resarciuerit, ac pro injurijs illatis satisfecerit; videtur tamen Dominicanorum dolori & damno magis ab exemplo ipsiusmet Societatis quam ab authoritate & censura remedium esse paratum. Mirari desino, Theophilum adeo ferum & sæuum in extraneos; cum suæ matri non pepercerit; neque in illam fuerit æquior aut humanior, quam in aduersarios. Cur ægrè feram tres libellos in nos exaratos stilo ferreo, cum totidem scripserit in Societatem? & quod mirere, nobisque solatio esse posset, sed absit; librorum, quos in sui instituti homines aliàs euulgauit, nullus desideratur in editione Lugdunensi: eorum verò quos in Dominicanos edidit, vnus tantum, de absolutione moribundi scilicet, insertus est editioni Lugdunensi; reliqui duo nempe religio Bestiarum & de Immunitate Cyriarum semoti sunt & suppressi. Quod interpretor veluti quoddam retractationis tacitæ genus, & æquitati ac prudentiæ Societatis ascribo, quasi suarum injuriarum patiens, alienas à filijs illatas damnet omnino, & quà potest resarciat. Nec dicas, Societatem à Theophilo leuiter, Dominicanam vero familiam grauissimè, læsam fuisse: nam si vtramque injuriam appendas, parum vna alteri decedit aut præponderat. Quid enim iniquius excogitari possit, quam quod ab ipso filio passa est?

Societas quæ illum Christo genuit, cum reliquis Religiosorum Ordinibus, in Ecclesiam meritis & omni genere scientiarum ac virtutum honestissima æmulatione contendit. Sed cum eius instituti ratio, vix patiatur illum vitæ asperioris & à sæculo remotæ tenorem seruare, quem plerique Ordines sequuntur, nititur id exactissima votorum disciplina præstare. Paupertatem ex Suare & de Lugo colit, præcipue in domibus professis rerum omnium abdicatione, paupertati Franciscanorum parem. De castitate nihil attinet dicere nihilo paupertati inferiore; cum hanc virtutem humilitati sociam adjungat sanctissimus Episcopus Geneuensis, congenito vtrique silentio, vt qui illas religiosius colunt, non sinant de se loqui.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [85] - 5
PUBLIC DOMAIN

Sed ſupra has dotes Rodrigues optimus ſcriptor aſceticus vult, obedientiam eminere, quaſi genuinum characterem Societatis; quo ſublato pereat oportet. Quid ad hæc Theophilus? Nonne huius Triadis virtutum, maximam apud pios omnes de Societate opinionem per totum quà latè patet orbem Chriſtianum ſparſam confirmat & auget? quin potius inumbrat, edito in quamlibet illarum virtutum libro ſingulari aduerſariorum omnium ſcriptis infenſiore. Nam quæ in ſocietatis mores iſti dixerunt, videri poſſent vel ex inuidia vel ex odio profecta.

Sed quid ad has domeſtici accuſationes de mercatura, de ſpurcitia, de tirannide in ſuos vel exteros? non puto Theophilum more & vi haſtæ Achilleæ, quod inflixit vulnus curaturum. Certè ex mente Theophili ſi fides eius libris habeatur, objectiones aduerſariorum, qui Societatem grauant, quod propiùs à Mercatorum auaritia, quam à ſancti Xauerij zelo abſint; quod majori caleant vnionum Indiæ quam ſalutis animarũ ardore, & aliæ id genus querimoniæ, non calumniæ, ſed certa indicia aut iudicia comperta ſunt. Quo quid atrociùs excogitare poſſint profeſſi hoſtes Societatis non video. Libro vno cui titulum fecit Hyparchus ſeu negotiator religioſus, & altero de ſobria conuerſatione cum perſonis alterius ſexus, duo vota ſin omnino neglecta & violata, ad minus incautius periculis expoſita, & diligentius ſeruanda eſſe monet: tertio libro obedientiæ vſum excuſſum vellet, & ſubditos ad ſui imitationem, id eſt ad contumaciam contra Superiorum imperia accendit, cauſatus tirannidem, vt ſolent peſſimi quique rebelles. Libri titulus, eius cõſilium aperit; ſic enim habet: Commonitorium vt ſit moderatio, ſiue agger contra ictum fluuij ſiue tractatio *de humano Religioſorum regimine adhibendo, tyrannico ac violento ablegando.* Lugduni 1657. Sed vt huius moleſtiſſimæ narrationis finem faciam; mirari planè ſubit, ſummam Societatis in ſuos charitatem, & in exteros humanitatem, æquitatemque: nam ſuas injurias quaſi nihil curans, paſſa eſt edi quæ in ſe à Theophilo cenſebantur ſcripta, & inſeri vltimæ editioni Lugdunenſi: vt hoc exemplo doceret, æquo & forti animo ferenda quæcumque calumniarum genera, etiam à filijs illata, & Dauidis in Abſalonem ſæculo noſtro charitatem viſendam præbuit, & æmulata eſt. Sed quæ adeo eſt ſuarum negligens, noſtras vlciſci voluit ſuis decretis. Quid illo æquitatis exemplo dici poteſt admiratione & imitatione dignius, permiſiſſe ſecundam editionem librorum, qui in ſe

exarati erant, & prohibuisse illorum qui in alios, ea insciâ & inuitâ, alias prodijssent? Et nisi Theophilus mutatione tituli de Epistolari confessione eius diligentiam fefellisset, & inscripsisset de absolutione moribundi, crediderim hujus tertij libri sicut reliquorum duorum, qui Dominicanos insectabantur, non passuram nouam editionem; quare cum illi fucum fecerit, boni consulet religiosissima Societas, illum à me hac dissertatione refelli.

Articvlvs Secvndvs.

Argumentum dissertationis de Epistolari confessione Theophili, & nostræ ad illa responsionis summa & partitio.

His breuiter vniuersim perstrictis, accingo me dissertationi longissimæ de Epistolari confessione contra Thomistas, operosius, ac per partes examinandæ; & vbi aberrauit, aut in nos excurrit, refutandæ; vbi primum scriptionis causam, & controuersiæ statum paucis aperuero. Theophilus, pro sua antiquâ cum Bibliopolis Lugdunensibus necessitudine & sumno in Typographos imperio, operi de auxilijs posthumo Suaresij, & occasione controuersiarum Iansenianarum, post plures annos, ab authoris morte publici iuris facto inseruit hanc de confessione Epistolari disputationem, duplici de causa: tum Suaresij propugnandi aduersus decreta Pontificia, tum more suo lacescendi Thomistas. A summis Suaris laudibus exorditur, nihilo inferioribus, ijs quas prima diatriba, de Immunitate Cyriacorum, & vbique ita acerbe exagitat, vt penè blasphemiæ, & hæresis accuset in Diuum Thomam coniectas. Refert à Paulo quinto, nullo citato loco, *indigitatum tamquam doctorem eximium, plurimum in Ecclesia eminentem:* addit *inferiores Antistites fuisse, qui illum habuere pro oraculo, & communem ætatis suæ magistrum, & alterum Augustinum perhonorifica appellatione donarent* Deinde celebrato omnium consensu & ore, huius authoris iudicio & sententiarum delectu, receptum passim notat inter recentiores Theologos; *sententias à Suare traditas, eo ipso, quod illum habent authorem, videri posse probabiles: quia authoris sunt valde accurati, nec desit vnquam idonea ratio, qua sententiam suam muniat.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [87] - 7
PUBLIC DOMAIN

Ex hac communi de Suare ſapientum opinione, nata eſt occaſio huius diſſertationis de Epiſtolari confeſſione ; quod iuuenis quidam Scriptor, licet agnoſcat vnius Suaris nomen ſatis habere ponderis ad conciliandam probabilitatem tutam ſuæ ſententiæ, etiam reliquis Theologis reclamantibus; vnam tamen excipit de confeſſione Epiſtolari aſſertionem, quaſi vni doctrinæ à Suare traditæ, quantacumque authoris grauitas, & rationes conciliare nequeant probabilitatem. At contra hanc exceptionem ipſe excipiendum cenſet ; *ne per huiuſmodi iudicium iuuenile tanti viri exiſtimatio & nomen, vel ex vno capite obſoleſcat*, vnde diſſertationi titulum apponit, *Exceptio contra exceptionem*. Exordium ſumit ab enumeratione longiſſima, earum quæ ad hanc concertationem impulerunt cauſarum, quas ex multis capitibus repetit, nempe ab eruditione infinita Suaris ; à gloria, quæ iſto nomine in ſocietatem redundauit, à merito in Eccleſiam, & in ſcholas Theologicas, à grati animi ſignificatione, vt gratias referat de fructu, quem ex peruolutatione diuturna ſcriptorum eius percepit. Et ne diſpare ſua, & æmuli conditione à pugna deterreatur, aut ſpe victoriæ cadat, quod ſenex cum iuuene decertet ; erigit animum duplici exemplo, primum vnius caballi aliàs generoſi & præ ſenio emeriti, de iuuene leone & ferociente occiſo triumphantis : deinde cuiuſdam Aruerni nobilis multis Monomachijs ætate vegeta clari, à iuuene præſidente ad equeſtre duellum prouocati : *cum tam annoſus eſſet, & podagra prapeditus, & ita viribus defectus, vt nequidem equum ſubire poſſet, niſi inſeruientibus famulis; ſed inter pugnæ initia frigidus ante, in ſenilibus præcordijs ſanguis recaluit, & inſultantem iuuenem, manus tremula certo ictu confodit :* Non diſſimilem Theophilus ſuſcepti pro Suaris gloriâ duelli, ſenis cum iuuene, euentum ſibi pollicetur. Fruatur hac ſpe, per me licet ; quamquam poſſet augere diſcrimen inter rem ſubjectam, & exemplum annoſi nobilis & caballi ; quod in hoc vel cum leone, vel cum iuuene duello ſenectus vires minuebat. At Theophilus ad hanc concertationem nihil adhibet, niſi quam ſenectus in illo auxit amarulentiam, garrulitatem, & alia id genus vitia, quibus florens ætas minus quam deuexa, & poſtrema laborat.

De Suaris vero laudibus, non eſt quod admodum contendam. Condono illi elogia quæ refert, & multo plura, quæ Collegium Conimbricenſe plenis manibus in illum congerit. Malim enim in hanc partem deflectere, propter egregia viri merita, quam in aduerſam ſententiam, non ignobilis authoris,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [88] - 8
PUBLIC DOMAIN

qui animaduertit, ac reprehendit (iure an iniuria) *paucas esse paginas* Suaris in quibus mox aperto libro non se offerant legẽtis oculis *errata & hallucinationes modo ridiculæ & leues, modo maioris momenti,* & quæ *insigniter vapulare mereantur apud Ecclesiasticæ doctrinæ & scientiæ Theologicæ conscios: eumdemque nihil magnum habere, quam suorum voluminum molem, quam vocat ex variis priorum Scholasticorum scriptis collectitiam farraginem, nullis propemodum Theologicis fundamentis extructam, sed errabundæ sine duce, humanæ rationis excursibus compilatam.* Hæc fateor iniquius dicta. Neque solum extranei in Suarem iniurij sunt, sed multi etiam suorum non videntur eo loco, quo conuenit habere virum doctissimum & iuxta piissimum: vnde cum Vlyssipone in Ecclesiâ domus professæ, illius sepulchrum (quo venerationis causa auebam accedere) à Patre grauissimo & nobilissimo eiusdem familiæ; qui me deducebat, quæsiuissem, quo loco esset, miratus sum ab illo ignoratum, nec potuisse nisi aliorum indiciis ostendere. Iacet autem in Sacello ad dextrum latus maioris altaris, ab vno eius discipulorum sibi, & suo Magistro in sepulchrum extructo & ornato. Puto etiam illi iniuriam irrogari, quod Vasques à nonnullis ipsi æquetur, & à quibusdam etiam anteponatur. Illud ægrè tuli, quod cum Suaris Metaphysica, aliique libri Theologici diu noctuque legerentur, pene eos è manibus lectorum excusserint, Arriaga, Ouiedo, Ripalda, & alij his similes; qui ni fallor, subtilitate magis & ingenio, quam iudicio, aut solida doctrinâ valent. Hi tamen nouitatis vel argutiarum lenociniis, communis Magistri titulum Suari assertum, videntur apud iniquos Iudices, aut præripuisse omnino, aut dubium effecisse: quamuis hoc discriminis interfit, Suari cum huiusmodi nuperis Scriptoribus, quale rei rusticæ periti statuunt gallinas inter & pauones. Illas longe anteponunt istis, si rei familiaris ratio habeatur, quod hanc gallinæ magno pullorum & ouorum prouentu augeant, pauones vero nihil conferant, nisi ex variis coloribus, & caudæ aspectu aliquam voluptatem, quam multo dispendio ac tectorum ruinâ redimas, oportet. Ita Vasques, Ouiedo, aliique Suaresio infensi, subtilitatibus quibusdam possent forte cum illo contendere, at longè sunt inferiores in Ecclesiam, & in religionem meritis. Vnus Suares diuum Thomam imitatus mysteria fidei, fundamenta pietatis nouis argumentis confirmat, eruditione illustrat; Arriaga vero & Alij magis te docent disputare, & solida quæque in dubium reuocare, quam aut recte viuere aut credere. Quidquid sit certe Suaris honor

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [89] - 9
PUBLIC DOMAIN

iudicium diligit,& perinde aberrant, qui nimiis illum laudibus efferunt, quam qui acerbius insectantur, qui Ouiedo & Ripaldam Suari, quam qui D. Thomæ, & Augustino Suarem æquant. Atque vt eo redeat oratio,vnde Profecta est;non assentior, his tribus de Suare assertis totâ disputatione,quorum primum ponit, Theophilus tamquam ab Aduersario concessum, (quodque impugnandum suscipio) satis habere Suaris vnum nomen Authoritatis, vt possit probabilem, & certam reliquis doctoribus tacentibus, aut reclamantibus,opinionem,qualibet de re constituere. Secundo id effecisse de integro pœnitentiæ sacramento; id est de confessione, & absolutione scripto datis, ante Clementis decretum. Tertio probabilitatem tutam conciliasse eundem authorem Clementis decreti interpretationi, qua ait prohiberi à Pontifice confessionem & absolutionem inter Absentes copulatiue, non disiunctiue. Ad hæc tria capita, totam exercitationem reuoco: quæ vbi diligenter discussero, nihil prætermissum erit ex Theophili dissertatione, quod sit alicuius momenti. Id maxime enitar demonstrare,vsum & delectum certæ & tutæ opinionis probabilis non ita arbitrarium esse & versatilem, vt mutari possit successu temporis & iudicio Recentiorum,vel cuiusquam doctoris classici;sed omnino repetendum ab ipsa de qua agitur rei naturâ, vt demonstratum eo sequenti sectione.

SECTIO SECVNDA.

An Suaris Authoritas, vel cuiusuis doctoris classici de qualibet re opinionem probabilem & securam efficiat, vbi de vsu probabilitatis generatim.

HVIVS controuersiæ primam partem omnium grauissimam, & reliquarum cardinem pene intactam prætermisit Theophilus, aut reliquis duabus permiscuit. Ego contra seorsim tractabo, & iaciâ fundamenta quibus aliæ inædificentur. Magnâ contentione,& maioribus ac frequentioribus libris,hoc sæculo nostro agitatam controuersiam de opinionis probabilis vsu, neque pro dignitate tractare, neque omnino præterire patitur hic locus; vt constet, ad minus hoc inde an tanta sit Suaris, vel Alterius Theologi authoritas, vt cæteris intercedentibus, opinionem à se inuentam reddat probabilem & tutam, etiam in re sacramentariâ, quæ ad salutem requiritur ex medij, vt vocant, efficacia & necessitate.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [90] - 10
PUBLIC DOMAIN

Articvlvs Primvs.

Referuntur tres hac de re ſententiæ & vera eligitur.

Quod ad priorem quæſtionem attinet, id maxime obſeruandum eſt, probabiles opiniones duplicis generis eſſe; quædam ſunt de rebus ex præcepto tantum, quædam vero de rebus, vt & efficacia medij & cauſæ neceſſariis, etiam ſi auferas præceptum: vt alimentum ad vitæ incolumitatem, matrimonium ad humanæ naturæ propagationem ex vtroque capite neceſſaria ſunt; quia aliàs indiuidua, & genus humanum deficerent, niſi in ſubſidium eſſent cibus & generatio. Deinde ſingulis generum Deus præcepit, vt comedant, & generibus ſingulorum, vt celebrent matrimonium. Atque hæc duo neceſſarij genera, ex præcepto & medio interdum in vnam rem cadunt, interdum ſejuncta ſunt. Recentiorum nonnulli ita probabilitatibus indulgent, vt ad illas exigi poſſe cenſeant omnem vitæ humanæ, & Chriſtianæ actionem. Vnde ſi quid probabilitatis affulgeat etiam ab vnius Doctoris pij & eruditi authoritate, & ratione veriſimili, eam ſententiam, licet minus probabilem, licet contrariam communi, quæ vtrique neceſſitati ex præcepto & medio conſulit, tutam eſſe. Quibuſdam vero viſa eſt nimis laxa, & periculoſa hæc probabilium opinionum licentia; vnde cohibendam cenſent, ad id genus rerum, quæ ex præcepto tantum ad ſalutem exiguntur, cum loco remedij, ignorantia eſſe poſſit, vt nouum peccatum amoueat. At ſecus ſentiunt de rebus ex altero capite, nempe ex medij efficaciâ neceſſariis: ad quas nolunt ſatis eſſe, quamlibet probabilitatem ab vnius Doctoris nomine & argumentis inductam: tum enim ſtatuunt tutiorem & probabiliorem opinionem eſſe ſectandam.

Paragraphvs Primvs.

De rebus ad ſalutem neceſſarijs neceſſitate medij, tuta ſententia eſſe nequit, niſi ſtet pro lege, quamuis aduerſa ſit paris aut paulo majoris probabilitatis.

Discrimen modo inſinuatum, exiſtimo omnino admittendum eſſe in re ſacramentatiâ, in remediorum delectu à Medicis faciendo ad curandos morbos, in iudiciis fo-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [91] - 11
PUBLIC DOMAIN

rensibus, cum res suo Domino vindicanda est, vel reus multandus : in fidei & religionis controuersiis, cum eligenda est Ecclesia, cui adhæreas; & in dubiis facti, cum ex ignorantiâ imminet proximo damnum, ne dum putas, te feram occidere, hominem interimas ; denique in his omnibus quorum præcipuus, ac pene solus qui obtenditur, & qui secuturus est effectus, à medij quod adhibes magis vi & efficaciâ, quàm ab affectu, vel consilio tuo, proficiscitur & existit.

Si verò quæras, quid causæ sit, quod liberior & latior permittatur opinandi vsus de rebus merè præceptis seu naturali, seu humanâ lege, quam de rebus medij & causæ efficaciâ ad salutem necessariis : hoc discrimen summe obseruandum ab altero repetunt, quod Theologi omnes intercedere agnoscunt res inter primi & secundi generis ad salutem necessarias. Quæ enim ex solo præcepto exiguntur, ad id tantum adhibendæ sunt, vt amoliantur nouum peccatum, quod violato præcepto incurritur, & saluti esset impedimento. Id vero omnino amouet ignorantia, & multo magis probabilitas in rebus dubiis ; maximè si frustra speres euidentiam, nec vllâ industriâ consequi possis. Ne igitur homines de sua salute sollicitos torqueant, eam statuunt regulam, quam certissimam volunt ; nihil peccare, neque vllum adire periculum salutis, qui ex opinione etiam minus probabili agat. Quis enim probabilitati neget, quod ignorantiæ multo probabilitate deteriori vltro concedet, quod culpam eleuet, aut in totum tollat ? Quis minus probabili contendit, nullam inesse partem illius securitatis, quæ plenior inest probabiliori ? Id ergo vnum prudentia vitæ humanæ rectrix iubet, ne incertus & inops consilij agas: potes autem fluctuantem hinc inde animum firmare, hac immotâ regulâ, singulas actiones, & totam vitam posse citra periculum, & noxam probabilibus instituí, cum aliunde, certis & euidentibus nequeas vbique duci.

Sed qui res præceptas indulgent, vt libuerit ex probabilibus administrandi & regendi facultatem, multo parciores sunt, cum ventum est ad res quæ non solum peccati impedimentum amouent, sed etiam causæ sunt salutis aut rei obtinendæ effectrices. Quæ si desint, ignorantia aut probabilitas ad summum prodessent, ne fortè nouum peccatum pecces, minimè vero vt saluus fias, aut optato bono fruaris. Tum enim totis viribus enitendum est, vt certiora captes, aut *viciniora saluti*: & si de diligentiâ aliquid remittas, tibi imputabitur ad culpam, quam nec eluet, nec eleuabit ignorantia, aut quæcumque probabili-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [92] - 12
PUBLIC DOMAIN

tas opinionis, si minor sit, aut minus tuta probabilitate partis aduersæ, quæ consulat præcepto, saluti, aut bono efficacius consequendo. Quis enim excuset medicum, cui cum suppetant varia ad curandum ægrum remedia, omissis certis & efficacioribus, dubia adhibet, quia habent aliquid probabilitatis? quis Venatorem absoluat reatu homicidij, quod hominem occiderit, causatus sibi primo aspectu visum esse feram? quis Parrochum ferat, qui relictâ certâ materia & forma sacramentorum, dum ea administrat, probabilibus vti sit contentus? Quis ab eo Confessario aut Directore non abhorreat, qui author sit his qui se adeunt & consulunt, vt minus tuta & probabilia sequantur? Quis Iudicem non damnet, qui in causâ dubiâ seu, quod perinde est, vtrinque probabili vel reum, nec conuictum, nec confessum, sed ex probabilibus suspectum, pœnâ iuris multet, aut putet sui arbitrij esse possessorem bonis deiicere, vt eius loco sufficiat æmulum probabilitate parem, aut etiam inferiorem? Certe Suares, Comitolius, & plures alij etiam ex Societate sapientissimi Theologi, hos omnes, à me enumeratos, grauant maximi peccati reatu, si probabilibus contenti, tutiora reiiciant.

Paragraphvs Secvndvs.

Idem censendum est de delectu opinionum probabilium circa res ex solo præcepto à lege naturali ad salutem necessarias.

Sed ab omnibus his Medicorum, Iudicum, Venatorum, Parrochi, Confessariique exemplis, ipsi Suari probatis & receptis, euinco nullum esse superioris sententiæ, quam ipse probat argumẽtum in rebus solo præcepto necessariis, satis esse minorem probabilitatem, ne conscientias torqueamus anxiâ euidentiæ, quæ sperari nequit, aut probabilioris partis inquisitione: ac proinde tutò nos stare posse minus probabili. Nec alicuius momenti est quod vrget Stubrockius contra VVendrochium, probabilitas ignorantiæ prestet ad peccata amolienda. Si hæc apud te ratio, quæ vnica est tuæ opinionis, & securitatis fundamentum, valeat, hos omnes quos enumerauimus Medicos &c. eximis à probabiliori & tutiori sententiâ quærendâ, aut sequendâ; cum nec possint euidentem rerum notitiam sibi comparare, nec minus eorum tranquillitati, quam cæterorum hominum sit consulendum.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [93] - 13
PUBLIC DOMAIN

Sed inquies, qui de rebus præceptis, quid facto sit opus, ex minus probabili opinione prospiciunt, nihil damni inferunt proximo, neque sibi vllum ascisscunt periculum, neque Deum vllâ iniuriâ afficiunt, neque à lege sibi notâ aberrant, vel à ratione & prudentiâ: quia regulam sequuntur probabilitatis, id est moraliter certam, quod vnum videtur prudentia exigere.

Verum hæc responsio, quâ sententiæ aduersæ tota vis continetur, (vt Theophili verbis vtar) vndique rimas agit, & multis vitiis laborat, maxime apertâ petitione principij, nullo etiam verisimilis argumenti genere adhibito, nisi forte authoritate recentiorum Theologorum à triginta annis quod periculo non caret. Legi aliquot Patronos huius opinionis: nullum ex Patrum traditione locum citant: immo omnibus his præsidiis se destitutos profitentur. Objecerat Vẽdrochius disputatione de probabilitate sectione tertiâ consect. tertio, etiam si aliæ probationes illum deficerent, ad illius doctrinæ, quæ opinionem quamlibet probabilem sequentibus securitatem spondet, vanitatem ostendendam, satis esse, quod illius apud Patres ne vestigium quidem appareat; vt ex eo cerni potest, quod nullus omnino à Casuistis ad eam stabiliendam, vel Scripturæ vel Patrum locus afferatur. Quid ad hæc Stubrochius respondet? Sanctos Patres supposuisse hanc doctrinam, non probasse. Sed hoc est causam probabilitatum prodere potius, quam defendere, Hæreticorum in Theologiam calumnias confirmare.

Non est dubium, quin ea quæ in Scholis regnat disciplina, apud nonnullos Catholicorum, & apud Hęreticos fere omnes male audiat. Vnum dicam: id compertum habeo, Catholicos qui reprehendunt interdum morosiores esse: Hęreticos vero iniquissimos censores, aut potius demorsores acerbissimos; qui vitio vertant, quę non modo excusanda, sed etiam laudanda sunt, & magnam habent vtilitatem etiam cum subtilitate conjunctam. Verum licet iniquę, vt plurimum sint eorum querimonię, tum maximè, cum vniuersim omnes Theologos, ne excepto quidem Diuo Thoma carpunt; non immerito tamen arguunt illos, qui vitę humanę & Christianę regulas (qualis est illa de vsu probabilitatum) nouas ex *præsentium*, vt inquiunt, *temporum*, *& rerum statu inuehunt*, Sanctis Patribus inconsultis, & interdum etiam reclamantibus. Quid enim magis ab omni probabilitate alienum, quam quod ex Stubrochio retulimus, Sanctos Patres supposuisse, hanc de probabilitate regulam, quasi certam & ab omnibus receptam? Vt taceam, hoc

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [94] - 14
PUBLIC DOMAIN

responsum apertissimam esse petitionem principij; grauioribus etiam vitiis laborat. Quis sibi persuadeat, Sanctos Patres, eam prętermisisse veritatem, quam totius Theologię Moralis volunt puppim esse & proram? Quam vnice vrgent, quâ nullam frequentius in ore habent, aut suis libris repetunt, quâ nullam censent maioris esse momenti & vtilitatis ad animarum tranquillitatem & salutem? Quis credat adeo tutum & necessarium probabilitatis vsum altissimo silentio compressum, vt ne verbum quidem hac de re extet ex scripturis Canonicis, aut summorum Pontificum decretis, nullum Sanctis Patribus exciderit, quod eius patroni possint ad suam defensionem arripere; cum hodie & à triginta annis totus orbis ea controuersia perstrepet? Certe non minus stupenda videtur hęc rerum immutatio à silentio ab animorum consensione, ad tot vociferationes & discordias, quam quę Euangelij prędicatione vnius Dei cultu, expulsis Idolis, in orbem inducta est, vt Isaię verbis exclamandum sit, *quis credidit auditui nostro!* & *verbum Domini cui reuelatum est?*

Sane multi videntur non admodum Theologię dignitati, ne dicam animarum saluti consulere, qui de hoc laxiore probabilitatum vsu statuunt distinctionibus quibusdam Metaphysicis à se inuentis, definitionibus nuperis & omnino voluntariis, & cauillis nescio quibus, nullo adhibito Patrum testimonio. Licet iam perstrinxerim paucis, quę fusissime Authores prosequuntur; id tamen commodi ex hac nostra compendiaria tractatione habere potes Erudite Lector, vt nihil te lateat eorum, quę de hoc argumento in vtramque partem Theologi scripserunt, & facile depellas, quę probabilitatum defensores, maximè Stubrockhius & Honoratus Fabri nuper objecerunt: ea breui expendam.

Articvlvs Secvndvs.

Confirmatio superioris doctrinæ responsione ad Dialogum Fabri de hoc argumento.

Pater Fabri suum Dialogum, aut Opusculum de opinione probabili orditur à reprehensione apud suos familiari, quasi nullam probabilitatem admittamus: & hoc perinde putat ac solem de mundo tollere, & fidem humanam, atque etiam religionem quę probabilibus nititur, abrogare. Vnde secunda

ſui Dialogi pagina ita habet, *Diſſertationes illas clamoſas etiam & inconditas, vtcumqne tolerandas eſſe putarim, modo tamen rebus ſacris & Religioni parcatur: ſed ne quid diſſimulem, illas ego ferre non poſſum, qua doctrinam morum & fidei in graue diſcrimen adducunt.* Tot malorum originem aperturus, ſubjungit: *Nec mirum, quid enim ab ijs probabilia expectes, qui ex Catholicorum Scholis receptiſſimam probabilitatis doctrinam, tamquam multiplicis erroris originem proſcribere conantur?* Et ſubinde excurrit in eum locum de neceſſario probabilitatum vſu, in Scholis, in pulpitis, in foro, & roſtris apud omnes recepto.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Immerito nobis obijci probabilitates ex noſtrâ ſententiâ in totum tolli.

MIRARI plane ſubit hęc à graui Theologo dicta: quid enim aliud, aut quid atrocius ſcripſiſſet in apertos fidei & generis humani hoſtes? ſed qua veri ſpecie qua fide nos grauat tanto odio, qui id vnum obtendimus in religionis delectu, in vitâ humanâ & Chriſtianâ inſtituendâ, tutiores dubiis opiniones eſſe anteponendas. Hoc ne eſt doctrinam morum & fidei in graue diſcrimen vocare? nec minus eſt ab omni probabilitatis ſpecie aliena, altera accuſatio, quod probabilibus bellum indixerimus, & illas extinctas velimus; cum ex ipſiuſmet controuerſię conſtitutione conſtet, nos varios probabilitatum gradus, & diuerſa genera diſtinguere & probare. An probabilitates omnino profligamus, qui etiam dubia ad vſum reuocanda docemus? Videlicet cum duo diſparia mala imminent, nec grauius amoueri poteſt, niſi dubię & minus probabili adhęreas ſententię, quę tunc fit certiſſima. Hęc ne dicã, Honoratus Fabri & Stubrockhius doctiſſimi Theologi, ſed ne vix quidem è plebe ruſtici ignorare poſſunt? Qua ergo ratione putant aliquid probabilitatis ſubeſſe, huiuſmodi cauillis & accuſationibus? Sane huiuſmodi diſputãtiũ artes & fraudes, quas ne in Circulatoribus feras à Theologis vſurpatę grauiſſimam Theologię inuidiam creant, & iamdiu inuiſam malis, bonis etiam ſuſpectam faciunt. Vno verbo totam hanc calumniam diſpellam. Probabilitates tũ nobis tantum diſplicent, cum illis ineſt periculum, ne nos ab officio abducant, & in nouum peccatum impellant: id vero accidit

accidit solum, si è duabus opinionibus probabilibus, æque aut minus, vel etiam magis probabilem eligas, sed minus tutam; id est eam, quę fauet tuę libertati, alteri anteponis, quę stat pro officio, & pro lege. Cęterum pręter hoc vnicum exemplum, quod in agendis tantum valet, plenam probabilitatum tibi copiam facimus, & liberum vsum indulgemus. Nimium auidus sis, nisi ea tibi liberalitate satisfactum sit. Probabilium opinionum, quę ad speculationem pertinent, sed disputandi, atque ingenium acuendi causâ in Scholis agitantur, omnibus optionem damus. In rebus etiam quę ad societatem humanam spectant, per me licet, largissime frui probabilibus, quę fauent officio, & conscientię consulunt. Volo etiam liberalior esse, permitto quę nihil possunt formidinis injcere, ne in legem pecces. Præterea omnium probabilitatum vsum concedo, qui desinet in certitudinem moralem: quo duplici via itur. Primam tutissimam aperit Merenda, alteram munit D. Fagnano. Ne dum probabilibus, sed etiam dubiis locum damus, cum impendent duo mala; tum enim dubia, tutissima & certissima sunt, cum vsui sunt, vt grauius malum auertant: atque ita censet Merenda probabilitatibus infensissimus. D. Fagnano etiam addit probabilia commodè adhiberi, non vt singulis adhæreas, sed vt plurium collectione constituas certitudinem moralem ex probabilibus junctim, non seorsim extituram: sicut fides humana vnius aut alterius testis, probabilis ad summum est: sed si plures jungas probos, nullo secum inito consilio concordes, ex multis probabilibus & dubiis, atque incertis argumentis, certam ad minus moraliter conclusionem & regulam, sancies; quam qui sequuntur, nihil aberrabunt. Desinant ergo rhetoricari Fabri, Stabrockhius, & alij, & nos quasi generis humani & religionis, id est probabilitatum hostes traducere. Probabilitates vltro admittimus, probabilitatum abusum ex animo auersamur, cum vel minus, vel æque, aut etiam magis probabilis anteponitur tutæ, quæ fauet officio, quod quisque implere debet quale est medici & iudicis, &c.

Paragraphvs Secvndvs.

Opinio probabilis male definita à Patre Fabri.

Controversiæ statum, semotis ambagibus & tenebris, quas offundunt Aduersarij, distinctè, ni fallor aperui;

mus. Nunc pro veritate, & salute hominum pugnandum est. Ad probabilitatis vsum, quem Recentiores docent, quem nos damnamus, Stubrockhius & Fabri viam sibi muniunt, tum definitione probabilitatis, tum regulâ ad quam velint exigi quascumque probabilitates, maximè de agendis, quas hic tantum curamus. Ita enim definit Fabri; opinio probabilis illa est, quæ ex rationabili motiuo procedit, *citra certitudinem*, rationabile autem motiuum vocat, *quod licet vi objectiuâ, assensum non extorqueat, ad assensum tamen prudentem mouet; id est, quem si dederis, prudenter te fecisse homines sapientes iudicabunt*; neque à Fabri sensu abest Stubrockhius pagina 48. Eâ vero definitione constitutâ, vno verbo, vnâ distinctione putant, se profligare, quæcumque in eos argumenta congeruntur. Si opinio probabilis ea est, quæ prudentem assensum præbet, ergo est tuta moraliter; ergo nihil periculi infert conscientiæ & saluti. Quid non inde deducant? sed conueniebat tantæ moli astruendæ præiactum fundamentum paulò solidius esse; neque definitionem, probabilitatis confici ijsmet verbis & rebus, quæ disputationi materiam præbent. Quid enim apud nos dubium est, & controuersum maxime? nempe an quæcumque probabilitatis, quæ libertati fauet, par, aut inferior illi quæ stat pro officio & salute, electio & consensus prudens esse possit. Hæc controuersiarum quibus feruent scholæ, & perstrepit totus Orbis, summa est. Eas vero se putant profligaturos, si probabilitatis definitioni inferant aut assuant verbum, quod totius discordiæ seminarium est. Si velis synonima esse verba *prudentem & probabilem opinionem*, quamuis minus probabilis, prudenti ac rationabili argumento nitatur, tenebras non lucem disputationi offundis. Denique definitionem tuo priuato sensu ad tuum commodum fabricas, quam non minus nobis licet, immo necessarium est, reijcere, quam tibi liberum fuit comminisci. An putas prudenter acturum Parrochum, qui solemni & receptâ formâ baptismi prætermissâ, istam vsurparet, Ego te Baptiso in nomine Genitoris geniti & ab vtroque procedentis, quam omnes concedunt Cajetano probabilissimam, sed negant prudenter, adhiberi posse? Possem sexcentis exemplis conuincere, aliam prorsus esse probabilis, aliam prudentis opinionis & vsus rationem. Sed maximam argumentorum copiam suppeditant, contra definitionem Fabri, quæ de Medico, Iudice, Venatore, & religionis candidato diximus: apud quos, non quæcumque probabilia, sed nec etiam probabiliora prudenter permissa

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [98] - 18
PUBLIC DOMAIN

sunt. Quid enim ne dicam probabilius, sed fore certius illâ sententiâ, quæ ad sacramentalem absolutionem satis esse docet attritum accedere? sed multis probabilitatis defensoribus, maxime Sanches non videtur tuta & prudens, dum instat mortis periculum, tunc enim monent pœnitentem vt totis viribus eniteatur, in contritionem perfectam erumpere. Ergo diuersissima sunt, probabilis opinio, & prudens assensus aut vsus, nisi velis probabilitatem mutari pro temporum & rerum perpetuâ vicissitudine. Neque abnuerem, si velles hanc probabilium mutationem aut rationem repeti à periculo peccati aut salutis: & tum in nostram sententiam recident recentiores, variatâ tantum formulâ loquendi, nempe opinionem quamuis verisimilem, neque tutam aut prudentem, neque vllâ ratione probabilem dici, si pro libertate stet, aut vtilitate, contra præceptum, honestum & officium. Nos *probabilem* diceremus, *non prudentem.* Verbis tecum conueniemus, dummodo tu reipsa nobiscum consentias. Nega *prudentem esse*, nos etiam negabimus esse *probabilem*; & tùm erit vna vox, vna mens omnium nostrum, nullam esse opinionem *probabilem*, nisi eadem sit omnino *prudens & tuta*, nullam vero prudentem, quamuis verisimilem, si pro vtilitate, stet contra honestum.

Paragraphvs Tertivs.

Vera definitio opinionis probabilis quâ superiora confirmantur.

Verum cum vix sperare possimus hanc vocum & sensuum concordiam, alia nobis Ineunda est definiendæ probabilitatis ratio. *Probabile ergo dicimus illud, cuius cum de veritate, aut falsitate, præ nostrâ ignorantiâ, & rei ineuidentiâ, nihil certo nobis constet, aliquam veri-similitudinem habet, cui assensum damus formidolosum; ne forte falsum subsit, & auricalcum potius sit, quam aurum obrisum.* Seu probabile est, *cui verum, aut falsum inesse potest, propius tamen videtur à vero, quam à falso abesse, & variis argumentis magis in hanc partem inclinamus.* Caue tamen, ne vbi primùm in animum induxeris, hunc assensum opinatiuum, seu, quod apud nos idem est, probabili opinioni te accommodaueris, & aliquo rationum pondere demiseris, tibi licere putes ad opus & ad vsum reuocare: quod vnum videtur obtendere Pater Fabri suâ illâ definitione opinionis probabilis, & plane consequere-

tur, si idem esset, quod *prudens assensus*. At nos, cum ista disjungamus, & opinionem probabilem velimus idem esse ac verisimilem; si eâ semel perceptâ, quis ad opus progrediatur, non exclusâ prius falsi formidine : certe nihilo minus peccaret, quam Venator, qui primo aspectu suspicatus, aut si velis probabiliter opinatus, non tamen certus, quod sibi occurrit feram esse, hominem feriat & occidat. Ergo diuersa ratio est *opinionis probabilis* & *assensus prudentis*. Nisi distinguere placet duos prudentiæ gradus, vnum ad assensum speculatiuum, alterum ad opus, atque ad officium. Dabo, opinionem illius Venatoris feram sibi occurrere, probabilem esse & formidolosam, sed ad emittendam sagittam imprudentissimam pronuntiabo. Ex his ergo omnibus constat, definitionem P. Fabri ambiguam esse, aut malam omnino, atque his quæstionibus dirimendis inutilem, & quæcumque illi astruxit, id est totum fere Dialogum prorsus nutare, & in ruinam præcipitem abire. Duo tantum indicabo, quæ ex illa definitione arripit. Primo pag. 4. non videtur serio agere, aut bonâ fide, cum dicit, Nos haud dubiè nugari, qui omnem opinionem falsam, quamuis alioqui probabilis sit, à doctrinâ morum excludimus. Et subinde contra nos arguit, vel *omnem probabilem opinionem reprobamus, (quod sine stultitiâ*, inquit, *dici nequit) vel aliquam admittimus? & quanam porro illa erit?* vbi nobis falsam affinxit responsionem, acriter quasi nostra esset, impugnat. Sed hæc omnia argumenta occupauimus primâ obseruatione, quâ monuimus nobis, probabilia quæcumque non displicere, sed ea tantum, quæ voluptati & commodo fauent, contra officium & salutem. Vnde mirari subit, quod cum ignorare nequeat, infinitas esse vbique opiniones inter se pugnantes, cum de salute & conscientiâ agitur; ipsi videri, omnes modo probabiles sint, siue officio consulant, siue commodo, æque tutas esse, id est ab omni periculo peccati perinde remotas, siue pro præcepto stent (quâ ratione; ne minima quidem suspicio peccati illis subesse potest) siue indulgeant libertati, vnde omnia peccata prorumpunt. Sed Doctissimo Theologo placet iuxta constitutam probabilitatis definitionem omnia æque in tuto posita, quamcumque eligas opinionem. Magis optandum est, quam credi possit veram esse, quam promittit securitatem.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [100] - 20
PUBLIC DOMAIN

Paragraphvs Qvartvs.

Reijcitur Regula probabilitatum P. Fabri nihilo melior illius definitione.

Neqve mihi melior videtur regula, quam probabilibus statuit P. Fabri sua definitione, cum vult exigi ad præsentem potius rerum statum, & ad recentiorum Theologorum sensum, quam ad Antiquos Ecclesiæ mores, aut ad sanctorum Patrum mentem & scripta; quasi de agendis negligenter tractarint, aut illa prætermiserint omnino, aut ignorarint, aut minus acuratè inquisierint, quam moderni Casuistæ Theologi. Id forte excusari posset de rebus constitutis iure positiuo, aliqua ex parte quod in dies mutatur, aut de quibusdam quæstionibus minutioribus, quas vix SS. Doctores conueniebat attingere. At quis ferat ista dici de his, quæ ad legem diuinam, seu naturæ, seu gratiæ pertinent? quasi iuris Diuini nuperi Theologi, consultiores sint Augustino, Basilio, aliisque sapientissimis Ecclesiæ Doctoribus? Quis credidisset ista in contemptum præteritorum sæculorum aliquando dictum iri? neque enim de rebus nihili quis agi credat, cum de morum regulâ, cùm de vsu probabilitatum disputamus, à qua controuersiâ excluſos volunt Antiquos Patres, & solos Doctores nuperos audiri. Plane summa disciplinæ Christianæ & Apostolicæ traditionis authoritas in apertum discrimen vocatur. Nam, vt prudenter monet Mercorus Partis secundæ articulo 26. cum Christus jussit Apostolis, docere populos seruare omnia quæcumque ipsis mandauerat, non est credibile prætermisisse modum quo dicta præcepta essent obseruanda, qui totus in eo positus est, vt scias, quænam è multis, quæ occurrunt, probabilibus opinionibus tutò & prudenter sit eligenda: & vtrum anteponendæ sint, quæ saluti ex officio consulunt, vnde nullum potest existere malum aut periculum ijs quæ voluptati concupiscentiæ & libertati indulgent; vnde timenda sunt omnia illa scelera, quibus sæculum & totus orbis flagrat. Hæc potius explicuimus quam probauimus Disp. 2. quatuor classibus Argumentorum accurate confirmanda.

PARAGRAPHVS VLTIMVS.

Conclusio & compendium totius Dissertationis.

IIs breuiter obseruationibus prœmissis, totius controuersiæ arcem placet vnicâ argumentatione inuadere. Vel vbique, nullâ excepta materiâ, das optionem opinionis, æque aut minus probabilis, quæ libertati fauet, & censes tutò & prudenter anteponi sententiæ, quæ consulit saluti & honesto; vel hunc laxiorem vsum probabilitatum vis aliquo fine cohibere inter res præcepto ad salutem necessarias, nec pateris pertinere ad omnia vitæ humanæ & Christianæ officia, seu ad res efficaciâ, causæ & medij necessarias? Atqui quidquid horum asseras, vtrumque improbabile est: ergo non est admittendus vsus probabilitatum, nisi intra hos fines contineas, ne vmquam, quamdiu dubia res est, aut vtrinque probabilis, commodum officio & libertatem præcepto anteponas. Licet ij Authores, qui probabilitatibus portam aperuerunt, inter se dissentiant, & huiusmodi discordiis pene seipsos conficiant, tamen ad duo capita reuocantur. Eorum sensus & dissentiones accuratè inquisiuit & refert Mercorus parte 2. art. 27. Pascaligus Theatinus, inquit, docet, nullâ exceptâ materia, licitum esse sequi minus probabilem opinionem, etsi minima probabilitas habeatur esse probabilem. Bresserus exigit ad hoc, euidentiam de eius probabilitate: Baldellus dicit, licitum fore vsum opinionis minus probabilis, prius adhibitâ diligentiâ, an possimus certiores fieri de magis probabili oppositâ. Sanches ait, consilium esse, non præceptum sequi probabiliorem. Sanctius & Caramuel asserunt, nec præceptum esse, nec consilium! Imò Paschaligus vult præceptum esse sequi minus probabilem, si aliquod graue damnum immineat, quod negant Sanches & Villalobos. Alij dicunt, vsum minus probabilis, licitum esse in foro conscientiæ, non in foro Iudiciali. Ita Sanches & Layman. Bonacina licitum docet vsum minus probabilis, nisi immineat periculum quod vitari prudenter nequeat, sine vsu oppositæ sententiæ tutioris. Denique Sanches, hanc regulam de sequendâ vbique minus probabili, asserit, tantum esse probabilem, Paschaligus vult esse certissimam: hos omnes ad primum caput reuoco liberrimi vsus probabilium. Ad secundum pertinent, qui ab hac regulâ excludunt Sacramenta, vt Filliutius, Suares; & illi qui excipiunt materiam fidei sicut Bannes, &

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [102] - 22
PUBLIC DOMAIN

materiam Iustitiæ commutatiuæ, vt Valentia. Hos omnes authores communibus argumentis impugnabimus operosius infra, cum ijsdem disputaturi. Modo antequam progrediamur ad secundam huius dissertationis partem de vsu probabilitatum in re sacramentariâ maxime in absolutione & confessione pœnitentiæ sacramenti aliqua & superioribus consectaria deducemus, quæ viam aperient & lucem afferent infra dicendis.

Articvlvs Tertivs.

Consectaria ex superioribus.

His Consectariis synopsim & complexionem dabimus totius controuersiæ fusius hac dissertatione & sequenti explicandæ. Ex superioribus ergo colligimus primo, ambitum opinionum probabilium duplici genere contineri, earumque discrimen repeti à materiâ circa quam versantur. Eorum enim, quæ ad mores & ad fidem pertinent, vel opinio stat pro fide & pro lege, vt præcipit rem credendam aut implendam ad salutem necessariam, aut vt præcepta tantum, aut vt medium & causam salutis: vel stat opinio probabilis pro libertate contra legem & fidem, & nos ab illarum obsequio & Iugo vindicat, aut quod idem est, stat pro commodo & voluptate contra officium & honestum. Ex illa distinctione deducitur secundum consectarium duplicem esse comparationem, seu oppositionem opinionum probabilium; nam præter iam insinuatam opinionis quæ fauet fidei & legi contra opinionem, quæ stat pro libertate à fide & lege; interdum opinionum vtraque probabilium stat pro honesto & officio, & quælibet sibi proprium vindicat, & contendit alteri præferendum, cum ambo nequeunt simul impleri. Huius generis erat contentio Angeli Persarum Custodis, cum Angelo Iudæis præposito. Hic vrgebat finem exilij Iudæorum, & illorum discessum festinabat à perfide, ne gentis vitio & Idololatria corrumperentur: alter contra obnitebatur, spe fructus, qui forte ex morâ longiore Iudæorum inter Persas poterat in hos deriuari. Vterque pro officio & charitatis lege pugnabat, & populi sibi crediti à Deo, saluti consulebat. Quare solo diuino Iudicio dirimi poterat, hæc contentio vtrinque iusta & sancta; & cum similes opiniones probabiles pro diuersis officiis contingunt, præferenda est quæ stat pro maioris momenti officio. Si paria sint (quod raro accidit) delectum opinionum, nihil vetat esse arbitrarium:

qualem volunt perpetuo esse aduersarij; ita vt vtile vincat honestum, & libertas humana legem diuinam.

Tertio colliges ex superioribus dari posse opinionem speculatiue probabilem, imo sibi contraria probabiliorem, quæ practicè sit omnino improbabilis. Hoc consectarium negant Caramuel sanctius, aliique probabilitatum patroni ex falsa definitione probabilis opinionis, aliisque pejoribus principiis: videtur tamen demonstratiue deduci ab exemplis sacramentorum Ministri, Venatoris, Iudicis &c. supra relatis: ex quibus hoc argumentum elicio. Opinio speculatiue probabilis, practicè reproba dicitur, quæ quamuis veri speciem præ se ferat, & rationibus non contemnendis inducat illius assensum non omnino certum, sed cum aliqua formidine, ne res ita se habeat: attamen citra peccatum valet vsurpari, & reuocari ad actum: atqui quædam opiniones parem cum contraria habent similitudinem veri, imo aliquando paulo maiorem, nec tamen possunt ad vsum licitum adhiberi. Ergo nihil vetat opinionem speculatiuè probabilissimam, practicè omnino improbabilem esse. Maior non potest negari nisi à proteruis, Minor probatur exemplis, primo à re sacramentaria, omnes concedunt; dari interdum formam & materiam sacramenti probabilem, & longe probabiliorem sententia quæ id negat, quæ tamen vsurpari nequit, & adhiberi forma illa probabilissima, omissa communi & solita citra mortale peccatum, nisi vrgeat necessitas & periculum salutis illius qui iuuandus est sacramento. Antecedens innumeris exemplis potest confirmari, satis erit vnũ proferre ex sententia Cajetani. Communi omnium Theologorum consensu, probabilissima est, ista baptismi forma; Baptiso te in nomine geniti genitoris, & ab vtroque procedentis; eiusdem esse significationis & virtutis cum receptâ vsu communi Ecclesiæ. Tamen omnes damnant peccati mortalis vsum illius omissa communi. Ergo opinio speculatiue probabissima practicè omnino improbabilis esse potest.

Idem euincitur exemplo Venatoris, & vt maior opinioni speculatiuè probabili vis accedat, & verisimilitudo, demus hominem ire venatum quotidie, non voluptatis, sed necessitatis causa, vt sibi, & suæ familiæ victum paret; atque ingresso siluam occurrere nescio quid ambiguum, homo ne sit, an fera, plus tamen præferre speciem feræ, quam hominis; nullus nisi cœcus & iniquus negare potest, quin probabiliori parti liceat assensum præbere probabilem, feram esse cum formidine, ne forte sit homo. Quis vero excuset homicidij, si conjecturis

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [104] - 24
PUBLIC DOMAIN

inductus, feram esse, potius quam hominem, emissâ sagittâ hominem interficiat? Quid ad hæc respondeant probabilistæ, non legi, nec video quid sint dicturi probabile; sanè iniquum esset & crudele, factum Venatoris excusare ab homicidio. Improbabile est etiam negare illum probabiliter opinatum feram esse, quod primum occurrit, cum hoc magis ad verisimilitudinem accederet; ergo admittenda est opinio probabilis ad assensum speculatiuum, & omnino illicita ad praxim.

Idem confirmat exemplum Iudicis, apud quem accusatur reus, criminis cuius in alterutram partem nempe conscium esse, aut immunem; conjecturæ suppetunt paris ponderis; imo verisimiliores, suspectum faciunt, & omnino grauant. Quid ergo tum facto opus est? licet-ne paulo probabiliorem criminis admissi minus probabili innocentiæ anteponere? Minime quidem. Potest absoluere reum ex minus probabili, non damnare ex paulò probabiliori; quia lex est Iure gentium, imo ipsius naturæ receptissima, reum non debere pœnas dare criminis, cuius non sit conuictus argumentis sole meridiano clarioribus: quia sapientissimi Legislatores censuerunt, minus mali esse, si plures criminum conscij, supplicia, quæ commeruerunt euadant, quam si vel vnus insons indebita patiatur & pereat. His omnibus exemplis demonstratum est, opinionem nihil repugnare probabilissimam speculatiuè, prorsus improbabilem esse ad praxim.

Paragraphvs Primvs.

Colliguntur alia quatuor corollaria.

Inde etiam colligitur quarto, toto genere & Cœlo distare quod Recentiores contendunt omnino idem esse, opinionem tutam esse & probabilem. Nam opinio tuta, ea est, quæ sit ab omni periculo salutis & peccati remota; atqui plures opiniones (quorum aliquot exempla dedimus) & hæc fere omnes quæ stant pro libertate contra legem, licet sint speculatiuè probabiles, imo sibi contrariis probabiliores; sunt tamen quoad praxim improbabiles, & vix vmquam carent periculo peccati. Ergo toto genere differunt opinio probabilis & tuta. Certe ante nouum probabilistarum dogma, Antiquorum nulli venit in mentem probabilem opinionem posse immunem esse alicuius dubitationis aut formidinis falsi, quæ nullâ quamlibet maximâ similitudine veri, potest in totum tolli. Nam certis-

simum est Aristotelis dictum, falsum interdum magis speciem veri, quam ipsum verum habere. Quis ergo sicut falsi, ita omnis mali notam auferre poterit ab opinione minus probabili, quæ tamen stet pro vtili contra honestum? Atque huc pertinet aurea plane regula Ciceronis ex antiquis Philosophis tradita officiorum libro primo initio disertationis de Iustitia: *Quocirca bene præcipiunt, qui vetant quidquam agere, quod dubites æquum sit, an iniquum. Æquitas enim lucet ipsa per se: dubitatio autem, cogitationem significat injuriæ.* Fateor, mi Lector, vix me posse hæc verba legere, quin pudore & dolore afficiar maximo (scripta enim mihi videntur in dedecus nominis Christiani,) quod Theologi eas summæ æquitatis leges corrumpant, quas Ethnici religiosè sanciuerunt. Quid enim dolendum magis aut Theologo indignius quam ex dubitatione, an res æqua sit, aut iniqua, Ethnicos inferre illicitam esse & ipsam dubitationem habere nocendi cogitationem; ex ijs vero capitibus, quibus illi virtutum & officia muniunt, id est, ex probabilitate vtriusque partis, Theologos deducere, nos à lege exemptos, & licere quidquid libuerit, etiam illa quæ probabilius est honesto aduersari! Sed stupendum magis est, qui hanc legem Iustitiæ à Philosophis sancitam in pejus interpretantur, contendere hanc suam sententiam communem esse totius Ecclesiæ sensum, & addendam Decalogo, quasi vndecimum præceptum, eiusdem cum aliis decem vis & authoritatis. Quis credat potuisse Christiano vlli venire in mentem illud incredibile paradoxum: *Opinionem probabilem eamdem esse cum tutâ,* & quamlibet inæqualiter probabilem, seu pro libertate, seu pro lege stet æque tutam esse?

Consectarium idem confirmo nouo argumento validissimo, quandoquidem Caramuel non vult secum probabilibus agi, sed euidentibus, idque ex dialecticæ non rhetoricæ legibus. Vt illi morem quoad vtrumque geram. Sic disputo, Multo tutius est, immo & prorsus necessarium, è duabus opinionibus probabilibus, seu intrinsecè seu extrinsecè, vt vocant, id est non leuibus, rationibus & Authoribus magni nominis confirmatis, eam eligere, & præferre quæ nullum habeat dubitandi locum, vel formidinem actus, & obiectiuam, seu cui nulla subsit suspicio illicitam esse rem quam probat, & hoc sit euidentissimum, longe præferendam aduersæ sententiæ paris, aut paulo minoris, vel maioris probabilitatis, à qua numquam possit tolli formido & dubitatio formalis, vel obiectiua, ne res quam licitam iudicat verè mala sit: atqui ita est, quoties vna opinio pro-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [106] - 26
PUBLIC DOMAIN

babilis fauet legi & rebus necessitate præcepti & medij ad salutem præscriptis, altera vero stat pro commodo, pro voluptate, ab illa enim euidens est, lumine cõmuni naturali abesse omnem peccati dubitationem, etiam obiectiuam, ab ista vero numquam tolli omnino potest, ergo prima tuta est, & eligenda, & abiicienda est altera vt dubia & periculosa; prima propositio argumenti (vt Senecæ verbis vtar) apertior est, quam vt interpretanda & disertior quam vt adiuuanda: atque illam statuimus, quasi totius Theologiæ basim. Quis enim neget, quoties de salute & felicitate consequenda; de sectanda honestate, & peccato fugiendo agitur, illi adhærendum sententiæ, cui nulla peccati, aut periculi salutis subsit dubitatio vel formido quæcumque obiectiua; & aduersæ anteponendam esse sententiæ, quam nullus prudenter agens iudicare potest omni carere formidine mali & damnationis saltem obiectiua? Modo subsumimus: quæcumque religioni, æquitati, legi naturali, seu certo & euidenter, seu probabiliter ex mente sapientum, grauibus fulta argumentis fauet opinio, remotissima est à peccati & damnationis periculo, quæ euidenti certitudine, seu falsi & mali formidinis immunitate caret, illi vero obnoxia est quæcumque aduersatur legi sententia, & fauet commodo, ac libertati, ergo illa tutissima est, ista periculosissima, ac proinde prima præferenda alteri. Vim demonstrationis exemplis declaro.

Si credam dari vnum Deum, ab illo conditum mundum & regi, rerum humanarum curam habere, religione colendum, animam immortalem esse, æterna fœlicitate in præmium virtutis donandam, aut æternâ miseriâ afficiendam in pœnam peccati: certissimum & euidentissimum est, qui istis dogmatibus, quibus tota religio continetur, seu vera sint, seu falsa, si quis assentiatur, ex illorum fide & opinione viuat, prauos domet affectus, cupiditates fuget aut vincat, nullam culpam admissurum, nullum damnationis periculum aditurum. Si quis vero hæc omnia cum Epicuro & Lucrecio neget, quis in tuto positum dicat? Quis immunem faciet à culpâ & à damnationis periculo? Aut si eo audaciæ quis progressus asserat, nihil eos peccare, & probabilitate suarum opinionum, seu Iuris naturalis inuincibili ignorantiâ ab omni peccato eximi, quis saluos futuros ausit credere?

Si dicas non posse excusari ab errore & improbitate, quod leuibus argumentis negent, mundum à Deo conditum, animam esse immortalem, & quod in dubiis non probabilibus prætermittant partem tutiorem. Sed contra reponent Athei, (nec

illis deerit Caramuelis patrocinium) hanc accusationem leuissimam esse, & parum consentaneam esse principiis eorum qui se grauant; nam Sinichius Academiæ Louanienſis & Hyberniæ, decus immortale, suo luculentissimo opere, cui *Saul ex-rex* titulum fecit Paragrapho 379. & 387. ex Caramuele variis suorum operum locis, hæc duo refert & validissime refellit, primo eamdem esse opinionem probabilem ac tutam, & securam; deinde Atheismum, aut certe Polyteismum homini prudentiæ naturali permisso videri posse probabilissimum, ac subinde laborare ignorantia inuincibili, eorum quæ primâ & secundâ Decalogi tabulâ continentur. Idque etiam facile euincent Athei, nam obtestabuntur ad hominem. Primum (idque vltro concedet Caramuel cum quibusdam nominalibus) de Dei existentiâ, vnitate, aliisque attributis, neutram in partem vllam sibi affulgere euidentiam ex necessariâ demonstratione paucis & forte nulli mortalium ex Caramuele concessam: deinde addent, seu mundum dicas creatione à Deo factum, vel atomis ex materiâ improductâ, siue animam immortalem, siue corruptibilem velis, se vrgeri vtrimque grauissimis difficultatibus, a quibus nequeant se expedire, & vtramque partem sibi incertam videri & probabilem, imo philosophandi methodum quam ex Epicuro tradit Lucrecius, sibi magis arridere, & satisfacere: quid ad ista dicent, qui omnem opinionem probabilem vt illam definiunt, securam & tutam volunt? Absoluent omnis impietatis Atheos, & suorum scelerum nequissimum quemque; quandoquidem grauissimis difficultatibus sentiunt implicari, quæ fides aut sanior Philosophia nos docent: ergo si negent ista immunes sunt ab omni peccato, & salutis periculo. Dum ad hæc præstolamur responsa Caramuelis, hanc errorum & vitiorum colluuiem sistimus, & qui has consecutiones admittunt falsi conuincimus & peragimus reos hâc Ciceronis regulâ, nihil vmquam aggrediendum, si dubites æquum sit an iniquum, in dubiis aut probabilibus standum pro lege & honesto contra libertatem & commodum: Iis denique adhærendum, quæ ab omni absint suspicione mali, & euidenti ac certâ retione scias, nihil tibi ab illis posse periculi accersere.

Inde ex superiori corollario colligitur quintò, falsum omnino esse, illius Doctoris Classici cuiuscumque sit integritatis famæ, & eruditionis posse solo testimonio, & Iudicio opinioni olim improbabili, certam & tutam probabilitatem conciliari. Probatur contra Recentiores, quia hæc securitas non est repetenda à solâ probabilitate, seu verisimilitudine, quæ potest in-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [108] - 28
PUBLIC DOMAIN

verdum maior ineſse rei falſæ, quam veræ, & malæ quam bonæ: ſed deſumenda eſt ex acceſsu ad honeſtum, legem, & officium; atqui nec vnus, nec plures Theologi dant opinioni hanc cum lege cognationem, ſed à ſeipſis illam habent, ergo non poſsunt opinionibus conferre ſecuritatem, ſed ad ſummum declarant, & aperiunt; quare & pari, vel paulo maiori probabilitate, quam non nego poſse ab vno, vel tribus magni nominis Theologis deriuari, non fit tuta probabilis ſententia, niſi ad legem inclinet, honeſto faueat, contra vtile; & ne à peccato excuſeris, ſatis eſt formido obiectiua, in hoc poſita, quod pari, aut paulo maiori probabilitate pugnet pro voluptate contra legem.

Inde etiam colligimus ſextò, malè Confeſsarium ita adſtringi Pœnitentis opinionibus, vt cenſeatur peccare mortaliter, ſi negata abſolutionem quamlibet opinionem ſecuto. Corollarium iſtud probatur argumentis ſuperiorum, ideo enim recentiores id ſtatuunt, quia putant duos aut tres Theologos poſse, improbabilem ſententiam probabilem & tutam facere, & quamlibet probabilem eſse ſecuram, hæc vero omnia falſa & improbabilia demonſtrauimus: ita vt ſi obtineant huiuſmodi regulæ, immunes futuri ſint Impij & Athei ab omni culpa; quia hactenus aduerſarij non eripuerunt illis omnem ſuorum errorum probabilitatem, ſed aliunde eos in tuto ponunt, cum ſtatuunt *probabilitatem nihil à ſecuritate differre.*

Tandem ſeptimo & vltimo colligimus, hanc regulam à nobis hactenus conſtitutam ſectandi opinionem æque, vel magis, vel etiam paulo minus probabilem, quæ ſtet pro lege & pro ſalute. Quia vt ex Tullio retulimus, æquitas per ſe lucet, nec pueros etiam latet, quos pudet obſcœna loqui, aut turpia agere: & ideo dum hæc meditantur, tenebras quærunt, hominum grauium fugiunt conſpectum: Ergo lucet ei æquitas. Declaratur, duplicis generis opinionum probabilium collationem & pugnam diſtinximus, primùm cum vna ſtat pro lege, & ſalute, altera pro commodo & vtilitate; & hoc diſcrimen norunt ſtupidiſsimi & pueri; ergo nihil impoſsibile, immo nec difficile quidquam præcipimus, cum volumus tuta & probabiliora eſse ſectanda. Secunda collatio opinionum probabilium eſt, dum vtraque pro officio pugnat, ſed interdum vtrumque nequit impleri, & tum majus anteponendum eſt minori: & ſi hæc inæqualitas nos fugit, vel ipſamet officia ſint fere paria, arbitrarius eſse poteſt delectus, ſine vllo peccati periculo. Quid ergo impoſsibilia cauſantur aduerſari nos præſcribere Chriſtianis,

quos ſuorum laborum æterna merces, aut peccatorum æterna damnatio manet, quibus ſpe vnius, & metu alterius etiam impoſſibilia tentanda eſſent; cum ipſe Epicurus, nulla ſpe, nulla mercede, ſola conſcientiâ benefactorum ſuis diſcipulis præſcribat longe ſeueriora, quam Theologi probabilitatum Patroni & cuſores? Licet his Conſectariis totam de probabilitate controuerſiam videamur abſoluiſſe; fuſius tamen proſequenda eſt Sectione ſequenti, & pluribus, ac forte validioribus argumentis confirmanda noſtra ſententia, cuius & aduerſæ breuem Analyſim dedimus, & partium vtriuſque cognationem ac fundamenta aperuimus, vt inde colligat Eruditus Lector, quænam duarum firmioribus principiis fulciatur. Hactenus de priori parte noſtræ Diſſertationis cum Raynaudo, nunc ad alteram accedamus.

SECTIO TERTIA.

An Suares probabilem & tutam fecerit opinionem de Abſolutione ſacramentali per Litteras collata, ante decretum Clementis Octaui.

ARTICVLVS PRIMVS.

Ex ſuperioris Sectionis doctrinâ reſoluitur quæſtio propoſita.

NIsi tricas & nugas huic diſputationi Theophilus inijceret, poteram vno verbo vtramque exercitationis partem concludere, hac ex ſuperioribus breui & validâ omnium argumentorum collectione. Dum authoritati Suaris vis Theophile eſſe conſultum, vt ea vna ſecuritatem conciliet opinioni ſingulari; vel hoc illi jus attribuis, nullâ exceptâ materiâ, vel in rebus tantum ex præcepto ad ſalutem neceſſarijs, vbi putas ignorantiam, aut probabilitatem arcere periculum peccati & ſalutis? Si hoc vltimum obtendas tantum; militant contra te, quæ nos collegimus primâ exercitationis parte, & addemus plura ex Mercoro, D. Fagnano & aliis. Si primũ velis, ipſe Suares, cuius causâ duellum iniuiſti, ſtat contra te pro tuo æmulo, & tuas laudes quaſi adulationes auerſatur. Non potes negare, totam hanc Diſſertationem tuam contra Iunioris exceptio-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [110] - 30
PUBLIC DOMAIN

rem, hoc vnico fundamento niti: eum, qui certè & prudenter agit, non oportere duci euidentibus: satis esse, si probabilia sectetur, quæ constitui possunt ab vno doctore pio, qualem omnes norunt Suarem esse, huius æui doctissimum Theologum. Atqui hæc tua argumentatio ex me omnino falsa est vbique; nisi fortè controuersia sit de rebus positiui Iuris, quæ in diem aliqua ex parte mutantur; & ex ipso Suare non valet in re sacramentariâ, de qua litem tibi mouit Iunior ille, qui Sacramentum Pœnitentiæ exemit à Suaris facultate constituendi opiniones tutas & probabiles. In hac enim Dissertatione institutâ pro Suare, pugnantem deserit & abnegat ipsemet Suares: qui agnoscit, nihil tuti se posse statuere de Confessione & Absolutione sacramentali, nec de Sacramentis in totum, quæ vt media salutis ex institutione diuina sunt necessaria, nisi suadeat tutiora; & quæ reipsa vere, non probabiliter tantum cum institutione Christi conueniant. Vnde videtur profligata secunda quæstio de Sacramento quoad vtramque partem, siue Confessionis, siue Absolutionis inter absentes per Epistolam, aut per Internuncium administrato. Quamuis enim Suares senserit, absolutionem Sacerdotis impensam reo pœnitenti per Epistolam, etiam dum absens est, probabiliter haberi potuisse vt licitam & validam ante decretum Clementis VIII. motus (vt ait) Auctoritate Antiquorum Theologorum, maxima Thomistarum, quos vult, in eâ fuisse sententiâ; reuera deceptus est, nisi velit sententiam illam de licitâ & validâ per Epistolam absenti collatâ absolutione speculatiuè probabilem esse, non practicè, neque vlla ratione tutam; quia juxta ipsiusmet Suaris principia, in rebus efficaciâ medij necessariis, qualia sunt Sacramenta, & præ omnibus baptismus & pœnitentia, ad securitatem opinionis nihil juuant rationes verisimiles, nihil reuera consentiunt cum institutione Christi, & amoueatur omnis formido erroris, quæ ex dissentione Theologorum nasci solet; atqui absolutionem absenti impensam, licet aliqui voluerint licitam esse & validam, plures tamen Theologi reclamarunt, & ex vsu Ecclesiæ, atque ex decretis Clementis VIII. & Pauli V. mihi certum est à Christi Institutione recedere: Ergo nec Suares, nec quisquam Doctorum potuit huic opinioni probabilitatem tutam conciliare.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [111] - 31
PUBLIC DOMAIN

ARTICVLVS SECVNDVS.

Origo & progressus opinionis de licitâ administratione Sacramenti Pœnitentiæ inter absentes cum suis fundamentis.

ATQVE hac in re videtur Theophilus cum illo Iuniore Palestrita, & nobiscum detrectare certamen: nam quæ jam nos monuimus de Absolutione sacramentali, seu de Sacramento Pœnitentiæ integro, vt Confessioni adjunctam habet absolutionem Sacerdotis, capite 1. & 2. confirmant non posse inter absentes administrari; & hanc asserit esse mentem Suaris tomo 4. 3. p. disput. 19. sect. 3. contra plures ex Antiquis Theologis & Thomistis. Quare ex Facundes refert opinionem de licitâ & validâ absolutione absenti impertitâ, ex Familiâ Sancti Dominici ortam fuisse, & adoleuisse; ac denique in eiusdem Familiæ sinu extinctam atque sepultam esse. Verum Theophilus huius Controuersiæ, Suarem alioſque Societatis Theologos inter & Dominicanos statum & originem, ac subinde decretorum Pontificiorum causas dolo & fraude occultat. Nos verissimas aperiemus ex Petro Dufay, quem vnum licuit legere Recentiorum Thomistarum, qui de hac re Dissertationes scripserunt. Plures Professorum è Societate, vbique, in gymnasiis maxime Vallisoleti, Salmanticæ, Compluti, suis scriptis (quorum exemplar penès se habuisse testatur dictus Auctor) docebant Sacramentum integrum Pœnitentiæ, siue absolutionem sacramentalem posse absenti per Epistolam administrari. Nec illis satis fuit hanc opinionem tamquam veriorem defendere, nullâ initio adjectâ necessitatis, aut articuli mortis limitatione, quam post acres & frequentes nostrorum disputationes apposuerunt; fama erat per totam Hispaniam minimè dubia, & multis testimoniis comprobata, ausos fuisse dictos Patres hâc eâdem opinione vti; quam deinde euulgauit Henriques in Summâ Morali: Cuius rei causâ testatur prohibitam fuisse, donec emendaretur, Ioannes Baptista Posseuinus. Henriquem secutus est Emmanuel Saa, & in suis Aphorismis Antuerpiæ anno 1599. & sequenti Lutetiæ editis, eamdem sententiam defendit, à Magistro sacri Palatij damnatam. Et si liceat intimos Theophili sensus certis argumentis conijcere, crediderim non esse alienum ab illo errore. Ideo toties in Magistrum sacri Palatij inuectus est, ob illam scilicet Apho-

Aphorismorum Sà censuram, quam iniquam vult fuisse, & ex solo liuore Dominicanorum in suos natam. Quid ergo censes de Absolutione sacramentali reo absenti data? Credis sine dubio licitam & validam cum Sà; quandoquidem eius correctionem Magistro sacri Palatij obijcis quasi scelus & sacrilegium: neque desunt verisimiles rationes & responsiones, quibus causam Sà, Henriques & aliorum defendas, atque aduersæ sententiæ argumentis satisfacias.

His enim fraudibus quasi cuniculis actis receptam in Ecclesiâ doctrinam initio tui subruebant. Quis neget potuisse Christum instituere Sacramentum hoc, instar matrimonij, vel absolutionis à Censurâ, seu iudiciorum fori aduersus reos, quæ omnia inter absentes licitè & validè peraguntur? Neque objicias hanc Sacramenti formulam *Absoluo te* ad præsentem tantum dirigi; non certe magis, quam cum amicum per epistolam similibus verbis alloqueris, saluto te, plurimũ meo, & aliorum nomine. Vbi huiusmodi argumentis conuiceris, sic institui potuisse hoc Sacramentum, vt nihil minus, quam Matrimonium & Iudicia fori inter absentes perageretur: Quid vetat, quin eodem probabilitatum impetu & calore abreptus dicas, ita institutum fuisse, & reuera vsurpari posse inter absentes, & aliquando etiam oportere? Maximè cum pœnitenti mors impendet, & periculum æternæ damnationis, quod nequeat alio certiori remedio auerti, quam absolutione à Sacerdote per epistolam, aut internuntium missâ. Non dubito Theophile, quin si fuisses à Consiliis summo Pontifici, ista omnia subjecisses, & auctor illi fuisses, vt decreto ex Cathedra confirmaret. Ausim etiam iurare te ita sentire. Neque Suares ipse ante Clementis decretum alienus erat ab ea Henriques & Sà opinione, quam probabilem esse pronuntiauit: sed cum non minus prudentiâ, quam eruditione cæteros Societatis Theologos superaret, noluit apertè, suscipere patrocinium causæ apud se probabilis, cuius tamen suspicabatur exitum parum fœlicem fore. Et si huius administrationem Sacramenti velis ad solam rationem reuocare inconsultâ traditione, nihil certi statuere potes: quia hinc inde varia arripi possunt argumenta, quibus in vtramque partem disputandi nullum finem facias. Et hanc *rationis errabundæ sine duce*, aut quod perinde est probabilitatum liberam, ac penè Lesbiam regulam sequuti sunt à me nominati Theologi Hispani.

ARTICVLVS TERTIVS.

Superior opinio refellitur ratione & Decreto Clementis VIII.

VERVM si repetamus Antiquum vsum, & traditionem Ecclesiæ, quam vnam vbique sanctus Doctor, & eius Discipuli hic maxime consuluerunt, ad quam Clemens VIII. & Paulus V. sua decreta exegerunt; constabit Sacramentum Pœnitentiæ medium quid esse inter Sacramenta, quæ actione & materiâ sensibili conficiuntur, vt Matrimonium, aliaque pacta, Iudiciaque fori externi, quæ valide ab absentibus ineuntur & celebrantur. In medio positum Pœnitentiæ Sacramentum, nec omnino abhorret ab externis, nec in totum eorum similitudinem assequitur. Cum priorum Sacramentorum genere, hoc maxime nomine conuenit, vt solo scripto hinc & inde misso frequentari, aut peragi valide non posse existimem sicut Matrimonia & iudicia interdum solent. Hoc verùm discrimen male à quibusdam petitur, à solâ Sacramentorum efficientiâ, quasi in absentem nequeant operari; hoc enim falsum euincitur exemplo Matrimonij, quod inter absentes, ne dum vt pactum humanum iniri, sed etiam vt Sacramentum gratiæ operatorium perfici, verior & communior fert sententia Theologorum. Aliunde igitur huius discriminis ratio haurienda est, nempe ex institutione diuinâ, quam vsus Ecclesiæ docet, & ipsa ratio suadet. Istud Sacramentum Ecclesiæ à Christo datum est, & præscriptum instar Iudicij ab humanis dissimili, quod in eo reus suscipiat, & impleat partes testis, accusatoris, & tortoris; atque vbi primùm aperuit crimen, ipsemet emendet, & spontaneâ pœnâ castiget; vnde absolutio collata, vel inuito, vel pertinaci in vno peccato, etiamsi illum reliquorum omnium pœniteat, prorsus nulla est: & cum vix inter absentes constare possit hæc emendatio, & semel concepta, aut promissa facilè mutetur; ne incertum & ambiguum esset Sacramentum, diuinâ Constitutione cautum est, vt more aliorum Sacramentorum ad minus absolutio præsenti reo verbis similibus consecrationi Eucharistiæ ad præsentem materiam directis conferretur. Hoc confirmant multis argumentis Thomistæ recentiores Soto, Nugnio, Aluares quæ exagitat aut eleuat Theophilus, quasi velint aliud quam discrimen istud inter Sacramentum

Pœnitentiæ & Matrimonium, & alia huiusmodi pacta, aut Iudicia humana constituere.

Atque hinc maxime patet, medium esse Pœnitentiæ Sacramentum, vt cum præcipuâ sui parte, nempe absolutione, ad alia Sacramenta accedat, quæ nulla sunt nisi verbo, & præsentibus administrentur; Confessio, quæ est pars altera, seu materia huius Sacramenti, similior est Matrimonio, & Iudiciis humanis, quæ nutu, scripto, per internuntium valide semper, & licitè interdum, si cætera adsint, peraguntur. Sed cur inquies Sacerdoti præscripta aut permissa sunt tantum verba; Reo autem & Pœnitenti liberior facultas indulgetur scripto aut verbis sua peccata aperiendi? Huius discriminis multæ causæ in promptu sunt. Hæc est singularis, & eximia, quod omnes, muti etiam & barbari, ignotæ linguæ homines opus habeant confessione ad salutem, & cum verbis nequeant confiteri nutus adhibeant oportet, vel Interpretem, si mors instet, & nullam cum Sacerdote linguam communem calleant: facultas vero absoluendi soli Sacerdoti diuinâ institutione collata est, qui possit verbis efferre quæ sentit & iudicat. Et cum aliundè absolutio seu forma Sacramenti à Sacerdote sit; Reus autem materiam præbeat; nihil mirum, si lex, & traditio diuina, verba & præsentiam exigat, vt suâ vis absolutioni constet; Confessionem vero quæ materiæ loco est, patiatur vagam esse & indeterminatam.

Articvlvs Vltimvs.

Thomistarum operâ superior opinio damnata à Clemente VIII.

Hic est communis Thomistarum Antiquorum & Recentiorum sensus, quos male Theophilus & Suares in contrarias sententias diuisos inducunt, quasi incertos mentis Diui Thomæ, cùm ipsomet Suare teste, satis aperte docuerit in 4. Distinct. 16. quæst. 3. artic. 4. nullam esse Absolutionem Sacramentalem absenti collatam; quia asserit *vtilius esse in extremâ necessitate confiteri Laico præsenti, quam Sacerdoti absenti.* At secus esset, si posset Sacerdos absens validè Sacramentaliter absoluere. Illud compertum omnino est, nullum Thomistarum clare asseruisse, integrum Sacramentum licitè & validè confici inter absentes. Si qui vero permittant, confessionem peccatorum scripto absenti Sa-

cerdoti factam, eodem sensu interpretandi sunt, quo Nugnio hanc Confessionem admittit; si reus, vbi Sacerdos accesserit, nutu, aut verbo, aut per internuntium testetur, se grauari omnibus his peccatis quæ scripto aperuit, & se illorum pœnitere. Hæc est Scholæ Thomisticæ de Epistolari Confessione sententia concors & communis, à quâ cum percepissent, plures Theologorum Societatis, vt iam à nobis relatum est, recedere, & opinionem quam putabant Ecclesiæ perniciosam spargi & serpere, solo nouitatis odio & studio Traditionis Apostolicæ, cuius causâ in hunc vsque diem martyrium patiuntur, tum in Hispaniâ, tum Romæ conati sunt eius progressum intercipere; Clementem VIII. summum Pontificem monuerunt periculi, quod Ecclesiæ ab illâ doctrinâ impendebat, vt eam ad suum Tribunal aduocaret, atque auditis omnium ordinum Theologis statueret, quid è re Christianâ, quid Traditioni conuenientius, quid denique piis omnibus esset sentiendum. Vnde secutum est decretum summi Pontificis, quo damnata est illa Sacramenti Pœnitentiæ administratio per Epistolam inter absentes, quam multi in Gymnasiis, quam nonnulli libris editis docebant, quam rumor erat clam vsurpari, quam Suares probabilem reputabat, & quæ sine dubio totum orbem occupasset, nisi Decreto Pontificio, veluti cauterio cohibita, & compressa fuisset. Hæc est de epistolari confessione verissima Historia. Quid habes Theophile, quod obijcias, aut improperes Dominicanis, nisi quod nouitatum osores, quod Traditionis Ecclesiæ se inuictos defensores frequentibus experimentis comprobent? Tentarunt è tuis nonnulli Theologorum, hanc antiquatam opinionem, ac pœnè sepultam interpolare, & veterum Thomistarum nomine fucum facere; sed non ita facile imponitur auribus Romanis, nec huiusmodi artibus & præstigiis decipiuntur Dominicani Theologi. Vnde nihil habes quod huius quæstionis parte secundâ possis illis vitio vertere, nisi veritatis Catholicæ defendendæ intrepidum, & inuictum animum. Ideo vt lectoribus illuderes, & parares calumniam insontibus, controuersiam omnino immutasti, quasi id tantum contenderent Thomistæ cum Suare & aliis è Societate Theologis, an Confessio Epistolaris sejuncta ab absolutione aliquâ occasione licita esset & valida, & Sacerdos vbi ad pœnitentem accessit, & per litteras, aut aliorum testimonio nouit eius votum confitendi, & Contritionem, possit absolutionem impertiri. Falso asseris in eo vno præcipuam, aut totam con-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [116] - 36
PUBLIC DOMAIN

trouersiam sitam esse; licet non negem, hoc ad disputationem fuisse deductum, de quo mox tertiâ exercitationis parte; sed dissimulas totius controuersiæ nodum, & cardinem, quod senseris tibi parum feliciter successurum: nec credas me velle te imitari. Quamuis refugias aleam subire certaminis, sequar quocumque vocaueris, & tertiam tecum pugnam inibo de interpretatione, qua decretum Pontificium conatus est Suares mollire, non ausim dicere corrumpere.

SECTIO QVARTA.

An interpretatio Decreti Pontificis à Suare tradita legitima sit, & probabilis.

Mirvm est ausum Theophilum hanc Clementis VIII. decreto datam interpretationem à Suare defendere; cum altero Pauli V. decreto damnata sit, & iussa è libris eius eradi. Vix potest causam Suares agere citra damnationem summorum Pontificum; cum alterutrum oporteat peccasse. Si insons est & verax Suares; ergo reus & mendax Paulus V. Ne Sedis Apostolicæ reuerentiam læderent Cardinalis de Lugo, Gabriel Auersa, & alij Theologi, Suarem iustè damnatum asserunt; quod interpretationem à sensu Pontificij decreti alienam dederit. At contra contendit Theophilus, Suarem, mentem Pontificum, & veritatem fuisse assecutum; sed Dominicanos, inuidiâ & odio, quo in virum sapientissimum flagrabant, in errorem abreptos, impulisse summos Pontifices ad Censuram, ac pene in suum errorem præcipites & transuersos egisse. Vnde non solum Scholæ Dominicanæ, sed etiam Sedis Apostolicæ causa, nobis hâc vltimâ exercitationis parte agenda est. Nec rem difficilem aggredior, omnes Theophili calumnias, quas per septem capita sparsit, dissipellam constituto quæstionis statu, quem paucis aperiam.

Articvlvs Primvs.

Aperitur status Controuersiæ.

Vbi Suares vidit suos primâ acie fusos, & à summo Pontifice improbatos, & quem, plures Societatis Theo-

logi, conſpiratione quadam (cuius fortè particeps erat) meditabantur in Eccleſiam inducere Sacramenti Pœnitentiæ inter abſentes frequentati vſum, à Sede Apoſtolicâ proſcriptum; pugnam inſtaurauit, interpretatus Decretum Pontificum de Sacramento integro, ſeu conjunctim, non diuiſim: quod non longe abeſt à noſtrâ, & communi ſententiâ, aliam eſſe abſolutionis, aliam confeſſionis rationem; vtramque quidem oportere fieri verbis, & coram Sacerdote & reo; ita tamen, vt ſi ſecus fiat, abſolutio ſit nulla, valida vero ſit Sacramentalis Confeſſio. Ergo mens Suaris decretum Pontificium interpretantis de Abſolutione & Confeſſione junctim, non vero diuiſim, non eſt aliena à mente, Pontificum. Cur ergo damnata? cur juſſa eſt eradi? Difficultatem auget Theophilus reuocatâ cum Thomiſtis controuerſiâ, ſeu quaſi ſecundâ pugnâ poſt primam, ad hoc caput (quod vnicum vult Suarem obtendere ſuâ interpretatione;) an pœnitens moribundus, ſit à Sacerdote abſoluendus, cui præſenti nullum ſigillatim peccatum aperuit, ſed juſſit aduocari confeſſionis cauſa nullo edito de peccatis ſigno pœnitentiæ. Videntur negare Soto, Cano, & alij recentiores Thomiſtæ, aſſerunt Suares, Theophilus, Coninch, & plures alij, cum aliquo tamen diſcrimine: nam in primis Suares cenſet quodcumque doloris ſignum editum à morituro de ſuis peccatis, non eſſe ſatis ad obtinendam à Sacerdote præſente abſolutionem: quia illa reſipiſcentiæ & doloris ſignificatio communis eſt, nec ſubijcit peccata delenda clauibus Eccleſiæ. Coninch vero, illum putat non eſſe abſoluendum, qui conditionatam tantum aperiret voluntatem confitendi, ſi copiam haberet Sacerdotis: quia Sacramentum hoc conſtat tanquam parte ſui, abſolutâ voluntate confitendi, & reſipiſcendi, qualem non habere cenſetur, qui conditionatam tantum exprimit. Theophilus multo liberalior ait, abſoluendum ſi voluntatem confitendi, & contritionem ſiue conjunctim, ſiue diuiſim expreſſerit, & qui adſunt id teſtentur Sacerdoti aduenienti. Imo longius progreſſus eſt Iacobus Baius; aſſerit enim abſoluendum ſaltem per modum ſuffragij, ſi vixerit piè, & multo magis ſi audiendo ſacrum, præmiſiſſet confeſſionem, quæ ſolet fieri ab his qui inſeruiunt Sacerdoti, quia præſumptio eſt, eum pœnitere ſuorum peccatorum: ac perinde de Sacramento Pœnitentiæ ſtatuit vt de Baptiſmo, & de Extremâ-Vnctione, quæ adminiſtrantur illis, qui præſumuntur magis accepturi quam recuſaturi, ſi eſſent ſui compotes, & conſulerentur. Vide

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [118] - 38
PUBLIC DOMAIN

quò licentia probabilitatum deduxerit vſum Pœnitentiæ; vt non immerito ſummi Pontifices damnarint interpretationem Suaris, & huiuſmodi opiniones, quæ inde naſcuntur, & quas naſcituras præuidebant, niſi licentiam cohiberent. Hinc etiam ardor Thomiſtarum aduerſus huiuſmodi opiniones apud cordatos homines probabitur, quo huiuſmodi malo mederentur. Sed illos vrget Theophilus per multa capita decretis Concilij Arauſicani, & Carthaginenſis, Leonis Magni, Ritualis Romani, reſponſis etiam Clementis VIII. quibus omnibus probat, repugnare Soto & Aluarem, dum abſoluendum negant moriturum qui votum confeſſionis, vel dolorem de peccatis expreſſerit His continentur quæ totâ diſſertatione verboſiſſime proſequitur Theophilus. Sed vt eius calumnias validè depellamus, & diſſentientes in ſpeciem Pontificum Canones, & Theologorum ſententiæ ad concordiam reuocentur, duo ſumme obſeruanda ſunt, quæ ſubijciemus, vnde effulgebit veritas, depulſis tenebris, quas offundit aduerſarius.

Paragraphvs Primvs.

Duo animaduertenda ad quæſtionis reſolutionem.

Omnis materia vel forma in re Sacramentariâ quatuor capitibus continentur. Aut certa eſt, & omnino conueniens, vel certa quidem, ſed incongrua, vel tertio dubia, vel denique nulla ſeu prohibita, & repugnans. Primi generis materia & forma validum ſemper & licitum, vltimi generis, irritum & nullum faciunt Sacramentum: ſecundi vero & tertij generis variant. Nam certa & incongrua forma & materia; validum quidem faciunt Sacramentum, ſed illicitum; niſi neceſſitas excuſet: dubia vero omnino incertum facit; vnde numquam vſurpanda eſt, niſi grauius malum, & ſalutis periculum inſtet; neque illi propulſando aliud ſuppetat remedium, quam periculum ne irritum Sacramentum fiat vſu dubiæ materiæ. Cum enim Sacramenta inſtituta ſint ad ſalutem animarum, nihil mali eſt, ſi aliquod periculum irriti Sacramenti incurras, ne damnetur anima, in cuius gratiam à Deo eſt inſtitutum.

PARAGRAPHVS TERTIVS.

Hac distinctione conciliantur Doctores.

HAc distinctione semel constitutâ, facilis est concordia Doctorum, quibus ea, & veritas magis cordi est, quam Theophilo discordiarum & mendaciorum miro artifici: nec minus obuia est defensio Decretorum Clementis & Pauli Pontificum, aut responsio ad argumenta, quæ in Thomistas congerit. Totum discrimen inter Suarem & Clementem, aut inter Thomistas & Recentiores in hoc situm est, quod in diuersis è quatuor locis reponant casum morituri, cuius gratiâ adeo acrem litem, Theophilus mouet Thomistis. Suares, & alij materiam huius Sacramenti expressione voti confessionis, aut contritionis, nullo peccato expresse distincto, siue per litteras, siue proprio, aut alieno testimonio fiat, primo aut secundo genere locant, id est volunt materiam omnino certam & conuenientem, ad minus, si necessitas exigat. Thomistæ vero ad tertium aut quartum genus reuocant, id est, volunt, aut nullam esse, aut summe dubiam, & facere, vel irritum, vel incertum Sacramentum.

Quid ad ista Clemens VIII. & Paulus V. damnant sententiam Suaris, quæ materiam incertam pro certa ponit, Thomistarum sententiam non improbant, sed potius ad vsum reuocant, iuxta illam regulam, quæ dubiâ materiâ, vel formâ vti præcipit ad arcendum salutis periculum. Atque hoc vnum probant, si quid probant argumenta, quæ congerit Theophilus. Præcipiunt, inquit, Concilia, Pontifices, Rituale Romanum impertiri absolutionem Sacramentalem morituro, nullum peccatum confesso, sed contritionem, & votum confessionis præ se ferenti; ergo omnibus his repugnant Thomistæ, qui negant, hanc materiam sufficere ad absolutionem. Dato Antecedente (de quo infrà) Nego consequentiam: quia summi Pontifices aut Concilia statuunt eâ occasione impertiendam absolutionem vt dubiam, sed ratione periculi auertendi necessariam: quo verbo cadunt, aut irrita sunt omnia Theophili argumenta, quæ hanc responsionem, quam forte ipse non præuiderat, intactam omnino relinquunt. Sed Instabis à me confictas esse illas Suaris, & Thomistarum, diuersas classes, materiæ Sacramenti Pœnitentiæ; quo enim fundamento assero Suarem reposuisse hanc materiam primo, aut secundo loco, & eâ de causâ diuersum à

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [120] - 40
PUBLIC DOMAIN

Thomistis, & à Pontificibus esse damnatum ? Verum nihil horum à me confictum, aut gratis dictum demonstro, his duobus argumentis.

In primis summi Pontifices obseruabant interpretationem Suaris, & confessionem Epistolarem esse partem illius integri Sacramenti, quod Doctores Societatis, scriptis priuatis, & publicis, & ipso etiam vsu, quamuis occulto, defendebant, vt validum & licitum, inter absentes, & per Epistolas administratum: ergo pars illa confessionis epistolaris, quam ex ruina, & damnatione integri Sacramenti certam volebat Suares, reponebat inter tutas & licitas. Hoc vero aperte damnant Pontifices. Ergo quidquid dicat Theophilus; numquam Suarem eximet, non solum à certâ, sed neque etiam à justâ Pontificum censurâ, quæ ferit eos omnes, qui materiam controuersam, & ad summum speculatiuè probabilem reponunt, loco certæ & practicè tutæ, ac sine scrupulo adhibendæ. Quid ad ista esset responsurus Theophilus, si viueret, nescio; quia nihil video verisimile, quod posset comminisci, vt læsâ Majestate Apostolicâ, & cum graui noxâ Clementis & Pauli, Suaris honori consuleret, & vellet magis ad infallibilitatem accedere quam illos quibus in Decessore Petro dixit Christus, *Orauí pro te Petre.* Nec minus euidenti argumento euincam iustissimè Thomistas, quam suppeditat Theophilus, materiam hominis morituri cum solo voto confessionis alieno ore expresso, reponere sub quarto genere materiæ probabilissimè nullius, aut certè dubiæ, quo loco constituerunt Canones & Pontifices: & si vim argumenti dissimularet Aduersarius, aut non caperet, monstraret se prorsus ignorare naturam seu institutionem Sacramenti Pœnitentiæ: quod iam monuimus à Christo datum, & sancitum instar Iudicij: & hoc maximè differre à Baptismo & aliis Sacramentis; quod cum istis extrinseca sint & accidentia, quæ elicit, ea susceperus, fidei, charitatis, & alia pietatis Christianæ opera, aut signa; iisdem Sacramentum Pœnitentiæ constet, tamquam partibus intrinsecis, & essentialibus; quas si submoueas, perinde deficiet, ac substantia naturalis semotâ formâ & materia. Hinc etiam aliud discrimen intercedit, quod magis ad nostram rem facit, & funditus argumenta Theophili conuellit: quod ad Baptismum, aliaque Sacramenta suscipienda, longè minus expressa, quam ad ea administranda voluntas exigatur: ad istud enim necessaria est, vt minimum ministri voluntas, quam vocant

virtualem; ad illud vero sufficiat voluntas tacita, quam interpretatiuam vocant, quæ nulli vnquam deest nisi reprobo & suæ damnationis, quam salutis studiosori. Sed ad Baptismum, Extremam-vnctionem, Eucharistiam, & alia denique præter Pœnitentiam, & Matrimonium, Sacramenta conficienda, satis est professio vitæ Christianæ: & ideo morituris conferri solent, Baptismus & Extrema-vnctio, si adsit præsumptio ea Sacramenta non recusaturos. Eodem fere loco; videtur Theophilus velle, aut certe debet Pœnitentiæ Sacramentum reponere; cum tamen plurimum ab illis distet. Ex quo sic potest confici validum argumentum, quo tota controuersia dirimatur. Sacramento Pœnitentiæ nequit sua integritas, aut essentia constare, si desit illi partium essentialium vlla, quales sunt confessio, & contritio aliquo signo expressa; atqui morituro, qui confessarium petiit, & signum aliquod edidit voti confessionis, & doloris de peccato, seu junctim, siue disjunctim, desunt, quæ ad essentiales Sacramenti partes pertinent; ergo absolutio quæ illi impendetur, nulla erit, aut maxime dubia. Minor propositio probatur in primis, si signum tantum edidit voti confessionis, non potest illud vicem habere confessionis, & multo minus contritionis: nam voluntas confessionis non est confessio, & multo minus contritio.

Dices esse confessionem & dolorem de peccatis virtualiter, & quasi interpretatiuè, & quadam iuris fictione; sed valde timendum est, ne huiusmodi distinctionibus, aut præsumptionibus falsum & illicitum Sacramentum administretur. Vnde enim scimus, institutionem Christi, quæ non minus vera confessione; & resipiscentia, quam absolutione, Sacramentum istud componit, constare, posse virtuali aut præsumptâ confessione & contritione? Et si semel locus detur huiusmodi distinctionibus, quæ plurium pruriginem ingeniorum fouent, nihil certi supererit in re sacramentaria; poterit quis perinde morituro impendere absolutionem, ac Baptismum & alia Sacramenta, atque eo tandem rem deduxerunt suis Thesibus Viennæ Theologi Societatis.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [122] - 42
PUBLIC DOMAIN

Paragraphvs Tertivs.

Explicatur vera mens Conciliorum.

At inquit Theophilus præcipiunt Concilia, Pontifices suis decretis, & rituum libri, absolui jubent moriturum, qui vel pœnitentiam suorum peccatorum, vel votum confitendi testatus sit; & hoc vnum tantum vult Suares, hoc negant Thomistæ, ergo vincit causa Suares, & cadunt Thomistæ; quandoquidem pro illo contra nos, stant tot præsidia. Sed cur damnatus est Suares tot defensoribus munitus? Hoc solum inquit nomine, Theophilus, quod superstite Clemente VIII. eius decretum interpretatus sit, licet ab illius mente, ne latum quidem vnguem recesserit. Vt Suaris honori consulat, detractum vult famæ Clementis VIII. & parum pensi habet, quod male audiat, quasi morosus nec patiens dicta sua in bonum etiam sensum trahi; dummodo Suaris *totius orbis magistri* crescat gloria, depresso *supremo in toto orbe Pontifice*. At longè alia fuit mens Clementis, quam quæ illi affingitur à Theophilo, vt carpat eum, quem fert communis fama, suæ causæ non bene affectum; sed eademmet dissertatione, qua dignissimum Pontificem inuidiâ grauat, diuinam illius sapientiam, quasi futuri præsciam manifeste demonstrat. Agnouit vir Deo plenus Suaris interpretationem, & si forsan non omnino malam, & aliquo casu aut sensu tolerandam, morbo nonnullorum indulgere, quem censuit aliquo decreto, veluti cauterio comprimendam; ne in perniciem animarum grassaretur. Et ne quis vanam meam suspicionem dicat, argumento sint Suaresij Apologia, & Theologi Viennenses qui eius defensionis æstu eo abrepti & prolapsi sunt, vt velint ægrum sensibus destitutum, absolui si vel minima confitendi significatio præcesserit, immo & præsumptio cum Iacobo Baio. Vides ergo, nullum finem esse distinctionum, aut fictionum juris, quibus Sacramenta in magnum discrimen vocentur, dum ad pericula animarum depellenda admoueri, volunt. Vt ergo rem paucis finiam, quid displicuit in Suare summis Pontificibus? Non libertas illorum interpretandi mentem, quæ nulli vmquam fraudi fuit, nisi fortè apud Tyrannos, & quam boni semper consulerunt æqui Principes: sed improbarunt aliquid non boni, quod asserebat Suares, & plura pejora, quæ ex eius dictis quasi necessariâ consecutione deducebantur, vt exemplo

Theophili, Baij aliorumque demonstrauimus. Quid vero illud sit, quod reprehenderunt Pontifices in Suare, cuius causâ voluerunt abradi hanc interpretationem ex eius scriptis? Varij, variè explicant, quorum dicta capite vltimo refellit Theophilus, hoc maxime argumento, quod Suares nihil aliud statuat, quàm quæ censuerunt Concilia, Pontifices, Rituale Romanum: nempe absoluendum esse ægrum, qui absenti sacerdoti per litteras aut per nuntium peccata aperuit, aut votum pœnitendi: vel qui adsunt ægro, sacerdoti aduenienti testantur, antequam vox illum & sensus deficerent, de peccatis doluisse, & Confessarij copiam optasse habere: quid vero mali habet sententia illa à tot Conciliis & Pontificibus comprobata, communi Theologorum consensu recepta, præter Thomistas, quibus magis displicet, odio in Iesuistas, quam studio veritatis. Certe si id tantum quod obtendit Theophilus, haberet interpretatio Suaris, Pontificum Censura Suari intentata, in ipsorum caput recideret. Non ita censent præter Thomistas omnes recentiorum & extraneorum Illustrissimus Cardinalis de Lugo Auersa & alij, qui minus periculi subesse putant; si Suares peccauerit, quam si duo summi Pontifices, in eo notando aberrauerint; sed (quæ in Pontificum gratiam dicunt) nos occupauimus, vel validiora Theophilo obijcimus, quæ nequeat infringere.

PARAGRAPHVS VLTIMVS.

Variæ Theologorum interpretationes & verior Decreti Pontificij.

DE Lugo distinguit duplicem confessionem vnam stricte sumptam, quæ sit iudicialis expositio culparum facta à reo apud sacerdotem in hac causâ Iudicem: alteram quasi extraiudicialem, sitam in voluntate confitendi sua peccata, qualem censeretur facere reus, si notarium aduocaret, vt scripto obstringeret se ad criminis confessionem animo destinatam. Volunt itaque hi Authores Clementem de priore confessione loquutum, Suarem de posteriore, quam inquit Auersa existimabat, passim licitam; Pontifex vero negabat licere nisi necessitas summa vrgeret. Sed gratis (inquit Theophilus) comminiscuntur, eam dissentionem hi Theologi inter Pontificem & Suarem; cum vterque admittat extraordinariam illicitam esse, nisi eam excuset aut extorqueat grauis necessi-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [124] - 44
PUBLIC DOMAIN

tas. Verior ergo & certior decreti Pontificij ea mens est, quam nos supra iniuimus & aperuimus, Pontificem agnoscere illam confessionem extraordinariam vt nullam, aut ad summum dubiam, cuius vsum omnino prohibeat, nisi forte casu morituri, quem Rituale Romanum docet absoluendum: & responsio circumfertur Clementis, teste Bellarmino, se eam indulgentiam illi non negaturum. Suares vero defendebat, vt certo validam, quod merito improbat Pontifex. Longe enim diuersus est materiæ certæ vsus, quem exigat communis ratio officij, & materiæ incertæ ac dubiæ, quem sola possit necessitas efflagitare. Ille enim prioris seu indubitatæ materiæ vsus passim potest vsurpari, incertæ vero intra necessitatis vltimæ terminos continetur; & si eâ occasione, cum dubiâ materiâ conficiatur Sacramentum, sub conditione repetendum est. Prius vero assertum est extra omnem disputationem positum, vt si quis merum nullâ aquæ guttâ infusâ calici consecret, certissima est & nullâ ratione iteranda consecratio: quia ille defectus illicitam facit, non inualidam, nec dubiam. At si quis vrgeretur periculo salutis paruuli morituri, aqua è sale expressâ aut è vite profluente, si elementaris deesset, illi baptisinum conferret, iterandus esset omnino, quia dubius, ratione incertæ materiæ, si prius mortis periculum euaderet. Euidens ergo est summum discrimen Clementis inter & Suaris mentem, nihilo minus, quam illud modo à nobis obseruatum inter Sacramentum cum incerta materiâ & formâ, aut cum indubitatâ, sed illicitâ administratum.

Hinc etiam in tuto sunt Thomistæ aduersus Theophili tela prorsus imbellia, & sine ictu: sunt etiam à senili manu projecta: nam præter ea, quæ iam animaduerti summè obseruanda discrimina, inter vsum certæ materiæ & dubiæ in re Sacramentariâ; istud tertium ex superioribus omnino consequitur, vt si Concilia, Pontifices præcipiant Sacramentum cum materiâ dubiâ administrari, liberam Theologis concedant facultatem vtramque partem defendendi. Nescio an auderet hoc Theophilus negare; quod istud exemplum aperte demonstrabit: quamuis Concilia & Patres statuant baptisandum moriturum cum aquâ dubiâ ex sale aut vite, si naturalis desit; nonne liberum est Theologis disputare, an huiusmodi materia irritum faciat, vel validum Sacramentum, & quam libuerit partem eligere? Idem prorsus est de controuersiâ, quam præ manibus habemus. Esto præcipiant Canones, Pontifices, Ritualia moriturum absoluere, qui nullum

ſigillatim peccatum aperuit, ſed extra iudicialem (vt cum Lugo loquar) fecit confeſſionem, cum illud ſtatuant ſicut baptiſmum, cum dubiâ aquâ aliàs perituro puero conferendum; quid vetat quin Soto & alij Thomiſtæ defendant nullam eſſe confeſſionem, ſicut nullum eſſe baptiſmum cum aqua ex vite? At inquies Concilia & Pontifices videntur reclamare cum præcipiant abſolutionem dandam eſſe. Quid tum? Præcipiunt vti re dubiâ cum eam neceſſitas extorquet. Nihil enim magis indubitatum, quam re dubiâ vtendum cum è duobus malis minus eligendum ſit, & maius auertendum. Hâc vnicâ reſponſione ita euerſa ſunt, quæ contra Thomiſtas congerit Theophilus, vt penè otioſi hominis ſit ſingula decurrere; præſertim cum nihil habeat præter contumelias, & mendacia. Verum ſi eius dicta omnino prætermitterem, fortè putaret inuicta eſſe; vt ergo hanc illi gloriationem auferam, ſingula breuiſſimè præſtringam, & tria potiſſimum annotabo eius ſcriptionis vitia. Primo argumenta habet debiliſſima in Thomiſtas. Secundo impoſturas atroces in plurimos Thomiſtarum, maximè in Morellum, Grauinam & in ſummos Pontifices. Tertio præpoſtero plane iudicio ſtatuit de Catechiſmo & Rituali Romano.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Satisfit argumentis Theophili.

VRGET ſemper Theophilus Canones Concilij Arauſicani, Carthaginenſis, Leonis Epiſtolam, ad quæ omnia reſpondet Soto. Iis locis agi tantum de abſolutione à Cenſuris Eccleſiaſticâ, non de Sacramentali: quia nulla fit mentio contritionis, vel confeſſionis alicuius peccati, ſed ad ſummum voluntatis confitendi. Quis vero credat, Verum eſſe Sacramentum Pœnitentiæ, quod vix vnâ ſui parte extet, cum tribus conſtare debeat? Addit Cano, ſi de abſolutione ſacramentali hos Canones interpretemur, explicandos eſſe more antiquæ Eccleſiæ, quæ ab abſolutione ſejungebat partes huius ſacramenti, & aliquot diebus illam antecedebat confeſſio ſacramentalis. Quid ad hoc Theophilus? Sotum ait laborare manifeſtâ petitione principij, *nec leuiter ſordere acerbitate in contrariam opinionem*, quam ex Canonibus negligenter inſpectis, gigni poſſe dixit; cum eâ exclusâ variis probationibus progrediatur ad ſuam ſententiam ſtabilien-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [126] - 46
PUBLIC DOMAIN

dam; sed illa reprehensio Soti (inquit Theophilus) in ipsum Soto cadit, & in Diuum Thomam, qui 3. p. quæst. 84. art. 3. ad 2. cum sibi obiecisset ex Leonis epistolâ hæc verba: *Multiplex indulgentia Dei, nisi supplicationibus Sacerdotis nequit obtineri.* Respondet, *Leonis verba intelligenda de deprecatione, quæ præmittitur absolutioni (siue sit Sacramentalis à peccato, siue Ecclesiastica à Censuris) non autem renuit Leo Papa* (ait sanctus Doctor) *quin Sacerdos absoluat, id est, quin habeat potestatem absoluendi Iudicio sacramentali, vel Ecclesiastico.* Vbi duo distinguit sanctus Doctor, vnum quod directe attingit, alterum tantum obliquè. Primum, id est, sancti Leonis locum, nihil officere potestati sacerdotis ad absoluendum; quia non agit de absolutione iudiciariâ, quæcumque tandem illa sit, sed de precatione quæ illi solet præmitti. Falsum ergo omnino est ex sancto Doctore, diuum Leonem intelligendum eo loco de sacramentali absolutione, cum responsio perinde cadat in sacramentalem à peccatis, & in Ecclesiasticam à Censuris absolutionem, quia neutra fit verbis deprecatoriis, sed Iudicialibus quæ resipiant Iudicis potestatem.

At inquit Theophilus responsio Soti petit principium, cum hos Canones interpretatur de absolutione publicâ: quia Leo asserit, eam non posse impendi mortuo; & Canones volunt necessariam esse ad salutem; quorum neutrum conuenit absolutioni à Censuris. Verum imprimis vellem, retulisset Theophilus verba, quibus id Canones exprimant: cum enim inde totum victoriæ momentum pendeat, mirum est illa subticuisse, cum alibi inutilissima congerat. Certe totam Leonis Epistolam decurri nec legi, quod ex illo refert. Et si hoc admittamus dictum, Cani Relect. de pœnit. part. 5. Solutio aduocanda est, agi de absolutione sacramentali, quam aliquot ante diebus præcesserat confessio sacramentalis. Immerito autem petitione principij laborare Soto responsionem conqueritur, cum argumentis plurimis euincat Canones explicandos de absolutione Ecclesiasticâ. Primo ab authoritate Theologorum, vel potius à silentio. Nam præter Abulensem in Mathæ. 16. q. 79. qui de hâc re breuissime disputat reliqui omnes ita compertum habebant, dimidiatum, aut potius nullum esse Pœnitentiæ Sacramentum, cui deesset dolor de peccatis manifestus aliquo signo sensibili, & alicuius peccati confessio, vt nullam hâc de re quæstionem mouerint. Hoc probauit Soto in 4. d. 18. q. 2. art. 5. ab ipsâ naturâ Sa-

cramenti, & ab ipſiſmet Canonibus, quos diligenter diſcutit; & ad hæc ne verbum quidem Theophilus. Addo Nauarrum Iuris Canonici conſultiſſimum Soto aſſentiri. Ergo probationibus, non petitione principij, cauſam ſuam agit Soto. Viderit Theophilus, ne in ipſum recidat hæc Cenſura.

Nec iuſtior hæc reprehenſio, *Sordere non leuiter acerbitate in contrariam ſententiam Soti verba*, quod dixerit ex Canonibus negligenter inſpectis gigni potuiſſe. Quid mali? Quid acerbitatis? Quid ab vſu modeſtiſſimorum Theologorum abhorrens habent hæc verba, vt oportuerit Sotum ita acerbè Theophili manibus vapulare? ſed quid mirum eâ amarulentiâ agere cum ſapientiſſimo, & juxta modeſtiſſimo Theologo, qui amori & admirationi fuit in Concilio Tridentino toti Eccleſiæ, & venerationi Imperatoribus, quem alibi *vecordem & harpiam* vocat? Is enim eſt mos plurium, vt de aliis ex ſe ipſis iudicent, & ſibi permittant in omnes, quæcumque ira ſuggeſſerit; & ſi quod verbum illis exciderit, minus gratum, atrocem iniuriam interpretentur. Ita ſe Theophilus vbique demonſtrat naturâ & ſtudio comparatum, vt moroſitatem & amarulentiam in mores videatur mutaſſe: & quæ bono animo ab aliis fiunt, ex acerbitate ſibi innatâ velit proficiſci, nec minus ſit iniuriæ ferendæ impatiens, quam inferendæ audax & præceps.

Nec ſincerius (vt puto) refert aut validius refellet Aluarem: quam Soto. Non expendo ſingula, quia diſputationum Aluares in 1. 2. copiam non habeo. Et deinde nihil omnino probat, vnde eſſet identidem repetendum, *petis principium Theophile, & Theſim arripis in argumentum*; maximè cum ex Auguſtino, vis baptiſmo Sacramentum Pœnitentiæ æquare: inde enim extitit error Iacobi Baij, & tu etiam periculum timuiſti; ne ſicut ad baptiſmum ſuſcipiendum, ita ad abſolutionem impertiendam, exigeretur tantum voluntas interpretatiua occulta, aut præſumpta ex profeſſione Neophyti, aut Chriſtiani non omnino mali & reprobi, qui ſuæ ſalutis curam prorſus non abjecit.

Ex eadem Sacramenti Pœnitentiæ cum baptiſmo collatione, facile ſoluitur argumentum, quod à ratione petit, & fusè proſequitur Theophilus toto capite ſeptimo, cuius hæc ſumma eſt. Doctorum & Eccleſiæ communis ſenſus eſt, denegandam non eſſe abſolutionem pœnitenti, qui de ſalute periclitatur, & qui confeſſus eſt quâ ratione potuit ſua peccata, etiam diminutè, quia vel non meminit omnium, vel non

non licet per tempus illa aperire: atqui eadem est conditio morituri, qui aliud signum dedit pœnitentiæ, & voluntatis confitendi. Ad hoc iam ex mente nostrâ responsum est, adhibendum sacramentum absolutionis, licet dubium, ratione periculi salutis, quod amouendum est etiam cum aliquo periculo irritum faciendi Sacramentum. Respondeo secundo administrandi sacramenta rationem non esse petendam à solo periculo damnationis, sed ab aliis circunstantiis & conditionibus ad essentiam sacramenti necessariis, quæ si desint, abstinendum est ab vsu sacramenti. Ita censet ipsemet Theophilus cap.10.contra Iacobum Baium, non esse absoluendum morituru, licet eius vita piè peracta satis indicet, non sibi defuisse voluntatem recipiendi sacramenta,& confitendi peccata: quia illa voluntas tacita & præsumpta non potest conficere partem sacramenti necessariam. Sic etiam ex Suare tom. 4. in 3. p. disp. 23. sect. 1. non est absoluendus, qui signum contritionis de peccatis dederit, nisi referat contritionem illam ad claues, seu subiiciat aliquo verbo sensibili confessionis sua peccata potestati sacerdotis; sicut neque etiam ex Coninch 3. p. q. 63. n. 103. impertienda esset absolutio illi, qui voluntatem conditionatam confitendi testaretur: quia ad partem sacramenti conficiendam requirit Coninch voluntatem absolutam confitendi, & Suares contritionem relatam ad claues. Ita secundum Thomistas, vera pars huius sacramenti, non est voluntas confitendi, sed alicuius peccati confessio; quæ si desit, nulla erit absolutio, quamuis præcesserit quæcumque significatio contritionis vel voti confessionis. Certe si ratio tantum salutis hominum in administrandis sacramentis haberetur, susdeque euerterentur omnes de re sacramentariâ receptæ opiniones. Quid enim vetat, quin dicam, cum Campanellâ libro de Prædest. ne pueri pereant, qui baptisari nequeunt, posse saluos fieri sacramento legis naturæ, quod magis in promptu est baptismo nostro ex aquâ, quæ interdum deest, & loco ipsius vsurpari posse benedictionem paternam, aut quid simile, quod hominibus legis naturæ sacramenti loco erat ad salutem paruulorum? Hanc Campanellæ imaginationem non improbabilem credidit Cardinalis de Lugo, suâ approbatione singulari: & illi, aliisque similibus viam munit argumentatio Theophili ab hominum salute; quam curare ad Deum pertinet, & ad nos etiam, his mediis & sacramentis, quæ à Deo constet instituta. Qualis

non est, ad minus non certa, sed summè dubia ea absolutio, quam vult Theophilus nos impertiri his, qui incertam omnino materiam præbent. Sed de his satis. capite sexto

Multis vrget argumentum ex Rituali Romano (quod præcipit absolui moriturum) si aliquo nutu vel testimonio astantium compertum sit Sacerdoti, illum suorum peccatorum pœnitere, aut velle confiteri. Sed iam responsum est, adhibendam absolutionem dubiam, quam satis excusat necessitas. Atque hoc vno verbo nos exoluimus ab omnibus argumentis quibus vrget aliquos Thomistarum, quibus visum est, aliter respondere; neque fidem astruimus aut abnegamus historiæ Complutensis disputationis Theologum Carmelitanum inter & Dominicanum quam Romam vsque deduxerunt, ac vario euentu prosecuti sunt, quorum omnium fides sit penes Theophilum egregium scilicet mendaciorum artificem: & suæ sinceritatis satis, luculentum argumentum præbet assuta relationi, calumnia in Cosmam Morelles, quem licentiâ plusquam Poëtica dicit corrupisse locum Diui Thomæ ex primo Sentent. distinctione 42.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Calumniæ Theophili in Dominicanos, præsertim in Morelles & Grauinam, & in Clementem VIII.

NON est passus Theophilus, nos dubitare hanc dissertationem ab eâdem officinâ prodiisse, à quâ libellus *de immunitate Cyriacorum* in lucem venit; quia vtrumque opus iisdem calumniis in Dominicanos inferciuit. Vtrobique enim referuntur miracula apud Bernenses contra Conceptionem immaculatam, & Romæ P. Lemos superstitis, aut mortui, & Pij V. à Dominicanis conficta, quæ iam in ipsius Authoris dedecus retorta sunt. Alias minutiores calumnias toto opere respersas omittimus; contenti duas aperire, vnam iam insinuatam in Morelles, alteram in Grauinam, quas eodem animo, infenso Dominicanis parturiuit; sed variis artibus ita interpolauit, vt tamen semper idem consilium agnoscas. Mirum est sane, quod cum vbique in Dominicanorum lapsus accuratissime inquirat, patiatur suam diligentiam hic à nobis desiderari. Conqueritur

quod locum D. Thomæ, quo disertis verbis Beatã Virginem esse conceptam sine peccato originali affirmat infartâ particulâ negante deprauarit Morelles, nec citat distinctè locum, contentus tantum primi sententiarum notare distinctionem 42. Sed cum ad omnes Magistri Sententiarum distinctiones, sanctus Doctor soleat primo apponere Textus interpretationem, deinde quæstiones moueat, quas in articulos diuidat, & quæstiunculas; atque hanc distinctionem 42. illustret commentario textus, & duabus quæstionibus, quę quatuor articulis, & pluribus quæstiunculis continentur; rogo te Theophile, doceas nos, quo loco extet in editione operum Diui Thomæ illa adeo impia Morellis deprauatio? Respondebo pro te verius omni oraculo, hanc corruptionem à te deprehensam quæstione nullâ, articulo erasо, quæstiunculâ & folio inuisibili. Quas nobis fabulas è remotis regionibus Heluetiorum de miraculis confictis, de Lituanorum de Dominicanorum apostasiâ, & ex aliis orbis noti, aut ignoti partibus asportabis, qui adeo libere ludis, adeo impudenter mentiris de his qui omnium manibus teruntur libris? Totam distinctionem quadragesimam secundam decurri, & ne verbum quidem de Conceptione. Fortè inquies, negligentiâ Typographi mutatus est distinctionis numerus, sed cur non emendasti erratum adeo graue, cuius causâ, non solum lectores, multas horas essent perdituri, sed tibi etiam quidquid bonæ fidei supereſt, esset omnino periturum? An non etiam Typographi culpâ quæstio, articulus, quæstiuncula, quæ solent accuratè distingui, omnino prætermissa sunt? Sed verius censeo te voluisse fucum facere lectoribus, cum nullum haberes locum, quo illam corruptelam probares, distinctionem citasti, nullâ quæstione, aut quæstiunculâ annotatis, si quis ad inducendos simpliciores in fraudem suppeteret locus, callidè subticuisti, quia noueras nihil minus probaturum, quam quod asseris, *contextum & filum disputationis clamare aduersus eam malignantis natura interpolationem*; si designasses, altius locus ipse clamaret *aduersus tuam malignantis natura calumniam.* Cedo igitur locum Diui Thomæ, cedo illum ex tuis operibus, quo agis in *hanc corruptelam fustuario potius quam correctione dignam.* Sed qui malè agit, odit lucem: ideo refugis te, & Diuum Thomam sincere citare, ne iustas des pœnas, quas aliis iniustissime minaris. Quamuis non effugies, quia, siue cites locum, siue supprimas, non minus silentio tuo,

quam apertâ loci lectione, falsi, damnaberis. Atque hunc locum sibi apertius vindicat, quam in Grauinam parasti multo superiore grauior calumnia.

Summum in Grauinam, & infensissimum odium, non vno loco declarat Raynaudus; cuius causam non aliam noui, nisi hominis eruditionem, & multis scriptis testatum pro veritate acre & ardens studium, quo non est passus, neque S. Thomæ doctrinã neque sui Ordinis famã impunè ab æmulis, sicuti neque Ecclesiæ fidem ab Hęreticis lacessiri. Et si adhuc superstes esset, iustas etiam posthumas sine dubio tot conuitiorũ, tot calumniarũ pœnas sibi de Raynaudo deposceret. Sed vt dicitur, leoni mortuo ignauus canis tutò illudit. Nec in hominẽ doctissimũ, ac de Ecclesia (quamuis inuidia rumpat) bene meritum, iniquius sæuire potuit Theophilus, quam, capite nono huius dissertationis, omni sepositio humanitatis sensu facit, occasione argumenti à decretis summorum Pontificum repetiti: vbi duo distinguit genera decretorum disparis notæ, & authoritatis: quædam inquit sunt prolata ex cathedra, quale est illud Clementis primum, quo sancitur doctrina ab omnibus fidelibus amplectenda in materiâ spectante doctrinam fidei: cuiusmodi inquit, decrera faciunt rem planè certam, nec vllo modo sunt obnoxia errori. Hoc autem decretum prius ex Nugnio & Choquetio refert, Dominicanos, Pontificem impulisse vt ederet: cui *suggestioni* (ait Theophilus) *si ad eorum mentem inhasisset Pontifex, periculum erat, ne eius decretum cum doctrinâ S. Leonis & antiquorum Conciliorum collideretur. Tamen*, inquit, *prouidit Deus, vt verba, quibus decretum conceptum est, talia essent, vt decretum omnino rectè haberet, & probè cum antiquâ doctrinâ cohæreret: sicut decretum Caïphæ contra Christum, ex mente Caïphæ erat teterrimum: spectatis autem verbis, quibus expressum est, fuit oraculum Spiritus sancti.* Mira hominis maledicentia! inuidiosum illud Caiphæ exemplum diu animo voluebat, & pejus habuisset, quam qui oppresso stomacho animam agunt, quod aliqua vomitatione nequeant releuari: nisi in Clementem, & Dominicanos (quibus æquè infensus est quod Molinam Augustino non anteposuerint) bilem euomuisset, impositâ Clementi Pontifici Caïphæ personâ. Et cum ab hac impietate abhorreant omnes, quibus aliquis fidei aut rationis sensus ineat, visum est Theophilo, illius inuidiam in Dominicanos mendacio deriuare; quasi Authores, aut

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [132] - 52
PUBLIC DOMAIN

certè impulsores fuerint decreti in Suarem; & vt rei fidem faciat, aduocat in testes Nugnum & Choquetium. Hunc postremum legere hactenus non licuit. Primus vero narrat propositâ quæstione, vtrum liceat absenti confiteri, & ab absente absolui, Sanctissimum auditis votis Patrum Theologorum, & re cum Cardinalibus generalibus Inquisitoribus, maturè consideratâ, eam propositionem damnasse, ad minus vt falsam, & temerariam. Vbi apud Nugnum de Dominicanis mentio, vt decreti suggestoribus? sed opus erat mendacio viam aperire ad grauiorum accusationem, qua in causâ Suaris dicitur Clemens VIII. *Caïphæ personam* strenue egisse, vt vnum priuato odio in Suarem impium vellet, aliud obluctante, aut obuertente Spiritu sancto in aduersam partem, verum pronunciaret. Ita Pontificibus fides indefectibilis, & certa authoritas constat, quamdiu Theophili sensus, in fidei dogmata sancit; si quid illi minus conueniens obmurmuret, vix est mentis compos & sui iuris. Nolim etiam dicere vnde hæc prodierit cogitatio, quia mortuis parcendum est. Quid vero suspicari potuit periculi, ne *cum illo decreto doctrina Antiquorum Conciliorum, cum magna implexitate fidelium collideretur*, & oportuisse Spiritum sanctum luctari, cum priuato affectu Authorum decreti, ne à veritate aberrarent? Quis nesciat? Potestne ipse Theophilus in dubium reuocare, eam fuisse mentem Clementis VIII. & omnium Consultorum, vt damnarent opinionem nuperam, quam plerique Doctores scriptis priuatis & publicis, atque occulto vsu inducebant, vt sacramentum pœnitentiæ litteris vltro citroque missis integrum absentes administrarent? Hunc errorem intercipere, & extinguere vnus erat omnium finis, & scopus; Ille est etiam vnicus decreti sensus. Putat ne, Theophilus eâ de causâ suspectam fuisse erroris, aut dissentionis à Traditione Ecclesiæ & à Spiritu veritatis? Mira est ergo audacia Theophili, quod decretum sinceriſſimum sugillarit, quasi aliquid humanum resiperet, nec longe abesset à periculo erroris, nempè quod opinionem vt loquitur Pontifex falsam & scandalosam; sed sibi probabilem confixerit.

Sed videmur longius à Grauinæ causâ & defensione recessisse. Illum grauissimi criminis & *adulationis*, vt dicit *putentissima* accusat; *quod ausus sit effutire, omnia, quæ in quibusuis Romanis congregationibus Pontificiâ authoritate decernuntur, certa esse, & nulli errori obnoxia, ob* spe-

lissimam Dei prouidentiam, quâ iudices donantur in decernendo. Vix oculis meis credo (verba sunt Theophili) *cum asseueranter ab eo traditum lego præscriptionum controuersiâ quintâ, articulo quinto, dubio secundo, paginâ 115. nullum decretum Romanæ alicuius congregationis, ex ijs quas Xistus quintus erexit posse esse fallibile, propter assistentiam summi Pontificis in eâ Curiâ; & quia numquam potest esse deceptio, aut error in Clero Romano.* Dum ista lego apud Theophilum de Grauinâ, idem multoque maior me opprimit stupor, quam quo se captum ait, & vix oculis meis credo, ea potuisse scribere hominem, qui Christianum & Religiosum se esse profitetur. Grauinam relego à capite ad calcem, nec solum paginam, dubium, aut articulum, sed totam controuersiam excutio; nec quidquam possum deprehendere, quod adeo atroci accusationi, vel minimam vmbram potuerit præbere. Vnum vellem à te scire, cur dum Morelles accusas corrupti loci ex D. Thoma de Conceptione immaculatâ per oscitantiã, aut veriùs forte per fraudem meditatam designas tantum primum Sententiarum distinctione quadrageſimâ secundâ: cum vero *pntentißimæ adulationis* vis infamiâ aspergere Grauinam, tom. 4. controuersiam quintam, articulum quintum, dubitationem secundam, paginam 115. scrupulosissime citas? Quid hoc rei est? Cur adeo es tui dissimilis? Cur vno loco ita anxius? Cur altero ita dormitabundus? An putas Grauinam diligentius excutiendum, quam Diuum Thomam? Vel adulationem eius acrius castigandam, quam Morellij interpolationem? Nihil horum tibi venit in mentem. Nempe noueras Grauinam & Morellem æquè insontes, & a tuâ calumniâ remotissimos; sed cum scires inter Diui Thomæ & Grauinæ libros id interesse, quod illi extent in omnibus bibliothecis, & officins Bibliopolarum, isti vero Neapoli semel tantum editi, non ita sint ad manum; callidissimè subodoratus es, fraudem & calumniam apertum iri, si locum Diui Thomæ citasses, quem facile erat explorare. Anxiâ autem citatione Grauinæ voluisti fucum facere lectoribus, quasi de Auctoris mente certus, illos ad examen loci inuitares: quem dum legis, dicis *te vix oculis tuis credere*; & aliunde in tuto calumniam videbas, quod paucis, aut penè nullis copia libri suppeteret, quo possent tuam incredibilem audaciam, deprehendere: imo in tam seria, tam scrupulosa, quam ad fraudem ostentas, inquisitione, lectione, citatione loci, po-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [134] - 54
PUBLIC DOMAIN

terant conquieſcere. Sed teſte cœlo hæc mala fraus reuelanda eſt: neque dubito, quin iſta quotquot leger int, occupaturus ſit ſtupor, virum profeſſione & nomine Religioſum, auſum accuſare erroris & adulationis virum grauiſſimum; & ex illo verba referre à ſe cum ſtupore lecta, quæ nulla extent, niſi veriſſima, ſanctiſſima, quæ tantum Theophili morbum indicent, & remedium præſcribant. Sed cum ad iſta deberet Theophilus reſipiſcere ruit in Medicum, eumque diſcerpit. Quid enim eo loco habet quẽ citat? Nihil prorſus illorum quæ imponit de infallibilitate omnibus congregationibus aſſertâ. Vis lector aperiam quid illum adeo male habuerit? Non quod dicit falſo, ſe apud ipſum legiſſe; ſed quod ſe aggregarit Marco Antonio de Dominis primùm ſuo fratri, deinde Apoſtatæ, aliiſque non diſſimilis contumaciæ in Congregationes Romanas, à quibus ægerrimè tulerunt ſuos libros damnatos. Eo loco, Grauina refert Marci Anthonij de Dominis conuitia in Congregationes Cardinalium, in tribunalia Inquiſitionis, quibus vicem reponebat pro damnatis ſuis libris. Huic Apoſtatæ rebelli adjungit alium ſimilis contumaciæ tacito nomine, quem puto Potzam eſſe Theophili germaniſſimum. *Qui*, inquit Grauina, *operis ſui damnationem Sacroſancti Tribunalis auctoritate factam vindicare cupiens, ſui libri proſcriptionem ab Eminentiſsimis Cardinalibus factam cauſatur, quod vi, fraude, ignorantiâ, & non legitimè à Cenſoribus inſtructi fuerint: vnde ait, ſe inauditum damnari: hac & ſimilia, tribus, quas pro ſe compoſuit Apologiis, inſeruit, quæ hìc prudens omitto.* Aperto morbo remedium his verbis apponit, *Sufficit mihi inquit, ad obedientium filiorum cautelam, hac attigiſſe præſente remedio, vt in corticibus venena caueantur, ferientia vero ingenia diſcant, proprium eſſe malè feriatorum ſummis Pontificibus obtrectare, & eorum tribunalia ſtylo maledico fodicare.*

Hæc continentur, loco, & paginâ quam citat Theophilus. Vbi vero illæ fœtidæ adulationes Grauinæ? Vbi aſſerta congregationibus ſingulis infallibilitas, etiam in quæſtionibus facti? Vbi lego tantum Marci Antonij conuitia, ac pene blaſphemias, Potzæ expoſtulationes, rebellium exempla, vno verbo Theophili imaginem, heu nimium! ad viuum expreſſam. Vnde nihil miror dum iſta legeret ſuis oculis vix credidiſſe, quandoquidem nihil legerit eorum quæ extabant. Vis dicam, quid illi acciderit? Quod ſolet Camelo

profluens lympidum trananti, aut ebibenti : vel enim aquam conturbat, vel in rabiem agitur quod turpissimum sui aspectum, quem aqua pellucida subiicit, ferre nequeat. Alibi leonis, interdum vulpis, aliquando etiam aliorum animantium indolem est imitatus : hic camelum egit furiosum in Grauinam, quod eo loco quasi profluente lympido, aut speculo pellucido, in Marco Antonio, & in Potzâ, aliisque aduersus congregationes Romanas contumacibus, sibi ipsi visendum subjecerit. Quam vero alienus sit Grauina, ab eâ quam illi falsissime imponit assertâ congregationibus pari infallibilitate cum summis Pontificibus; relegendus est toto illo articulo citato, quo ne verbum quidem de congregationibus à Sixto V. erectis statuisse ipsimet tituli dubiorum argumento sunt inuictissimo, quo cuiusuis impudentia & audacia superari possit & frangi. Quid enim illius articuli dubio primo quærit ? An tota multitudo fidelium possit errare in fide. Quid secundo ? An tota multitudo Clericorum Ecclesiæ ? Quid tertio & quarto ? An totus Clerus Romanus, an totum Collegium Cardinalium, nemine saluo, aberrare possit à fide ? Et quid ad ista respondet, præsertim ad vltimum ? Licet non sit promissa Clero Romano, aut Collegio Cardinalium, semoto à Papa, fidei infallibilitas, piè tamen & probabiliter credendum, vix omnes, nemine excepto, in hæresim vnquam casuros. Quid horum Theophile, putentissimam olet adulationem ? Quid te exacerbarit iam monui, nempe exemplum, & castigatio, tui similium in congregationes Romanas contumacium; & si injustas non putes fore expostulationes in illas, nisi credas falli & peccare suis dictis & decretis non posse: classicum canis in omnes Reges, Principes, Episcopos; cœlum terræ misces, impiis quibusque ministras arma ad rebellionem; si hoc nomine permittas in Magistratus & Principes, insurgere, quod illis possit aliquis error obrepere, & Pontifici, aut Conciliis Oecumenicis inferiores, eorum decretis, leges minoris authoritatis condant. Eò igitur deuenit accusatio Grauinæ, noluisse paris esse infallibilitatis congregationum, & summi Pontificis decreta, ac Antonij de Dominis & Poxæ rebellionem in eas congregationes damnasse. An non times Theophile, ne dum viris grauissimis, & insontibus huiusmodi calumnias paras, tuum apud posteros nomen traducas?

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [136] - 56
PUBLIC DOMAIN

Articvlvs Vltimvs.

Præposterum Theophili iudicium.

De Catechismo, & de Rituali Romano.

Qvatvor promiseram me ex Theophili dissertatione, castigatione digna excerpturum. Trium iam fidem absolui: supereſt postremum, quo exercitationem claudam, nempe iniquissimum de Catechismo Romano cum Rituali collato Iudicium. Licet ea singularis, quam defendendo decreto Pauli V. contra Interpretationem Suaris & Theophili argutias iniuimus, via & methodus, ita in tuto ponat causam nostram, vt ne verbo quidem, & fortè, nec cogitatione illam Theophilus attigerit, nec vllis argumentorum machinis labefactare posset: tamen cum plerique Thomistarum, aliam tentauerint viam paulò difficiliorem, putaui mei esse officij illorum defensionem aduersùs Theophilum susscipere. Vrget maximè Choquetium ex Rituali Romano, quod jubet absolui moribundum, qui dum sui compos erat, vel minimum doloris ediderit suorum signum peccatorum, aut voluntatem confitendi: ad illud argumentum respondet in primis Choquetius, huiusmodi Rituale opus esse, priuati Doctoris operâ confectum, nec illius authoritatem excedere; & quamuis jussù Pontificis fuerit conscriptum, aut euulgatum, nullam illi nouam authoritatem accedere, siuè quod non præcesserit serium Theologorum examen, siuè quod Pontifex propter priuatam Ritualis opinionem, nolit quidquam derogari præconceptis Theologorum opinionibus. Confirmat suam responsionem Choquetius aduersariorum Iudicio de Catechismo Tridentino, quem licet Concilij Oecumenici jussu editum, Pij V. authoritate munitum, volunt (& hoc suâ responsione confirmat Theophilus) ab vno Ordinis Prædicatorum confectum, nec excedere authoritatem Doctoris priuati, & non semel esse hallucinatum: quia Author ille, dum nimium indulget priuatis suorum sententiis, non pauca in illud intrusit opus, quæ merito non probantur omnibus, vt quod de concursu Dei, imo præcursu tradit, exponens primum Symboli Articulum numero 2.

Ampliſſimus hic campus se aperit ad nouum certamen

pro Catechismo Romano cum Theophilo ineundum; quod vltro susciperem : nisi quæ in hanc rem dici possunt, occupasset summa eruditione, quem sæpius lacessit, & quem hic impugnare debuerat, si minus pugnandi, quam conuitiandi causas quæreret, Pater Reginaldus editione Tholosanâ, quam doctissimâ dissertatione locupletauit. Abstineo ferè ab omnibus, quæ ipse eleganter scribit, & vnam tantum vrgeo collationem Catechismi cum Rituali quâ prorsus cadunt, imo in ipsum regeruntur quæcumque in Choquetium effutit; & certè mira hominis cæcitas est, nisi viderit Rituale impetere, quæ in Catechismum tela contorquet; nec minor est imprudentia, quod ea scripserit, quæ sibi magis quam Choquetio essent nocitura. Vere hic more Achilleæ hastæ curat vulnera, quæ infligit. In primis quæro à te Theophile, vnde vis adeo immanè distare Catechismum à Rituali Romano, vt istud sit summæ & indubitatæ authoritatis, nihil habeat non dictatum ex Cathedra, ac proindè ex tuâ mente paris sit cum scripturâ Canonicâ infallibilis auctoritatis; cui Choquetium intercessisse hæresis sit manifesta : Catechismum vero Romanum nihil habere singulare, præter Latinitatem à Manutio, & vnius priuati Theologi Dominicani eruditionem & fidem : cui vis etiam apud nos detractum, quod indulgeat priuatis suæ Scholæ sententiis, & omnium periculosissimam de concursu prævio, quam hæresim manifestam putas, suo operi inseruerit? Doceas ergo nos, rogo, cur Rituale libris Canonicis æques tanquam totum ex Cathedrâ dictatum : Catechismum vero annumeres lucubrationibus, cuiusuis priuati, & quamprimum inter libros prohibitos primæ classis reponendum, quod aliquid de præmotione Physicâ ante Bannesium obmurmurauerit. An ita statuis de vtroque libro, quod in Rituali omnia sint maturè considerata, & Pontifex contestetur in diplomate, se ad id adhibuisse præstantes doctrinâ & prudentiâ Cardinales, quos inter eminebat singularis doctrinæ Vir Iulius Anthonius Sanctorius Cardinalis sanctæ Seuerinæ: secus vero de Catechismo Romano factum, quem vnus tantum Dominicanus Theologus scripsit, adjuncto vno Grammatico, qui eum cultu Latino donauit : & hâc de causâ Rituale nihilo minùs distare putas à Catechismo, quam tuum aût meum librum à Pauli Epistolis. Itane putas licere contemptim de Catechismo Romano loqui; & sacrilegij arguis nos, si quid simile de Rituali censemus? Ignoras è Patribus

& Theologis, qui Concilio Tridentino interfuere, & eius mentem prorsus nouerant, ad illud opus delectos tres præstantissimos viros, Leonardum Marinum Archiepiscopum Lancinensem, Ægidium Foscaricum Episcopum Mutinensem, Franciscum Forerium Lusitanum, & quidquid isti scribebant communi opera, ad limam Cardinalis Sirleti, nulla re Anthonio Sanctorio inferioris, vno verbo sancti Caroli præceptoris, & sede Apostolicâ dignissimi iudicio discipuli, fuisse reuocatum? Confer Authores Ritualis, cum his, qui Catechismum scripserunt & recensuerunt; compara: si tui istos vincant, assentiar tuo de vtroque opere iudicio.

Sed fortè dices, Rituale elegantius & accuratius scriptum. Si ita audeas proferre (vt tua phrasi qualibet Tullianâ lepidiore vtar) *ludibrium debes* omnibus doctis & criticis, penès quos est de librorum stylo jus pronuntiandi. Forte Auctores Ritualis supra Catechismi scriptores attollis, quod jussu Pauli V. huic operi incubuerint? Putas-ne hanc commendationem Catechismo deesse? Nescis Concilij generalis auctoritate scriptum, jussu Pij V. reuisum, & emendatum à totâ Ecclesiâ summo applausu exceptum, tanquam diuinum opus, in quo eruditio, cum eloquentiâ, doctrinæ puritas & securitas, cum aliis dotibus certarent? Hic fuit de Catechismo totius orbis Christiani sensus, ne exceptis quidem Hæreticis; quibus admirationi est, & censent posse, doctissimam antiquitatem prouocare. Vnus reclamat Theophilus diuini concursus præuij hostis, & illi infinitis partibus Rituale anteponendum censet: forte ob hanc causam (quia superiores validè excluſimus) ab argumento librorum repetitam; quod Rituale tradat vsum, & praxim sacramentorum communem, & à totâ Ecclesiâ receptum, etiam ante huius libri editionem. An hâc parte inferior est Catechismus? Numquid summa est doctrinæ Apostolicâ traditione receptæ, & totius Scripturæ compendium? Numquid credenda, agenda, & speranda omnia complectitur? Forte relictis quæ ad salutem sunt necessaria, prosequitur curiosa, futilia, & interdum venenosa? Si ita sit de hoc Catechismo vti censet Theophilus, mira fuit orbis Christiani cæcitas, quod hunc librum, ne dicam tamquam cœlo demissum exceperit, sed quod jampridem, damnatis libris non recensuerit. Incredibilis & stupenda fuit Pij V. negligentia & stoliditas, quod toti Ecclesiæ, loco Christianæ ve-

ritatis vnius priuati hominis cogitationes, & quod deterius est, venenum errorum dederit omnibus fidelibus propinandum: quis contra, non videat eo maxime Catechismum Rituali maioris esse auctoritatis, quod isto doceantur, quæ ad vsum & praxim sacramentorum spectant: quibus citra notam erroris, aut fidei periculum, possint interdum dubia incerta & aliquando etiam speculatiue falsa misceri. Catechismus vero doctrinam fidei & indubitatas regulas sanciat? Hoc vero discrimen doctiores Theologi reponunt, & omnes debent agnoscere inter res quæ Christianæ religionis ambitu continentur; quod credenda, qualia sunt, (quæ Catechismus docet) nec errorem vllum, imo nec dubitationem voluntariam patiantur: agenda vero, sicut & res facti, de quibus ritualia, longe minorem exigant certitudinem, quam quæ dogmatibus constat. Probabilibus, dubiis inter agendum ducimur, quæ proinde falsa esse possunt, non tamen noxia, neque periculosa: & de ijs quámlibet reluctetur Theophilus, oportet agnoscat verissimum esse, quod ex dictis Choquetij maxime carpit, non esse mentem Pontificis, dum verbi gratiâ statuit absoluendum moribundum cui aliquod verbum excidit quo innuerit se pœnitere peccatorum, & velle ea confiteri, vllo pacto velle præiudicare priuatis sententiis Scholasticorum; quandoquidem censet tunc absolutionem impendendam extremi periculi causâ, quod si euadat moriturus, jubet repeti. Ergo nulli parti Theologorum hâc de re dissidentium nocet: non asseruit nullam esse absolutionem quandoquidem vult adhiberi: non negauit, neque sanciuit, validam esse absolutionem, quandoquidem timet, & ideo statuit repetendam esse. Nihil ergo inde præiudicij infertur, nec nostræ sententiæ, nec Choquetij responsioni. At non sic est de rebus fidei, quæ Catechismo docentur, quibus si quid suspicionis falsi immisceas, omnem abrogas authoritatem. Altero exemplo apud omnes comperto, discrimen agendorum, & credendorum quale etiam intercedere contendo Catechismum inter & Rituale, demonstro. Eleemosynam largiri jubet charitas petenti, dummodo speciem pauperis præ se ferat: adorandam cultu latriæ Hostiam tota Ecclesia docet cum à Sacerdote peractâ consecratione populo spectanda exhibetur, quamuis vtrobique imponi possit, & error obrepere; quia nihil inde mali creatur, nec charitati quæ omnia credit, nec prudentiæ, quæ probabilia facti non euiden-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [140] - 60
PUBLIC DOMAIN

tia sectatur, nec Religioni, quæ in Hostiam fertur, non more intellectus & fidei, sed affectu voluntatis, quæ magis sollicita est præstare quod debet obsequium, quam inquirere quid rei reuera sit in se, hæc enim ad altius intellectus & fidei subsellium pertinent quibus non potest error etiam inuoluntarius imponere citra graue damnum: ergo certiora sunt quæ Catechismo, quam quæ Rituali continentur; cum ille res fidei tractet, isto præscribantur ad praxim necessaria. Vnde mirari subit ignorantiam, aut imprudentiam Theophili, quod velit quæcumque traduntur in Rituali à summis Pontificibus commendato, aut eorum nomine edito, esse ex Cathedrâ definita. Profecto dum obsequium & reuerentiam in summos Pontifices venditat & ostentat, in contemptum inducit: & dum hæc omnia canonicis libris paria vult esse, satis demonstrat, se nihil eo animo & obsequio prosequi illorum, quæ à sede Apostolicâ proficiscuntur. Acutè Seneca de Homero apparet, nihil eorum quæ docet Philosophia esse in Homero, quia omnia sectarum Stoïcorum &c. in eo dogmata extant.

Hoc verius in Theophilum cadit, nihil à summis Pontificibus vt certum ex Cathedrâ definiri posse censet, quia omnia Ritualia eo loco habet. Paris est enim periculi & erroris, nihil aut omnia, à summis Pontificibus definiri posse, ex Cathedrâ siue fide diuinâ excipienda. Nec mirum est Theophilum eo delapsum esse, quia vbique affectuum impotentia eum à recti & veri semitâ, atque ab eo virtutis laudato medio abripit, nihil scribit, nisi partium studio, nec verum, aut sincerum Philosophum, sed purum Sophistam agit, res solo commodo metitur; postposito boni communis respectu, nihil pensi habet, dolo an virtute pugnet, dummodo aduersariis odium & inuidiam creet. Hoc prorsus consilio & animo instituit Catechismi & Ritualis Romani collationem, quam adeo cæco impetu contra Choquetium vrget, vt quæ duobus libris de Præmotione contra Bannem, quasi illius opinionis primum Auctorem scripsit vnico verbo euertat. Adeo enim sui oblitus est, vt opinionem de prædeterminatione, quam vt nuperam, & vt Bannesij commentum traducit, Catechismo Romano insertam agnoscat, ab illius auctoribus Dominicanis, Bannesio antiquioribus, tamquam Familiæ Dominicanæ, & Scholæ Thomisticæ Domesticam traditionem, & priscam institutionem. Quid facies isti Auctori, qui nullâ fide, nullâ sin-

ceritate scribat, sed quæcumque obuia sunt arripiat, vt præsenti causæ inseruiat. Dum sub personâ Petri de Bellis ficti Apostatæ fabulam ludit contra Dominicanos & Bannesium; præmotionem vult esse inuentum recentiorum Thomistarum; dum Catechismum Romanum exagitat, scribit esse antiquum Scholæ Dominicanæ errorem. Certe conueniebat mendacem sui memorem esse, nec adeo diuersa & contraria referre. Quî enim fieri potest, vt prædeterminatio physica sit recens Bannesij partus, & antiqua traditio Dominicani Ordinis, quæ in errorem induxerit Scriptores Catechismi Romani? Quâ de causâ adeo disparis sit authoritatis à Rituali. Atque hæc de totâ controuersiâ sufficiant aduersus Theophili exceptiones, cum nullam aduersus Suarem admittat de probabilitate opinionibus conciliandâ. Nos tres objecimus, & valide confirmauimus primam de probabilitate generatim, alteram de probabilitate in re sacramentariâ & Pœnitentiæ Sacramento inter absentes administrando, quoad partem vtramque confessionis & absolutionis. Tertiam denique de confessione seorsum sumptâ. Theophilus ita liberalis est in Suarem, vt hæc tria posse, & re ipsa confeciſſe velit. Nos contra apertis (vt credimus) argumentis nihil horum effeciſſe, nec etiam posse demonstrauimus. Quis nostrum vicerit iudicium esto penes lectores æquos & doctos, quos rogo meminerint vltima exercitationis parte summos Pontifices, secundâ, ipsum Suarem pro nobis contra Theophilum stare.

SECTIO QVINTA.

Ex Raynaudo tria refelluntur, quibus nimium probabilitatis vsum fouet.

HACTENVS de Vsu probabilitatum disputauimus aduersus Theophilum, non pro argumenti dignitate, sed quantum exigebat, de absolutione moribundi, & de epistolari confessione, Thomistarum cum recentioribus controuersia. Non erit alienum à nostro Instituto, si paucis tria expendamus, quæ ex eodem authore doctissimus Sinnichius annotauit, communia illi cum cæteris probabilitatum patronis. Laudat impensè & vltra modum recentiores Scri-

ptores : quos vult *supra Senes intellexisse, & Doctiores esse Patribus Antiquis.* Approbauit etiam Tamburini opus Lugduni editum in Decalogum, quod videtur scriptum contra Decalogum ; adeo præceptorum diuinorum laxissimis interpretationibus, vim & vigorem emollit ; quas omnes fecit suas Theophilus, dum approbauit. Sed nominatim institutionem locutionis humanæ ex probabilitatum regulis corrupit singulari libro, quo Lessij Apologiam scripsit, id est æquiuocationum & restrictionum mentalium vsum licitum esse contendit. Hæc tria capita delibabimus, ne videamur quidquam omisisse quod ad rem subjectam pertineat.

Articvlvs Primvs.

Nimiæ Recentiorum laudes quæ in contemptum antiquiorum vergunt, refelluntur.

Qvi probabilitatum causam hoc nostro sæculo susceperunt Scriptores, præcipuum illi præsidium parant à commendatione recentium Theologorum, vt jus illis asserant nouas condendi opiniones, olim ignotas, & antiquis Patribus & Theologis improbabiles ac periculosas, nunc tutissimas & ab omni specie mali aut damnationis periculo remotissimas. Atque iis artibus sibi arrogant, aliisque concedunt, eam authoritatem à nullo sanctorum Patrum hactenus vsurpatam, vt quæ noua proferunt, vetera æquent, immo superent : & prioribus antiquatis sua inuenta sufficiant, iisque fidei dogmatum vim inesse velint ; præcipiant ab omnibus recipi quasi communiorem Ecclesiæ sensum, quæ nullâ in re, etiam nuper ab ipsis inductâ falli possit, ac proinde pro Hæreticis habendos, si qui reclament huic communi, quam obtendunt, & totis viribus promouent consensioni Theologorum in suam priuatam ac nouam sententiam.

Et ne ad singulas descendam, quæ quotidie nascuntur, atque ex improbabilibus & damnatis probabiles fiunt, & tutæ opiniones de qualibet re Theologicâ, quæ ad mores & fidem spectant, exemplo sit ipsamet opinio cæterarum regula & origo ; quæ *ab omni peccato immunitatem & securitatem salutis nihil differre statuit à probabilitate quacumque, in qualibet materia fidei & morum conciliata*

ab vno Authore. Nupera est à tribus diebus nata, cuius nulli vmquam antiquorum Patrum venerit in mentem, nisi vt illam execrarentur: & hoc agnoscunt sinceriores probabilitatum Patroni, quamuis Caramuel sui Apologematis titulo magnifico magis quam vero asserat, *Coeuam esse mundo, & omni æuo in Ecclesia & in Schola communem.* Sed cum ipsemet conscius sibi sit, hæc tituli libro præfigi facilius potuisse, quam toto opere probari, & ad pompam dicta esse, vt fraudem faciat incautis, nullis argumentis, solis paralogismis ac verborum phaleris vrgeri & jactari: hinc ipse & reliqui omnes rati Antiquitatem suæ causæ obesse plurimum, nihil fauere nouæ doctrinæ; à Nouitatis laude & à recentiorum supra Antiquos commendatione fidem sibi faciendam esse putant.

Vnde Caramuel Theologiæ fundamentalis numero 197. *In materia morum*, inquit, *maioris facienda sunt iuniorum opiniones, quam veterum: Maioris omnino responsiones, quas dant Theologi conscientia-consulti, quam quæ in libris ponuntur: maioris viuentium consultationes, quam defunctorum.* Idque duobus argumentis conatur euincere: primum repetit à perpetuo conflictu corporis & animæ, eoque vult animum fortiorem & liberiorem euadere, quo magis maceratur & debilitatur corpus: & cum pro comperto habeat veteres maiores mole, & viribus robustiores fuisse; inde necessario dicendum infert, *Iuniores subtilioribus ingeniis praditos, ac proinde Socrate, Platone & Augustino fuisse & acutiores, & oculatiores Scotos, Molinas, Suarios, Vasquios.* Aliud addit argumentum, esto Veteres ingenio præstent, aut æquent recentiores, non sequi illis pares esse doctrinâ: *Quia viris magnis*, inquit, *successimus, sumusque conceptuum selectissimorum hæredes: & dum omnes legimus & audimus, etsi essemus ingenio suppares, doctiores dici deberemus.* Vnde concludit, *Hæc satis in materiâ tam certâ* Quasi rem propositam, id est præstantiam ingenij & doctrinæ Recentiorum supra Antiquos iis duobus argumentis quasi apertis demonstrationibus confecisset.

Licet vero Caramuel præ omnibus effusissimus sit in nouitate laudandâ; obseruat tamen Sinnichius illi præceciniſse Raynaudum discussione nouæ Libertatis parte 2. capite 4. vbi ita habet: *Scholastici posteriores supra senes intellexerunt; & pleraque omnia reijcienda esse agnouerunt, quæ anteriores probauerant. Primordia sane incultiora esse, tradit*

dit Tertullianus, & scite Ægydius in eandem rem posteriores supra humeros priorum longius vident, sicut Nanus si supra humeros gigantis attollatur: itaque posteriores Theologi (vt facile est anteriorum inuentis addere) perspexerunt, quæ prioribus illis probabantur, esse verè improbabilia.

Theophili vestigia pressit Caramuel; & longè altius nouitios Scriptores supra primos attollit passim, præcipuè Epistolâ ad amicos Theologiæ fundamentali, ex editione Francofordiensi præfixâ, vbi illos sic compellat: *Vestra ego scripta, aut exarata manu, aut Typis edita, quæque habere licuit, sapientissimi viri, quotidie diligenter euoluo: & nostro sæculo gratulor, quod non habeat cur aurea antiquitati inuideat.* In editione Francofordiensi ita prosequitur: *Intelligo priscæ ætatis Historias, & admirabundus obseruo, nullum sæculum debere conferri cum nostro: nam si ingeniorum numerum considerem, tot habet viros doctos hæc ætas, quot omnes præteritæ simul: si ingeniorum Eminentiam perpendam, fuisse olim in orbe litterario Theologos vobis suppares aut majores, crediturus non sum.*

Non repetam quæ eruditissimus Sinnichius obseruat in hac recentiorum cum antiquis comparatione cõtra omne æquum, & etiam in scientias peccata & errata satis crassa, quorum specimen dat ex illâ præposterâ, & prorsus improbabili argumentatione à perpetuo conflictu corporis & animi desumptâ; vnde tanquam *omni certo certius* infert nos antiquis subtilioris ingenij, quod simus corpore macilentiores & breuiores. Inde sane concluderetur, obtusissimos omnium fuisse gigantes; & ex aduerso acutissimos Pygmeos, *quorum tota acies pede non est altior vno.* Hinc obseruet prudens Lector Caramuelis Iudicium de suis argumentis, cum istud adeo ineptum & ridiculum pro certissimo habeat. Vel enim ita ex animo censet, vel fingit: si hoc secundum asserat, fatetur se Sophistam agere; si primum obtendat (quod vix ausim credere) ipse viderit quid de suo Criterio post istud experimentum sit nobis statuendum. Dices hoc argumentum per se infirmum fulciri ab altero validiore, quod repetitum est ab accessione hæreditatis Patrum nuperis inuentis factâ, quâ illis simus doctiores; sed illa argumentatio est primâ debilior, pluraque continet falsa & sanctis Patribus indecora.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [145] - 65
PUBLIC DOMAIN

Credis-ne illos ſcripſiſſe quidquid ſcirent ? vel ſcripta eorum omnia ad manus noſtras peruenisſe ? vel quæ ſuperſunt legiſſe aut capere & in numerato habere? Non credo ita te ſuffenum & tibi fauere, vt hæc tria tibi perſuadeas, vt te, vt Neoticorum vllum Sanctis Patribus eruditione ſuperiorem aut parem reputes. Deinde argumentum hoc eſt extra propoſitum, quia hæreditas Sanctorum Patrum ad eos pertinet, qui ab ipſis tradita illuſtrant, non ad illos qui ipſis ignota & noua cudunt.

Maioris momenti eſt altera obſeruatio. Caramuel poſt editionem Francofordienſem Theologiæ fundamentalis, alteram Romæ adornauit, & ratus non admodum placituram ſummo Pontifici, & Romanis Cenſoribus comparationem adeo iniquam, quâ recentiores Theologos Eccleſiæ Latinæ & Græcæ Patribus anteponebat hanc verbis relatis ex Epiſtolâ ad amicos inſeruit periodum: *Nolo vos componere cum Eccleſiæ Doctoribus; illos videtur Deus exornaſſe prærogatiuis ſpecialibus, vt eſſent poſteris admirationi & Magiſterio. Præſcindo ergo à Gregorijs, Ambroſijs, &c. quibus cum viuentes non debeant componi, verto ad cæteros oculos, nec reperio quid valeat veſtræ eruditioni & ſapientiæ præferri.*

Non dubito quin repugnante ſtomacho editionem Francofordienſem correxerit, vt ſeruiret tempori, & ne Romam (vbi ſecundam editionem moliebatur) offenderet, cui maximo ſcandalo eſſet Auguſtinus ingenio & eruditione poſthabitus. Quod tamen ita apertè à ſe demonſtratum putabat argumentis à corporis decremento, & augmento hæreditatis, vt concluſerit, hæc *ſatis in materiâ tam certâ.* Et quis de eius mente dubitet, cum Theologiæ fundamentalis numero 1264. ſcripſerit ? *Si abſit inuidia & præiudicium, tota Moralis Theologia noua eſt: quis enim negare audebit, eſſe hodie in Dianâ centenas opiniones probabiles, quæ Auguſtino & antiquis Eccleſiæ Patribus ignotæ.* Hinc excurrit in laudes Dianæ quaſi *Alexicaci & Herculis Chriſtiani monſtrorum domitoris, & depulſoris malorum, quaſi alterius Chriſti Redemptoris & Agni, qui abſtulerit peccata mundi. Ego*, inquit, *ingenium Dianæ, viri quidem doctiſſimi veneror: eius induſtriâ multas opiniones euaſiſſe probabiles, quæ antea non erant, inuidus ſit qui non affirmet.* Summa eſt

troſtra infœlicitas, inuidiæ adſcribi, quod improbemus opiniones, quibus latè via reſeratur ad omnia ſcelerum & impietatum genera, ne polytheiſmo quidem excepto; quem ipſe Caramuel *homini ſua prudentia relicto*, non diſſimulat *probabilem eſſe*, ac proinde tutum, & ab omni culpâ immunem. Certe ſi inuidiæ imputetur hæc nos improbare, neſcio quis tandem legitimo dolori & zelo diuinæ gloriæ locus ſit futurus.

Nec minus Diana in Caramuelem effuſarum laudum eſt prodigus, ſubinde *doctiſſimum & acutiſſimum* epithetis ad nauſeam iteratis compellat. Quid hac mutuâ prædicatione oſtendunt? Nempe vt reciprocis laudibus à communi eruditorum ſenſu alienis, probabilitatem comparent & augeant, ſaltem quam vocant *extrinſecam & authenticam*; qualem aſſerit Caramuel, Dianæ epiſtolâ ad ipſum ſcripta his verbis: *Certi ſumus, tanto illius dogmata Theologorum firmari numero, vt quarenti, an hoc aut illud liceat, ſufficiat reſpondere, Diana dixit*; Ita Caramuel. Hanc regulam ab illo conſtitutam reputo quandam eſſe fidei præuaricationem.

VVendrochius Notâ 5. ad Epiſtolam quintam vitio vertit Reginaldo & Cellotio, quod vterque ſcripſerit: *Quæ circa fidem, emergunt difficultates, eas eſſe à veteribus hauriendas; quæ vero circa mores homine Chriſtiano dignos, à Nouitiis Scriptoribus.* Hanc enim controuerſiarum regulam ſtatui non potuiſſe citra contemptum S. Patrum ac religionis perniciem, VVendrochius contendit: at excuſat Stubrockhius ſui inſtituti Authores, quod *Veteres, non Patres deſignarint*; quo nomine interpretatur Scholaſticos Veteres, quibus inconſultis, aut reclamantibus nihil mali putat dirimi controuerſias de moribus; ſed reuerentius habet Sanctos Patres, quos cenſet conſulendos ſemper, niſi forte dubitatio ſit de cenſuris interdicto, aliiſque id genus minutioribus rebus quarum vix vllum extat verbum apud SS. Patres.

Sed his metis non ſe continet Caramuel, & ſicut probabilitatum regulis, res omnes ambit, & complectitur, quę ad mores & ad fidem pertinent, vbique etiam cum de rebus religionis & ſalutis agitur, cenſet *Iuniores SS. Patribus, immo noua veteribus eſſe anteponenda.* Bono animo crediderim huiuſmodi nouis probabilitatibus indulgere

hominibus à legis onere vtcumque leuandis : sed timeo nè euentus ex animo non malo, pessimus existat, atque infœliciſſimus, tum ipsis authoribus, tum ijs qui sequuntur clientibus : quia passim exclamant sanctis Patres *vitandam nouitatem, tenendam antiquitatem.* Celestini Papæ paræneſim audio. a *Desinat incessere nouitas vetustatem:* Sixti oraculum excipio ; b *Nihil vltra liceat nouitati, quia nihil adjici conuenit vetustati.* Hormisdæ expostulationem timeo ; c *Quid recentia cupitis, & prisca deseritis?* Orthodoxorum vocem apud Hieronymum auſculto ; d *Ita & nobis Maiores nostri & illis sui tradidere Maiores.* Audio passim ex Scriptura ore Dei commendatas *antiquas* & tritas vias, ac nunquam *nouas*, nisi quas Christus initiauit. Scio f *superbi spiritus esse & de seipso præsumentis, docere Magistros, arguere Seniores, imperare Maioribus.* Nouitatum affectatores lego apud Nazianzenum g Scepticos & Pyrrhones, id est dubitabundos vocari. Ab iis Patribus didici *proprium esse Christianæ modestiæ & grauitatis, non sua posteris tradere, sed à Maioribus accepta seruare* h. Iis Sanctorum Patrum monitis & exemplis, quæ Sinnichius quasi sacræ Antiquitatis promuscondus profert in nouos istos dogmatum & probabilitatum cusores, ita commoueor & afficior, vt nullo nouitatis lenocinio, nullis applausibus, quibus video nouas opiniones excipi, patiar me à viâ tritâ abduci. Et sane si Sanctorum Patrum leges me à nouitatibus sectandis & probandis minime cohiberent, absterrerer omnino impiorum lapsu & ruinâ. Illi ex Victorino a *Patres simplicitatis arguebant, & secum natum, morituramque sapientiam credebant*, & de suis ingeniis aliorumque cœcitate identidem cantilenas repetebant, quas recentiores frequenter in ore habent ; nec saltem in speciem videntur longè ab illorum sensu abesse, cum reputabant *sibi fore laudabile, si quid contra antiquos saperent ; & aliquid noui, vt inde periti viderentur, inuenirent.* Sed quis tandem fuit huiusmodi consiliorum exitus ? Plane lamentabilis : nouitatis amor, & nausea vetustatis ipsos cum suis clientibus & assectis in errorum abrupta & præcipitia transuersos egit.

Iis omnibus nihil commouentur hi quibuscum disputamus ; quia putant extra rem esse, neque contra se posse vsurpari, nisi per summam iniuriam ; quamuis odio se no-

a Epist. 1. cap. 1.
b Epist. 2. ad Ioan. Anthi.
c Epist. 22.
d Epist. ad Ctesiph.
e Hierem. 6. & 10.
f Victorin. lib. 3. miscellan. cap. 2.
g Orat. 21.
h Vincent. Lyri. c. 9.
i In Benja. Maiori l. 2. c. 2.

nitatis ſtudioſos, & in nouos Scriptores, in noua placita ſe affectos prodant, vel etiam videri velint. Sanè par erat Caramuelem æquius ferre, ſe ſuique ſimiles à Fagnano Nouatores dici; quandoquidem ita depereunt nouitatem, & contra monitum Lirinenſis, *non ſolum noue*, ſed *etiam noua dicunt*. Mirum eſt adeo abhorrere à nomine Nouatoris ſeu Nouitatis, & rei ipſius ardentiſſimo affectu flagrare. Videtur Caramuelis animus indolem reſipere Demophontis præfecti domus Alexandri Magni, de quo ferunt ad vmbram incaleſcere, ad ſolem ardentiſſimum frigere ſolitum: ita enim ipſe æſtuat, & ægerrime fert à D. Fagnano nomen à nouitate impoſitum, quam tamen depereat. Ego nolim illi dare vllam expoſtulandi cauſam quaſi Nouatorem traducam. Quæcunque retuli ex Patribus & Hæreticis, bene aut ſecus facta dictaque, mihi ad cautelam aſſumpſi, aliis ad remedium, nullis, nec aduerſariis ad reprehenſionem; quaſi propius ab Hæreticorum quam SS. Patrum veſtigiis & imitatione abſint.

Sed ſi liceat controuerſiam noſtram metiri ipſiſimet Caramuelis principiis pro quibus adeo acriter pugnat, nempe omnem probabile licitum eſſe; illud vero conſtitui vnius aut alterius viri doctrinæ & integritatis famâ præſtantis: ſane probabiliſſimum erit, hoc arbitrario probabilitatum vſu nuper inducto præter aut forte, contra SS. Patrum mentem, qui tacent omnino ex Stubrochio, & ex aliis reclamant, illius authores commereri quidquid contra prophanas vocum nouitates dictum eſt: quandoquidem viri ſapientiſſimi ita cenſent; Fagnanus, Sinnichius, & tota Academia Louanienſis, ex qua nullus Profeſſor Caramuelis Theologiam primum Louanij editam probare voluit, vt refert Sinnichius §. 470. quod omnes ſuſpectam haberent nouitatis, & contemptus antiquitatis compertam. Ergo probabilis opinio eſt, in illam cadere quæcunque collegimus de amore Nouitatis & nauſea Antiquitatis, atque ex vtroque capite, ingentibus malis & periculis eſſe obnoxiam.

Dices illos omnes Caramuelis accuſatores Ianſeniſmo laborare, ac proinde priuandos jure nouas opiniones tutas & probabiles condendi. Quid ſi reponamus magis illos à Ianſeniſmo, quam qui accuſant à Polytheiſmo (quem probabilem admittunt) abeſſe. Nullus erit finis accuſatio-

num vtrinque probabilium, ac proinde belli vtrinque iusti; vt vltro, citroque saluâ conscientiâ possint in se hæc regerere. Certe si nullum aliud absurdum & incommodum existeret, ab illâ nouâ inuentione & molitione probabilitatum, quam licentia viris grauibus sibi errores improperandi, aliqua verisimili consecutione ex illorum principiis deductos, execranda plane esset huiusmodi noua opinio tot calumniarum; tot jurgiorum origo.

Sed quidquid sit, non videntur, quâ par est reuerentiâ SS. Patres habiti ab iis, qui putant se præ illis esse audiendos de rebus grauissimis, quibus totius religionis summa continetur, qualis est Decalogi interpretatio, morum disciplina &c. Et si putent ad se non pertinere, quæ retulimus ex nouitatis amore mala & pericula proficisci (de quo nolim contendere) nihil habent quod recusent hanc legem, *vt qui sua à successoribus desiderat mandata seruari, decessoris sui statuta custodiat*, & illam etiam, *vt qui seniores deserunt, à junioribus deserantur*. Adeo tamen ab illâ æquitate absunt, vt velint se à nobis reuerentius haberi, quam ipsi SS. Patres habeant: permittant sibi ab illorum placitis dissentire; probabilibus ac tutis accenseant, quæ illi periculosa & improbabilia reputabant, & nos grauis reatus damnent, si à suis placitis nuperis recedamus. Pessime illos habet confessarius seuerioris & antiquæ disciplinæ tenax, vt illum peccati mortalis accusent, si renuat absoluere pœnitentem, aliquam, è suis opinionibus, secutum quam contra Antiquorum mentem probabilem pronuntiarint. Ad me non pertinet statuere, an quæ dicta sunt à SS. Patribus contra prophanas vocum & opinionum Nouitates cadant in hos nuperos probabilistas: ab omni Censura abstineo, absit vt dicam fidem ab illis violari, vel salutem fidelium in graue discrimen adduci: hoc ipsi viderint. Liceat mihi caput istud his verbis concludere. Durius & iniquius videri, me non posse citra peccatum mortale non assentiri Dianæ & Caramueli, qui jubent absoluere pœnitentem secutum opinionem, quam nuper probabilem effecere. Desidero plane in illis æquitatem, quod velint me plus vni Dianæ deferre, quam ne dicam Augustino, sed omnibus etiam collectim SS. Patribus; & damnationi æternæ obnoxium pronuncient, nisi relictâ antiquitate in eorum sententiam, pedibus manibusque eam.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [150] - 70
PUBLIC DOMAIN

ARTICVLVS SECVNDVS.

Suffragium quo Raynaudus omnia Laxitatum genera approbatione operis Tamburini ſua fecit, expenditur.

NON ſatis fuit Theophilo ſuis ſcriptis nonnullas laxiores opiniones, & reliquarum ſemina perſpergere: ſed ſicut de Saulo obſeruat Auguſtinus lapidantium Stephanum, veſtimenta ſeruaſſe, vt dum ab opere ceſſabat, omnium manibus ſæuiret in Protomartyrem: ita Raynaudus ſuffragio operis Tamburini in Decalogum, quod auctas, exaggerataſque habet omnium Authorum liberiores & periculoſas opiniones, dum approbauit ſuas fecit, & veluti propria inuenta ſibi vindicauit. Quidam me ſtupor inuaſit, vbi encomium legi, quo librum ornat, & contuli cum aliquot capitibus quæ in illo continentur. Atque vt agnoſcas (Chriſtiane Lector) quod nam ſit illud opus Tamburini in Decalogum, quod poſt *accuratam Theologorum recognitionem, innuentibus maioribus, in Italiâ cuſum, dignum (ait) iterato cudi ob doctrinæ ſoliditatem, & in explicandis nodis conſcientiæ perſpicuitatem*; quis ſit Author quem cenſet *commendandum, non ſolum à doctrinæ ſoliditate, & res dubias exponendi in ijs lucubrationibus dexteritate; ſed etiam quia bonis moribus in eiſdem exquiſitè conſuluit*; confer ipſemet has prædicationes, cum nonnullis opinionibus ex eius Libro collectis, quas tibi ſubijcio expendendas.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Notantur variæ laxitates Tamburini.

IMPRIMIS omnimodam ſecuritatem aſſerit (lib. 1. in Decalog. cap. 3. §. 3.) *cuilibet opinioni etiam tenuiſſimæ probabilitatis*, quam ſequaris vnius Authoris ſuffragio fultus, *omiſſâ tutiori communi, etiam in articulo mortis.* Præcepta Charitatis, Fidei, Spei cultus Religionis, aliaſumque virtutum, inter Chriſtianas præcipuarum om-

nino tollit ; aut quod perinde est, vim illis aufert, vel vnum actum amoris Dei per totam vitam exigendi, etiam instante morte : quod verbis expressis tempus & momentum non designent, quo illi actus sint eliciendi ; an vitæ Christianæ primâ institutione, an illius progressu, an ad finem. Et quam Christus vult esse perpetuam, & nunquam interruptam ad Deum Patrem orationis necessitatem fere negat, & inter orandum liberam mentis euagationem permittit, etiam dum interfis sacro, à quo eximit eos qui auidius lucro inhiant, quod illis periret, si ad missam accederent. Quid putas alia præcepta curaturum, qui parum pensi habet omnium maximum charitatis in Deum, orationis & cultus diuini ?

A jejunij lege eximit omnes artifices, & fere conjugatos. Officium colendi Patrem filiis remittit, si probabiliter putent, matrem conjugij fidem non admodum sanctè seruasse, & se ex adulterio potuisse nasci. Indulget etiam illis jus ineundi matrimonium cum dispari, patre inconsulto & inuito. Permittit vota paternæ mortis, vt vacuam hæreditatem adeant. Nec minus liberalis est in Reges, quam in priuatos : dat illis jus belli, si aliqua illis faueat probabilitas ex iure, in eum qui parem aut maiorem habet probabilitatem rei possessæ adjunctam. Habet etiam rationem subditi: eximit illum à vectigali, cuius non habeat compertam euidenter æquitatem. Non sunt expertes eius liberalitatis & beneficiorũ iudices. Quæ omnia profert ex inexhausto probabilitatũ thesauro & promptuario. Inde asserit illis jus rerum omnium, quarum lis apud ipsos mouetur, vt visum fuerit abdicationis & adjudicationis ; quam vendere quid vetat, cum sit gratuita & arbitraria ? Qui adeo largus est in iudices, non est parcus in fures & in reos; permittit instante graui necessitate, cuique non solum propria occultare, & subducere bono publico, sed etiam aliena subripere. Si reum vitæ & carceris tædeat, potest illo authore sibi falsum crimen imponere morte multandum. Potest idem in testem iniquum, idque citra omnem iniustitiam, imo cetra culpam mortalem & forte etiam venialem.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [152] - 72
PUBLIC DOMAIN

PARAGRAPHVS SEVNDVS.

Refelluntur varijs teſtimonijs & argumentis.

HÆc ex multis ac pœne infinitis pauca collegi, vt iudicet Lector an Tamburini opus his & ſimilibus dogmatibus refertum commereatur illud Theophili elogium, *Tamburinum bonis moribus in ſuis opuſculis exquiſitè conſuluiſſe.* Ego ſane ſi ita de abdicatis, aut ad minus diminutis diuinæ legis præcipuis partibus ſentirem, aut ſcriberem, vererer illam ex Scriptura ſententiam, *Væ qui dicitis bonum malum*; magiſque aſſentior libello ſupplici à curatis Pariſienſibus Vicariis Archiepiſcopi generalibus porrecto in Tamburinum, quam Theophili encomio editioni Lugdunenſi addito, vel Epiſtolæ operis dedicatoriæ ex Belgicâ editione, quæ ita habet, *Sacros Catholicæ fidei Inquiſitores Siciliæ & Italiæ reddidiſſe iſtas Tamburini Lucubrationes à Cauillatorum maledicendi libidine ſecuras.* Non facile crediderim huiuſmodi lucubrationes examen Inquiſitorum ſeuerum ſubiiſſe, nec forte ad illud vocatas: ſed id eâdem fide dici, quâ in illâ editione Belgicâ, id eſt tertiâ poſt Italam & Gallicam appoſitum eſt in progrãmate operis, *nunc primum in lucem datur.* Multo minus concedam eos cauillatorum nomen mereri, aut maledicendi libidine agi, quibus diſplicent relatæ opiniones, adeo à ſenſu totius Eccleſiæ, ab æquitate humanâ, & à reuerentiâ in legem diuinam alienæ; vt ex illis Curatis vnus doctiſſimus in illas librum meditaretur titulo Antidecalogi cum hoc verſu, *Tempus faciendi, Domine, diſſipauerunt legem tuam.* Nec Inquiſitoribus Siciliæ & Italiæ (quorum ſuffragium commentitium cenſeo) hi Curati pietatis eruditionis, prudentiæ integritatis opinione, aut etiam amplitudine poteſtatis in ſubditos, inferiores ſunt, vt ex vera, iſtorum expoſtulatione, grauiſſima nota non inuratur, & illi commendatio accedat ex Inquiſitorum ſuffragio, quos non dubito in illius patrocinium contra ſuam mentem aduocari. Quod ad Curatos Pariſienſes attinet, ſæpe miratus ſum præter dotes iam à me obſeruatas, communem omnibus vitæ innocentiſſimæ rationem, & quam ſibi conciliarunt omnium Ordinum reuerentiam; vt illorum con-

ſeſſum dixeris habere aliquid illius majeſtatis quæ reſplendet in Conciliis. Ego ſoleo dicere, id Pariſiis Curatos eſſe, quod Romæ Cardinales; & ne quem offendat adeo diſparium graduum collatio; duo obſeruet velim, à nonnullis vere dictum, *Lutetiam pietatis, ſicut Romam fidei formæ nomen mereri:* & hanc gloriam Curatorum ſollicitudine, exemplo comparatam Lutetiæ: deinde Cardinales olim Cleri Romani præfectos Parrochiis, vnde illis titulus adhæret, quaſi inde in eam euaſerint amplitudinem orbi Chriſtiano parem à Parrochiis Romanis natam, quibus Curati noſtri Pariſiis pro dignitate præſunt. Tanta populorum multitudine eo fructu, eâ denique reuerentiâ, vt nihil in ipſis niſi ſupremus ille ſacerdotij apex deſideretur.

Quid ſapientiſſimi viri ſupra omnem noſtram commendationem poſiti cenſent de opere Tamburini, tot Encomiis ornato? Secus plane de illo ſtatuunt ſuo illo libro ſupplici, quo grauiſſimè conqueruntur per ſummam contumaciâm illudi ſupremæ Eccleſiæ Authoritati. Nam cum ipſimet efflagitarint, & tandem obtinuerint prohiberi librum, cui titulus *Apologia Caſuiſtarum*, fruſtra fore monent tot Epiſcoporum Cenſuras, & Facultatis Pariſienſis, ſummique Pontificis decreta, quæ pernicioſiſſimos errores, quibus ſcatet ille liber damnarunt, ſi pari audaciâ liceat eoſdem errores euulgare; & mutatis Authorum nominibus interpolare. Id vero eueniſſe editione Tamburini operis in Decalogum Lugduni factâ, cuius plura exemplaria Pariſios delata ſunt; nec ſolum damnatos Apologiæ errores eo libro contentos propugnari, ſed addi atrociores, qui adeo ab omni æquitate, & pietatis ſenſu abhorreant, vt vnus videatur ſcopus huic Authori conſtitutus, nempe comprobare in quam cæcitatem deuenire poſſit mens humana, vbi relicto fidei ac traditionis lumine ac tramite, ſuis ſe ſe permiſerit cogitationibus abripi. Conqueruntur non partem Religionis eo opere laceſſitam, ſed totam funditus euerti; & hominis Chriſtiani, qui ſibi Deoque intus viuit, quæ foris cum hominibus agit officia charitatis & juſtitiæ euigorari & profligari. Præcepta fidei, ſpei, amoris & cultus diuini vanis interpretationibus eludi & elidi, & præceptorum omnium maximum charitatis in Deum, quæ legis nouæ plenitudo eſt; qua ſimus Dei cultores in ſpiritu & veritate, ita explicari, eo-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [154] - 74
PUBLIC DOMAIN

que deduci vt vix vnquam vrgeat, & illi locus sit; atque ita vt omnes, à Deo amando, id est à lege omnium sanctissimâ, fœliciſſimâ, necessariâ, magisque dispensationis nesciâ & impatiente, immunes totam vitam peragant. Nec melius consultum esse iustitiæ & societati humanæ, cuius vincula dirupta sunt, & pacem, concordiam, familiarum tranquillitatem, opportunam & obnoxiam esse homicidiis, calumniis, perjuriis, furtis, disparibus & illegitimis conjugiis, quæ omnia diuersis nominibus honestantur & excusantur. Illudi etiam legibus Ecclesiasticis, his maxime quibus jejunia instituuntur, argutiis pudendis & ridiculis. Denique principia constitui ijs corruptelis inducendis & excusandis; quæ adeo latè pateant, vt nullum sit scelerum genus adeo insolens & horrendum, quod his regulis defendi & honestari nequeat. Quare vt moderatius quam ferat rei atrocitas, loquantur, veriſſime pronunciant, huiusmodi Ethicem tanto studio per totum orbem sparsam, minime Christianam esse: quandoquidem hominis Christiani bonam mentem extinguit: nec Hebræam ac Pharisaicam, cum procul abijciat quam Iudæi summè colebant legis litteram & externi hominis probitatem; quam Pharisæi præferebant: nec debere Philosophicam & Humanam dici; cum infensa sit æquitati naturali fidei humanæ, & sensui communi, quibus Philosophia humana vt certis regulis adhæret: nec ciuilem aut politicam esse censendam; cum societatis humanæ fundamenta conuellat: & quæ huiusmodi Ethicam admittent regna & imperia, breui depulsâ omni lege & fide, mutuis ciuium odiis, fraudibus, & cædibus, sint peritura: quare nullum aliud superesse quo nuncupetur nomen quam illud Iacobi; *non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis.*

Hæc Curati Parisienses de opere Tamburini suo libello supplici à triginta Curatis, suo aliorumque nomine porrecto & subscripto. Sane horum fere singuli, ne dicam omnes collectim secundum Tamburini principia possent opinionem probabilem & tutam facere: quia omnes doctissimi, & ex illis plures Doctores Academiæ Parisiensis, & quod caput est, illis non solum facultas & Episcopi assensere, sed etiam summus Pontifex sua constitutione damnauit Apologiam, quæ multo cautius, minusque li-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [155] - 75
PUBLIC DOMAIN

center agit quam Tamburinus. Quod facile agnoscet (Christiane Lector) ex synopsi, & breui atque accuratâ tabellâ, quam subijcio de probabilitatum vsu primùm ipsius Tamburini verbis, ne videar quidquam illi imponere quibus deinde meas obseruationes addam. Ille itaque libro 1. in Decalogum c. 3. suæ Theologiæ hoc fundamentum & principium immotum ponit, vnde cætera consequuntur. *Qui aliquid operatur motus ex opinione probabili, bene operatur & sine peccato: quia*, inquit, *in humanis, vt quis cum prudentiâ, quæ est certa regula actionum, operetur, non nisi probabilitas necessariò requiritur. Quod ita certum est*; inquit, *& ita à Doctoribus comprobatum, vt nostrâ discussione non indigeat.* Quo vero hæc probabilitatum vis pertineat, explicat sequentibus verbis. *Posse tuto & prudenter agi probabilitate quacunque, siue intrinsecâ & rationali ab argumentis petitâ, siue extrinsecâ & authenticâ ab vno authore contra innumeros: & quamtumuis tenuis sit huiusmodi probabilitas, modo à probabilitatis finibus non exeat, posse prudenter eligi, etiam probabiliore relictâ, etiam omissâ tutiore, etiam communi, etiam in articulo mortis.* Inde vides, erudite Lector, quo tandem Tamburinus promouerit probabilitatum iura; & nullum Theologorum saltem è Societate probabilitatis leges extra omnes nedum veritatis, sed etiam similitudinis veri fines, periculosius laxasse. Memini me legisse eruditum opusculum vnius Iesuitæ, quod vellem modo habere ad manum; quia multis exemplis quod ago demonstrat, probabilitatis vsum, ab externis, seu antiquis, seu recentioribus Theologis traditum, à Patribus Societatis intra certos terminos cohibitum, multisque remediis munitum; quo si quid esset peccati aut veneni remouerent. Ita est: sed stat contra Tamburinus & aliorum consilia & labores corrumpit, & vt paucis nedum istius Authoris, sed omnium fere qui de hac re scripserunt, mentem variasque sententias aperiam, subijcio scalam à Tamburino, verbis ex illo relatis confectam: quo vero deducat, an sursum ad Deum, an deorsum ad casum, vbi tuis oculis subiecero, penes te iudicium esto, erudite Lector.

Cum motus ratio tota constet variis, recessus ab vno termino, & ad alterum accessus, gradibus, octo distin-

guimus in eo quem facit Tamburinus progreſſu à ſeueriori opinione deſerendâ ad laxiorem & benigniorem, quam conſulit amplectendam. Ita enim certum putat, vt nullâ ipſius diſcuſſione indigeat, è duabus opinionibus probabilibus inter ſe pugnantibus de rebus quibuſcumque (nihil enim excipit) ad ſalutem pertinentibus, ſeu ex præcepti neceſſitate, ſeu medij, eam quæ pro lege pugnat, poſtponi poſſe alteri, quæ fauet commodo & voluptati. Sed id obſeruari velim, receſſum ab opinione, quæ fauet legi & ſaluti quatuor gradibus, & totidem acceſſum, ad aduerſam, atque ex his omnibus tandem ſcalam confici; quo vero illâ eatur, nolim dicere: id ſolum aſſero in eâ octo gradibus extruendâ à ſuis etiam diſſentire.

Comitolius (l.1.q.15.) omnium Societatis ſcriptorum hac in re ſeueriſſimus, & antiquitatis tenax, atque eo fortè nomine minus gratus, & raro ab aliis ejuſdem inſtituti laudatus & citatus, quamuis Doctiſſimus, in opinionum probabilium conflictu, nunquam patitur recedamus à ſententiâ, quæ ſtat pro lege, quæ vna illi tuta eſt. Suares to.4. diſp.26.ſect.6. à Comitolio differt vno tantum gradu, vult illius ſententiam valere de opinione quæ ſtat pro lege ſemper ſeruandâ, ſi ſanciat res neceſſarias ad ſalutem efficaciâ medij & cauſæ. Alij etiam è Societate id concedunt, ſi opinio tuta quæ fauet rebus ex vtroque capite medij & præcepti ad ſalutem neceſſariis, ſit probabilior & communior, id eſt firmioribus argumentis, majori numero Doctorum vincat opinionem, quæ ſtat pro libertate & commodo. Tandem Sanches (l.1.in decal.c.10.) credit, ſin toto vitæ decurſu ſectanda ſit hæc ſententia, verſanti ad minus in articulo mortis eſſe eligendam, ne de æternitate periclitetur.

Quid ad hæc Tamburinus? nihil iſtos ſui inſtituti authores moratur: vno audaci & præcipiti ſaltu tranſilit hos quatuor gradus ab illis accuratè conſtitutos; & veluti aggeres, ad legis & ſalutis defenſionem oppoſitos, hominum cupiditatibus, vno impetu amolitur & deturbat. Maxime illi diſplicet moroſitas Comitolii, qui ſolam opinionem quæ pro lege ſtat tutam cenſet, nec poſſe deſeri, & aduerſam quàmvis paris aut maioris probabilitatis eligi ſine peccato. Suaris prudentiam improbat, quod non patiatur relinqui opinionem, quæ conſulit mediis ad ſalu-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [157] - 77
PUBLIC DOMAIN

tem inſtitutis. Sed non dubito quin rideat Sanchez, quaſi ignauum & meticuloſum, quod morituris imponat onus tutiorem ſententiam eligendi à qua ſanos exemerat: quare ſecuritatem pollicetur (quidquid alii minentur) iis qui deſerunt opinionem pro lege ſtantem, *etiam tutiorem, etiam probabiliorem, etiam communiorem, etiam in articulo mortis*. En Lector, quod promiſeram; partem ſcalæ, ſeu receſſum ab opinione, quæ fauet ſaluti diſtinctum quatuor gradibus. Totidem conficitur acceſſus ad opinionem aduerſam legi, quæ cupiditati & libertati indulgeat: nullius peccati vmbram ſubeſſe contendit; ſi abiectâ priore hanc ſequaris: quo vero gradu probabilem liceat ſequi? omnium minimo: non vtraque probabilitate, ſed alterâ, vel extrinſecâ ab vno Authore contra innumeros, vel intrinſecâ ab aliquo argumento *tenuiſſimæ probabilitatis*, quæ rem nec certo, nec euidenter (vt aliqui putant) ſed probabilirer tantum probabilem faciat.

Quis non obſtupeſcat, iſta doceri tantâ fiduciâ & aſſeueratione, vt Tamburinus nihil dubiter certiora aſſerere, quam vt ſuâ diſcuſſione indigeant? & habuiſſe laudatorem, qui ſcripſerit eâ ſuæ Theologiæ Baſi exquiſitè Tamburinum bonis moribus conſuluiſſe? Non puto iſtis elogiis ſubſcripturos Stubrochium & P. Fabri eruditos & diſcretos Societatis Theologos, qui hac de re agunt tantâ ſenſus & ſtili cognatione, vt credam eſſe eundem Authorem, aut vnum alteri accommodaſſe, quæ ſcripſit. Illi itaque longiſſime abſunt à Tamburini licentiâ. Quinque opinionum probabilium claſſes diſtingunt: duas attingo, quæ ad rem noſtram pertinent; opinionum ſpeculatiuè, non practice aut vtrâque ratione probabilium; vel (quod in idem recidit) probabiliter, non certo, vel certo etiam probabilium. Hanc vero quam vocent *compertam & prudentem probabilitatem*, ſolamque tutam, non aſciſcunt ab vno tantum probabilitatis extrinſecæ, ſeu authenticæ, Authore aſſertæ, ſed ab intrinſeca & rationali quæ argumentis & patronorum numero vincat aut fere æquet probabilitatem opinionis pro lege ſtantis, aut vtcumque certo ad illam accedat. Sed Tamburinus longe liberalior aut generoſior has diſtinctionum tricas ſemouet: ſecuritatem à peccato & à damnatione pollicetur, ſecutis opinionem extrinſecè, aut intrinſecè diſiunctim, non certo, ſed tan-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [158] - 78
PUBLIC DOMAIN

tum probabiliter probabilem, & vno verbo *tenuißimæ probabilitatis*. Ne mireris Lector, Tamburinum à cæteris omnibus in suâ probabilitate constituendâ dissentire, cum nec secum conueniat. Nullum est certius falsi argumentum, quam à seipso dissentire. Non caret hoc vitio Tamburinus; & cum fere omnes deseruerit, sibi ipsi repugnat: vt inde agnoscant omnes, quam periculosum sit hunc ducem sequi. Audisti ad securitatem conscientiæ requirere probabilitatem opinionis ab extrinseco tantum, & ab Authore, vel ab intrinseco & argumentis. Sed quasi huius doctrinæ illum pœniteret, vtramque permiscet probabilitatem, dum respondet L. 1. C. 3. §. 3. ad illud quæsitum an authoritas vnius Doctoris sufficiat ad probabilitatem tutam. Respondet inquam *vnum sufficere contra innumeros*, si doctus sit, rem ex professo tractet, firmam rationem pro se habeat, nec appareat contra ipsum aliquid conuincens. Atqui hæc omnia ad probabilitatem intrinsecam pertinent: nisi velis Tamburinum secum conciliare, quod hæc omnia quæ refert necessaria Doctori ad faciendam probabilitatem probabiliter tantum, non certo scias, hoc ipso quod prodeant ab homine communi opinione docto, accurato, quamuis hæc omnia dubio populi rumore sparsa sint.

Atque huic fundamento adstruit, & inde quasi à principio immoto deducit quæcunque ex illo retulimus, nempe satis esse *tenuißimam probabilitatem extrinsecam aut intrinsecam*, vt asserat nullum dari præceptum singulare fidei, spei, charitatis, & si quod admittatur nullum adstringere ad amorem Dei eliciendum; quod expressis verbis non designet tempus quo amandus sit Deus. Vnde generatim hoc tenuissimæ aut potius nullius probabilitatis, sed manifestæ falsitatis compertum statuit principium, *nullum præceptum obligare, nisi sit determinatum*: cum enim non possit, vt indeterminatum exire in executionem, non censetur practice esse completum. Quod si obtineat principium, actum est etiam de primo secundæ tabulæ præcepto, imposito filiis honorandi parentes, seruis dominos colendi; cum desit sicut præcepto charitatis temporis designatio. Ex eadem *tenuißima probabilitate*, eximit filios ab obsequio in parentes, si suspectæ matres fuerint castitatis, & regibus jus belli in eos, qui præter possessionis, probabilitatis etiam iure vincunt.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [159] - 79
PUBLIC DOMAIN

Sed quid non necessario deducas ex illa *tenuissima probabilitate?* nec immerito Sinnichius §. 353. contendit non longè abesse ab errore Libertinorum, atque illi reuehendo aditum pandere. Illi censent, *solâ humanâ opinione differre negotia bona & mala, cum qui aliquod facinus exultante perpetrauerit audaciâ, velut credens se ex fide, facere quod male facit, euadere culpam, denique nihil esse peccatum, nisi eorum opinioni, qui se peccare putant.* Non arbitror ijs qui ita comparati sunt, deesse probabilitatem ad minus *tenuem, quæ non exeat à finibus probabilitatis*, quam tutissimam tradit Tamburinus.

Sed validius hoc probari potest argumento, quod iam bis contra Caramuelem intorsi, & nunc iterum sub hac forma instauro. Vel tuam *de probabilitate tenuissimâ* regulam, cum nihil contra apparet conuincens & euidens, vis inducere, nullâ exceptâ materiâ, vel censes intra certos aliquos fines cohibendam: si primum asseras, omnem fidem, religionem probitatem euertis, & Libertinorum errores inuehis: si tantâ impietate deterritus ad alteram partem confugias, nempe huic doctrinæ metas præfigendas, tuam ipse regulam euertis. Ergo omnino abijcienda & improbanda est, vno ex ijs capitibus, quod sibi, vel omnibus probatis legibus aduersetur.

Probatur prima pars argumenti; si *probabilitas* etiam *tenuissima*, nullâ exceptâ materiâ, nisi cum affulget euidentia veritatis conuincens, sit licita humanarum actionum regula, expers omnis peccati aut periculi salutis; Ergo liberum erit cuique opinari vt libuerit de immortalitate animæ, de posthumâ & æternâ fœlicitate aut pœnâ, ac subinde de virtutibus ac vitiis, quibus alteram illarum sortem consequimur. Liberum erit quod placuerit sentire de mundi origine æternâ, aut temporaria, an creatione, an aliunde existat, & de aliis denique religionis & fidei fundamentis. Hæc vero adeo execranda consecutio necessaria est, si ad licitum assensum sufficiat *quacumque probabilitas* etiam *tenuissima*, & euidentia absit, quæ mentem conuincat. Atqui in ijs omnibus à me numeratis, hinc inde graues, & quæ vix solui possint difficultates occurrunt, nihil euincens aut conuincens in alterutram partem; Ergo liberum erit & tutum opinari quidquid placuerit, cum nulli parti subsit euidentia conuincens, & omnibus

bus adsit aliqua probabilitas, ex insuperabilibus argumentis, quæ, dum partem vnam impugnant, alteram dubiam & probabilem faciunt : Ergo ex hâc regulâ inducitur Pyrrhonismus, Christiana fides, Religio & probitas funditus euertuntur.

Si dicas immorralitatem animæ, libertatis nostræ cum diuinâ præscientiâ, & diuinæ cum sua immutabilitate concordiam, aliaque id genus fidei mysteria demonstrari ita euidenter, vt ratio conuincatur, & nulla possit solutio intra probabilitatis fines occurrere; vt Theophili verbis vtar, ludibrium omnibus doctis, immo censuram Iudicibus Ecclesiæ debes : & magnam de te expectationem excitares apud omnes, si res saltem quæ ad ordinem naturæ pertinent (qualis est immortalitas animæ, creatio mundi) susciperes demonstrandas, & melius quam tuo in Decalogum opere, de Republicâ Christiana merereris, si apertis argumentis rem propositam conficeres. Ergo dum à te expectatur illud opus, patere nos agnoscere rationes quibus creatio mundi, libertas increata, & nostræ cum præscientiâ diuinâ consentio impugnantur, non carere probabilitate extrinsecâ à tot subtilissimis Philosophis, & intrinsecâ à tot difficultatibus insuperabilibus; quandiu euidentia conuincens tuo ingenio aduocanda defuerit.

Quod si non audeas hoc polliceri, sicut nec potes præstare, nec aliunde tam immane & horrendum scelus queas admittere; de his rebus quod libuerit opinandi licentiam citrà vllum salutis aut peccati periculum dum à te expectamus, vel nouam probabilitatis definitionem, vel metas, quibus tutum à periculoso, honestum ab illegitimo secernas; interim statuimus, aliisque consulimus à tuis placitis, quasi à periculoso morbo fugere, & remediis nos munimus : quandiu scilicet inter legem & libertatem, inter necessaria ad salutem & commodum fuerit opinionum pugna, seu quod idem est vtrinque probabilitas, standum pro lege pro salute, pro immortalitate animæ, pro Vnitate, existentiâ & prouidentiâ numinis. Quia inde nullum creari potest malum aut periculum, quod impendet, si aduersæ parti adhæreas. Id vero non solum certissimum, sed etiam ex prudentiæ humanæ legibus euidentissimum esse contendimus, in dubiis, seu controuersiis, quæ ad praxim seu salutem spectant, tutiorem partem esse anteponendam,

id est opinionum inter se pugnantium, eam esse eligendam, quæ stet pro lege & salute, cui nulla subesse possit peccati & damnationis quæcunque formido, seu formalem, seu objectiuam voces cum Caramuele, quæ nunquam potest ab aduersâ opinione abstergi. At si id contendas à te factum, & omnem securitatem valide assertam, opinionibus quæ probabiliter stant pro libertate contra præcepta charitatis, justitiæ &c. à te exigent Athei & Hæretici omnes, vt sibi communi tecum iure viuere & opinari sinas; donec à te demonstrata fuerit quam negant immortalitas animæ, & mundi creatio, aut metire tuas opiniones nostrâ regulâ; in dubiis tutiorem partem eligendam, vt sis illis exemplo: neque enim potes cohibere illorum opinandi licentiam, nisi vel rei euidentiâ, quam frustrà tentares, vel nostro principio quod in dubiis & probabilibus &c.

Duo ad calcem huius disputationis obseruari velim, quæ vim nostri argumenti augent, & totam disputationem absoluunt. Primum, si obtineat Regula Tamburini, ex quacunque opinione probabili, nos bene agere, & sine peccato operari; omnes Atheos & Impios apud Deum excusari. Vbi enim soluta à corpore anima ante diuinum tribunal stabit, contestari poterit, se nihil egisse, nihil opinatam fuisse, quod à probabilitatis regulâ recederet, aut ab ipsius exierit finibus; quandoquidem nihil vnquam legerit aut audiuerit, quo conuinceretur, se post mortem corporis superstitem fore, & sibi de anteactâ vitâ rationem esse reddendam. Ergo nisi velis omnes impios insontes esse apud Deum, omnino damnanda est regula *tenuissimæ probabilitatis*, & sancienda altera *in dubijs & controuersis standum pro lege & salute*. Addo alterum summe obseruandum, ipsosmet Atheos & impios diffidere huic Tamburini regulæ, & multo seueriorem disciplinam à se exigere, quam patiatur, aut exigat illa *probabilitas tenuissima*, quæ sufficiat amouendis omnibus virtutum officiis. Huius nostræ obseruationis, duo repeti possunt ex superioribus exempla. Primum ipsa præfatione dedimus Soncinianorum, qui licet ingenij habenas laxent quoad partem scripturæ Theoricam, & omnia quæ fide creduntur mysteria rationi humanæ accommodent; seueriores tamen sunt præceptorum Euangelij Interpretes & exactores. Aliud

exemplum suppeditat Epicurus, quem Seneca agnoscit austerissimum morum præceptorem, & multis ex illo probat relatis sententiis, quæ parùm à seueritate Euangelij absunt; qualis est ista *honesta res est læta paupertas*, & altera illi sensu non dissimilis, *vis fieri diues, cupiditatibus est detrahendum, non diuitijs addendum*: hic tamen seueræ voluptatis ex virtute Magister, summam in opinando libertatem vsurpauit, suisque concessit. Tertium addam exemplum ex Cartesio, qui nouam Philosophiam inducturus vel potiùs antiquatam Leucipi & Democriti interpolaturus, monet ad inquirendam veritatem, præiudicatas omnes opiniones esse abijciendas, nec vllam suscipiendam, nisi priùs experimento & ratione comprobatam. Sed non patitur hanc tentandam inquisitionem de ijs, quæ ad colenda & implenda vitæ humanæ officia pertinent, licet de his, nihilo minus quam de rebus Physicis in vtramque partem probabiliter disputare possis.

At contra recentiores ordine omnino præposteró, inconcussa esse volunt dogmata, quæ ad speculationem pertinent: quæ vero ad vitam probe instituendam conferunt, de quibus *ipsa dubitatio*, vt inquit Cicero, *significationem habet injuriæ*, suis disputationibus fere labefactant. Neque se tutos credant ab hac accusatione, si dicant se fidei & religionis fundamenta indubitata habere, nec regulis probabilitatum subijcere. Sed non aduertunt, quæ immotæ vellent, conuelli ipsorum principiis: nec quod religioni infligunt vulnus, illorum industria curari. Non est nostræ facultatis, quam semel aperuimus viam latiorem ad vsum probabilitatum legitimum, occludere, vel arctare, ne prorumpat morum licentia & impietas. Displicet illis principium de re morali certissimum *in dubijs & controuersis tutiorem partem esse eligendam*: id est standum pro honesto & officio, pro lege, cum consulit præceptis & mediis ad salutem. Hoc vno principio possunt ad bonam mentem reuocari ipsimet Athei, qui de rebus omnibus dubitant, eritque magis in prompu huius principij vim & necessarium assensum aperire, quam de rebus occultissimis aliquid euidens, quod conuincat afferre: vbi ergo hoc principium quo vno cohiberi potest opinionum & morum licentia, semouisti tanquam durum, impossibile &c. omnia pessum eunt, omnia dubitationibus opportuna sunt, id-

que certissime assero, magis pronum fore Atheo mysteria fidei negare & Decalogum omnino tollere, quam Tamburino asserere, nullum amoris Dei, fidei & spei præceptum singulare admitti; vel si quod detur, posse à natiuitate iustificatum baptismo, totam vitam transigere ab ijs præceptis immunem, etiam ipso mortis articulo. Sed de his satis.

ARTICVLVS TERTIVS.

An licitæ sint æquiuocationes, & restrictiones mentales.

EQuatuor controuersiis cum Theophilo institutis, superest vltima de vsu æquiuocationum & restrictionum mentalium, non aliena à suscepta disputatione, cum sit vel appendix ad probabilitatum regulas, vel ex illis corollarium. Certum enim est, te æquiuocationes & restrictiones mentales permissurum, aut vsurpaturũ vt innoxias, aut habiturum vt mendacij suspectas & compertas; prout de probabilitatum vsu insederit sententia seuerior, aut laxior. Imo quod mirere, Caramuel laxorum omnium laxissimus, cui probabilitas est *veritas* (vt loquitur) *virtualis, & omnimoda securitas*, huiusmodi restrictiones mentales in totum damnat; & Theologiæ fundamentalis numero 1282. neruosissime refellit his verbis: *Est mihi innata auersio contra restrictiones mentales. Si enim continentur intra terminos pietatis & sinceritatis, necessariæ non sunt: nam omnia, quæ ipsæ præstare possunt, præstabunt consignificantes circunstantiæ.* Sicut cum Christum Apostoli, quà Patris Æterni legatum interrogant, quo tempore futurum sit Iudicium & mundi excidium, respondet se nescire, nempe quà Patris legatum, à quo est illi præscriptum multa suo nomine homines docere, tacito tempore Iudicij, quod nihil referret, plurimum noceret ad salutem hominum id rescire: atque id satis circunstantiæ interpretabantur eo sensu Christum aliàs omniscium se nescire esse professum. Eadem etiam sinceritate, nullâ aduocatâ ad fraudem restrictione mentali, legatus Principis, à Rege ad quem mittitur, rogatus, ad quid, ille cuius venit nomine, & in quem paret bellum, licet totius rei conscius sit,

illæsâ ingenuitate dicere potest se ignorare. Eadem lege reus à iudice quæsitus de crimine occulto, cuius nec semiplenam; nec vllam habet probationem, nec subinde inquirendi facultatem, respondere potest se eo crimine non teneri. *Quod si tales dicantur* (prosequitur Caramuel) *vt etiam ibi admittendæ sint, vbi desunt circunstantiæ significantes (ignoscant mihi earumdem Authores & propugnatores) tollunt humanam societatem, & tanquam pestiferæ damnandæ sunt: quoniam semel admissa aperiunt omni mendacio & omni perjurio viam; & tota differentia in eo erit, vt quod heri vocabatur mendacium, naturam & malitiam non mutet, sed nomen: itavt hodie jubeatur restrictio mentalis nominari. Quod est virus condire saccharo, & scelus specie virtutis colorare.*

Quis ista non miretur à Caramuele scripta in commilitones, & socios Belli, pro opinionum probabilitatibus? Cui restrictiones mentales futuræ non sunt execrandæ, cùm eis Caramuel innato odio aduersetur? Hoc vno loco vir doctissimus aperuit quâ esset indole, nempe totus ad sinceritatem natus, & quâ vi polleat ingenij: si eam ad stabiliendam virtutem, ad firmandas, non laxandas leges contulisset, nullus eo vnquam melius de Ecclesiâ, & & de genere humano meritus fuisset. Pauciſſimis verbis complexus est totam de restrictionibus mentalibus disputationem à Sinnichio per multa capita fusissime tractatam, & quæ ipse tanquam *scriba doctus de suo* inexhausto *Thesauro profert Vetera* ex Sanctis Patribus, *Noua* de suo ingenio, & ex decretis Academiæ Louanienſis Augustinianæ doctrinæ, & disciplinæ seuerioris ac sanctioris tenacissimæ: Caramuel hac saltem re non degener huius Academiæ alumnus, pauciſſimis verbis perstrinxit.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Summa disputationis antiquæ & recentis de restrictionibus mentalibus.

QVARE nec ingratum fore, nec inutile puto Lectoribus, si luculentissimæ & ampliſſimæ disputationis

dem synopsim, ne qui doctissimi libri copiam non habentes res scitu dignissimas ignorent: qui vero legerint, vno conspectu videant hoc argumento ad hominem contra Theophilum quæ multis capitibus habentur, perstricta breui & contenta. Ad hanc ergo formam disputationem Sinnichij & argumentum Caramuelis reuoco. Plato censetur ex Theophilo libro quem scripsit in patrocinium æquiuocationum inscripto *Splendor veritatis moralis*, docuisse licitum esse mendacium, & ex illo Origenes lib. 6. Strom. apud D. Hieronym. agnoscit se eandem doctrinam hausisse, quam ex illo retulit D. Hieronymus epist. 37. & quam fusè defendit Cassianus Collatione 17. nomine Abbatis Iosephi: atqui mendacium illud quod Philosophi & aliquot Patres propugnarunt, nihil aliud est quàm restrictio mentalis, siue oratio mentaliter restricta: ergo est propriè dictum mendacium.

Argumentum videtur omnino conuincere, quia fere totum constat propositionibus euidentibus & ab ipsomet aduersario concessis: nam libro illo quem ad defensionem Lessij, sub nomine Emonerij edidit, & quem verius caliginem quam *splendorem veritatis moralis* inscripsisset, cum negotium in tenebris perambulans promoueat, docet illius libri capite 24. *Æquiuocationes & restrictiones mentales, si absque idoneâ causâ vsurpantur, pugnare cum humanâ conuersatione, ideoque diligenter cauendas esse: & nisi huiusmodi causa iusta interueniat, non modò cum Christianæ simplicitatis regulis, sed etiam cum naturali veracitatis virtute male conuenire.* Quare huius libri capite 12. & 14. totus est in interpretandis Patribus, Origene, Chrysostomo, Cassiano; eosque contendit nomine mendacii in verbis positi, cuius copiam faciunt, & volunt licitum esse vsum, sicut ellebori aliorumque remediorum, intelligere locutionem mentaliter restrictam ex causâ iustâ honestatam: ergo nostri argumenti concedit secundam propositionem seu minorem.

Verum inquit Sinnichius, satis hinc apparet, quam desperatæ causæ patrocinium susceperit Theophilus, cui non potuerit aliter succurri, quam suffragiis Authorum qui indidem improbentur, vnde ad suffragandum arcessuntur, nempe ex ijsdem locis, quibus asserunt mendacium subinde licere; quod scilicet docuerint restrictiones

mentales semotas à circumstantiis quæ illis sunt veluti loco commentarij (vt de Christo diximus) aliqua causâ posse honestari, quod prima nostri argumenti propositione asserimus. Vnde ad illius veritatem demonstrandam conferunt quæ tradit Sinnichius toto capite 121. quæ nos distinguemus diuersis probationibus, quarum prima ad hominem ex Theophilo insinuata est. Ipse sui libri cap. 2. non audet Platonem aliosq; Philosophos purgare ab isto errore, quod docuerint mendacium interdum licere: Et quamuis Deo indecens, & inutile sit, hominibus tamen putant prodesse, & eo vti posse tanquam condimento, & medicamento quo peritis & doctis vti liceat, non imprudentibus, sicut medicamentorũ vsus conuenit medicis & aliis prohibendus est. Atque hanc ex Platone doctrinã Diuus Hieronymus (lib. 1. contra Ruff. cap. 4.) testatur se legisse lib. 6. Stromatum Origenis, ipsum fateri à Platone haustam, & à se approbatam, & inde Hieronymus libro 1. contra Rufinum dicit contra Origenistas, mendaciorum orgiis inter se fœderatos. Confirmatur eadem propositio aliis ex Antiquitate testimoniis; nam Sixtus Senensis libro 5. Bibliothecæ annot. 89. & 107. obseruat huic Origenis opinioni fauere Chrysostomum (hom. 33. in Genes. & lib. 1. de Sacerd.) Hieronymus epistola 89. dicit se eandem doctrinam retulisse ex sex Scriptoribus Græcis cui primum visus fuerat adhæsisse, sed disputatione cum Augustino conuictus, eam abjecit. Ita enim habet, *ex quo ostendi, me non ex definito id defendere quod in Græcis legeram* (nempe reprehensum à Paulo Petrum piâ simulatione, salutari & honestâ dispensatione, religiosâ circumuentione & œconomiâ, licet nihil peccasset Petrus) *sed ea expressisse quæ legeram, vt Lectoris arbitrio relinquerem vtrum probanda essent, an improbanda* Cassianus Collatione 15. secutus opinionem Origenis, & forte Diui Chrysostomi sui præceptoris, scribit *taliter de mendacio sentiendum, atque ita eo vtendum esse, quasi natura ei insit Ellebori; imminente exitiali morbo salubre: cæterum absque summi discriminis necessitate perceptum, præsentis esse exitij.* Et ideo capite 20. illius Collationis vocat, *Vtilem & salubrem hypocrisim*, & cap. 18. *Mendacium pio colore contectum.* Quam Cassiani opinionem sicut Augustinus Hieronymi, arguit Prosper libro contra Collatorem cap. 20. *Hâc lege ac Regulâ po-*

ueris prædicare, quod tam errent qui dicunt semper esse fallendum, quam qui definiunt nunquam esse fallendum; sed vt neutro peccetur, vtrumque sectandum: quia nec semper declinanda falsitas, nec semper negligenda veritas. Non obseruarat hunc locum Raynaudus cap. 12. cum scripsit *Cassianum à nullo fuisse super hac re reprehensum ante Dionysium Carthusianum*, qui plus mille annis, Prospero fuit recentior.

Ex his omnibus elicitur argumentum inuictum, quo refelluntur tamquam pura mendacia inductæ à recentioribus ex causâ restrictiones mentales. Certum est eo sensu ab Augustino ac Prospero damnatas, & à Hieronymo retractatas, quo antea propugnauerat, & ex Origene, aliisque Patribus Græcis relatas subjecerat Lectoris iudicio; alias illorum disputatio æquiuocationibus tota laborasset, & pugnassent clausis oculis Andabaticè, quod nequit dici saluâ tantorum Patrum reuerentiâ & eruditionis famâ: atqui certum est Origenem, Hieronymum, aliosque Patres non suscepisse Patrocinium mendacii aperti, sed vt putabant, ex causâ legitimâ restrictionibus purgati & honestati, sicut illos interpretantur Lessius & Raynauldus: nec credibile est voluisse Apostolorum principes aliud genus mendacij admisisse, ab illâ vt putabant simulatâ culpâ Petri, & reprehensione Pauli. At quocumque colore aut nomine excusetur id mendacij genus, in illud summo zelo exarserunt Augustinus & Prosper, & omnino inexcusabile censent: quod apertius est de Augustino, quam de Prospero: nam Epistola 19. reiectâ authoritate sex Scriptorum è Patribus Græcis, quibus se tutabatur Hieronymus, opponit Ambrosium & Cyprianum, & tandem concludit: *Veruntamen ipse mihi pro his omnibus, immo supra hos omnes, Apostolus Paulus occurrit: ad ipsum confugio, ad ipsum ab omnibus, qui aliud sentiunt prouoco, ipsum interrogans interpello, & requiro in eo, quod scripsit ad Galatas, vidisse se Petrum non rectè ingredientem ad veritatem Euangelij, eique in faciem propterea restitisse: quod ea simulatione gentes Iudaisare cogebat. Vtrum verum scripserit, an forte nescio qua dispensatiuâ falsitate, mentitus sit? & audio cum Paulo superius in eiusdem narrationis exordio religiosâ voce mihi clamantem, quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo quia non mentior. Dent veniam quilibet aliud opi-*

nantes ; ego magis credo tanto Apostolo in suis, & pro suis litteris iuranti, quam cuiquam Doctissimo de alienis litteris disputanti. His atque aliis Augustini argumentis conuictus Hieronymus ab Origenistarum opinione (quos supra relatus dicebat orgiis mendaciorum inter se confœderari) concessit in Augustini, & Cypriani sententiam libro contra Pelagianos sub nomine Critobuli edito, vt ipsemet Augustinus annotat. Epis. 260. Ergo Hieronymo & sancto Augustino purum mendacium est, quod vocant recentiores restrictionem mentalem.

Idem argumentum potest vrgeri, ex contentione quæ intercessit inter Prosperum & Collatorem, quod iste admitteret vt licitas huiusmodi restrictiones, quibus laudat lib. 5. de institutis Monachorum, cap. 37. Abbatem Archebium circunuenisse fratrem, quasi mendacii charitatis, quæ non agit perperam, nec congaudet super iniquitate, inquit ex Apostolo, sed addere debebat ex eodem, charitatem congaudere veritati, ac proinde succensere falsitati: nec admittenda est assertio Paradoxica collationis. 17. cap. 17. *Potuerunt quidam per mendacium iustificari* ; & confirmat exemplo Rahab, quam cap. 20. dicit *in terrâ viuentium plantatam pro mendacio.* Sed verius Augustinus libro contra mendacium cap. 15. *Non est in illa remunerata fallacia, sed benevolentia : benignitas mentis non iniquitas mentientis.*

Totus hic liber videtur scriptus contra has restrictiones mentales recentiorum, quæ nullis carent vitiis, quibus mendacia laborant ; immo addunt fraudem & dolum, quibus institutio locutionis humanæ, & subinde tota societas, Fides, & Religio certius euertuntur, quam apertis & crassis mendaciis : quia vt inquit Hilarius lib. 20. de Trinitate, *Sensus non sermo fit crimen*, & antiquum mendacij venenum sub blandiori æquiuocationum & mentaliũ restrictionum vocabulo propinant.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [169] - 89
PUBLIC DOMAIN

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Laxitates recentiorum de restrictionibus mentalibus.

NON existimo Cassianum & Origenem in honestando mendacio eò progressos, quo Sanchez, Raynaudus, & Tamburinus æquiuocationes promouerunt: nec quo etiam ipse Suares recentiorum prudentissimus deduxit. Quis enim ita apertè huic causæ fauit, vt primus ex iis quatuor enumeratis, qui libro 3. in Decalogum cap. 6. *Possunt*, inquit, *absque mendacio verba vsurpari, etiamsi ex suâ significatione non sint ambigua, nec eum sensum verum admittant ex se, nec ex circumstantiis occurrentibus:* (sicut de Christo ab Apostolis, & de Reo à Iudice criminis occulti interrogatis diximus) *Sed tantum verum sensum reddant, ex aliquo addito mente proferentis retento, quodcumque illud sit; vt si quis interrogatus, seu sponte quocunque fine etiam recreationis causâ, iuret se non fecisse quod reuera fecit; intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam diem, vel quoduis aliud additum: reuera non mentitur, nec deierat; sed tantum non diceret veritatem determinatam, quam audientes concipiunt, & verba in se significant, sed aliam veritatem disparatam.* Sanchez laxitatem, confirmat Raynaudus; nec omnino abnuit Suares libro 3. de iuramento, capite 10. vbi insinuat, & ex illo assumit & fusius explicat Theophilus libro 3. amphybologiæ distinctionem, in sensibilem quæ inest verbo aut orationi plura disparatè significanti, quorum tamen vnum potest intentione loquentis, aut circunstantiis adjunctis designari: & in mentalem quæ tum accidit, cum exteriora verba habent significationem propriam completam, in quâ verum sensum efficiant; distrahuntur autem à propriâ significatione per aliquam restrictionem interius conceptam, nec aliis circumstantiis explicatam, quam ex corruptelâ hominum, qui aliud sentiunt, aliud loquuntur, & qui fallentes malunt occupare quam falli. Vsurpationem huiusmodi verborum agnoscit falsitatem continere; à qua tamen existimat purgari verbis mente conceptis. *Iis tamen æquiuocationibus dicis, qui illas vsurpant hoc emercari,*

vt cum ex iustâ causâ ita se gerunt, itemque cum veritatem nudam & euolutam proferunt, fide careant. Sed tandem concedit ex causâ graui posse innoxios esse à mendacio & à periurio: hoc practicè tutissimum dicit Suares: immò (quod ait Sinnichius tanto viro indignũ) docet rudes & imperitos quâ ratione huiusmodi Amphibologiis possint suas cogitationes obuoluere; & si id nequeant capere præ nimiâ ignorantia aut stupiditate, putat illos immunes à culpa fore, si intendant negare vel affirmare eo sensu, quo illorum dictis beneficio restrictionis mentalis possit veritas constare. Sed quasi viro grauissimo religioni esset (vt reuera debuit) ista docuisse, addit velut retractationis loco capite sequenti: *Quando solum suppletur sensus per internam additionem mere voluntariam, probabile est non excusari proprium mendacium & periurium; licet sit res, inquit, dubia:* & quamuis à periurio eximat, non audet tamen à graui peccato absoluere.

PARAGRAPHVS TERTIVS.

Tria Tamburini paradoxa ex restrictionibus mentalibus.

SED multo liberalior & laxior Tamburinus. Videtur sane eo fine scripsisse, vt qui se præcesserant Authorum, laxitates omnes superaret. Diximus articulo superiori, quo deduxerit securitatem probabilitatum nempe *ad filum tenuissimæ*: & cum varios distinxerimus gradus, monstrauimus distare à Sanchez, 5. gradu, 7. à Suares, 8. à Comitol. nempe summo quem Physici statuunt extremum inter calorem & frigus intensissimum. Hic etiam multis Paradoxis à se primum inuentis, quasi Parasangis, à reliquis Doctoribus etiam sui instituti longissimè distat: nec dubito quin velit videri quasi in laxandis conscientiis gloriam & singularitatem affectasse. Huius generis est quod libro 3. cap. 3. asserit *certum esse, iurare verbis æquiuocis cum causâ perinde licitum, ac sine causâ illicitum esse.* Quasi paris veritatis, & æquè receptum sit apud omnes honestari posse quacumque causâ iuramentum æquiuocum, ac sine causâ damnatur: cum hoc vltimum omnes vno ore asserant, & res sit aperta: quandoquidem omne verbum

otiosum, seu sine causâ & fine honesto prolatum, obnoxium sit culpæ & iudicio Diuino; quanto magis iuramentum? Altera vero Paradoxi pars sit contra consensum omnium Theologorum. Nam Soto lib. 8. de iustitiâ quæst. 1. art. 7. ita habet *emergit dubium, vtrum iurare exterius fictè, sine intentione iurandi, sit peccatum mortale: quoniam de veniali non est dubium, quandoquidem qui dicit se iurare, & non iurat mentitur. Ergo lis est extra controuersiam posita inter vetustiores Theologos, iuramenta sine iurandi animo, etiam ex causâ, illicite proferri.* Cum tamen Tamburinus certùm velit esse, ab omni culpâ excusari huiusmodi iuramenta; sed longe recedit non solum ab antiquorum & extraneorum mente, sed etiam ipsius Suaris, qui huiusmodi iuramenta accusat & grauis peccati mortalis ex genere suo. Neque enim potest nomen Dei fictè assumi ad iurandum, nisi vanè assumatur, id est ad decipiendum, potius quam ad confirmandam veritatem: quid autem vanum magis quam ipsa fallacia & deceptio, quâ non solum irrogatur Dei nomini iniuria, sed etiam resoluitur vis iuramenti & sanctitas violatur? Cum nequeat eius contemptus efficacius induci, quam si tibi persuadeas posse adhiberi iuramentum, nullâ intentione iurandi: Id ipsum confirmari posset variis exemplis ex Suares, Caietano & aliis. Si liceat ficto animo iurare, ex metu, vel aliâ quacumque de causâ; quidni proferre blasphemias vt arguit Suares? quidni idola colere in speciem, animo ab idololatria alieniſſimo? vt ex Caietano vrget Sotus: quod tamen fictæ idololatriæ genus, imputatur Marcellino Pontifici in graue crimen, & illud eluit multis lacrimis & calamitatibus: & ne in illud incurrerent Christiani, extrema quæquæ tormenta à Tyrannis passi sunt: quæ honestâ ex Tamburino simulatione poterant effugere. At non ita viri sancti ne dicam de iurato, sed nec etiam de nudo mendacio sentiebant. Non ita Propheta Regius Psal. 33. nec August. in illum locum: Quis est homo qui vult vitam. Quis est homo inquit qui vult vitam? En merces & præmium, sed quid illi comparando præscribit? Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum: in quæ verba Augustinus, *Interrogati quis est homo qui vult vitam? Respondebimus nos velle vitam, & ipsam sibi ipso percussoris ictu veriſa-*

vem seruabimus in testimonio, mortem contemnemus in mundo, vitam consequemur in Cœlo. An forte seruabit veritatem in testimonio, qui Tamburini principiis imbutus, iurat exterius sine iurandi animo. Quis ergo erit reus doli, quo à vita æterna excludimur iuxta illud Prophetæ, *Labia tua ne loquantur dolum*, si non solum verbum, sed etiam iuramentum exterius serio prolatum, cum deest animus iurandi, doli rationem nec nomen habeat? Cum tamen ex Augustino nihil aliud sit dolum loqui, nisi *aliud labiis promere, cum aliud claudatur in pectore*; seu vt habet Sermone 44. de diuersis *dolus sit, quando aliud agitur, aliud simulatur, quando aliud est in intentione, aliud in factis.*

Nec dicas te fictè, non verè iurare, hoc enim artificio non euacuatur, sed duplicatur malitia; nam ex Diuo Thoma 2. 2. quæst. 89. artic. 5. ad tertium, iuramentum simile est remedio quò, vtrumque efficacius, eò nocentius, nisi opportune adhibeatur: quia vt dicitur Ecclesiastici 23. si frustrauerit (id est deceperit fratrem) delictum ipsius supra ipsum erit; & si dissimulauerit (id est fictum verbum aut mendacium induxerit) *delinquet dupliciter*; (quia simulata æquitas est duplex iniquitas) & si in vacuum iurauerit, (id est sine iustâ & necessaria causâ) non iustificabitur.

Ergo iuramentum quacunque causâ fictum illicitum est & peccatum. Aliud addit paradoxum longe grauius & atrocius primo, nam si quæras quæ causa possit honestare verba aut iuramenta æquiuoca, Suares, Raynauldus, & cæteri fere omnes grauissimam requirunt; at Tamburinus lib. 1. cap. 3. sufficientissimam statuit vnam libertatem vtendi æquiuocationibus, quæ vix vlli deesse poterit, si illam metiaris principiis Tamburini, id est *tenuissima probabilitate*, quare proposita illa quæstione, an reus interrogatus à iudice, non tamen omnino certus, an legitimus sit, debeat ad eius mentem respondere; ad hoc asserit nulla ratione teneri, etiam si iudex instet Censuris: *quia inquit reus & testis ius possident vtendi æquiuocationibus, ex causâ: à quo iure non possunt deturbari propter dubium legitimæ interrogationis.* Permittit ergo reo & testi deludere iudicem perpetuo artificio æquiuocationum sensibilium, aut mentalium; nec illi placet quorundam exceptio qui

id ius concedunt reo & testi, impendente graui malo, non modico, quale est multa modicæ pecuniæ. Sed hos inquit Tamburinus, *sequi non possum, quia ius æquiuocandi præualet, siue graue, siue leue damnum timeatur.* Tanti momenti est apud illum æquiuocandi libertas, vt illius seruandæ causâ eludi & peruerti possit quæcumque iudiciaria potestas, quantumlibet probabilis & recepta; si aliquod dubium subsit oppositæ sententiæ quæ fauet reo, vel tenuissimam probabilitatem afferat. Quid si legitimus sit iudex, & ex nullo capite excusari possit reus à veritate fatendâ, poteritne illam æquiuocationibus obuoluere, & negare ob vitæ periculum quod incurret, si sincere respondeat? Ad hoc Tamburinus libro tertio cap. 4. §. 3. relatâ & reiectâ antiquorum sententiâ ait *recentioribus post accuratam discussionem, visum onus esse supra naturæ vires, reum obligare, ad ferendum testimonium capitale contra se ipsum:* ac proinde probabile & tutum esse, reum minime obligari ad fatendum crimen morte puniendum. Iis recentioribus ita mordicùs adhæret, vt antiquorum sententiæ nullam intrinsecam, sed solum extrinsecam probabilitatem concedat, ab authoritate Doctorum, nempe Augustino, Ambrosio, & alis SS. Patribus & Theologis. Nec placet Tamburino exceptio recentiorum licere reo æquiuocationibus deludere iudicem, si aliqua spes affulgeat euadendi mortem. *Ego vero censeo* (inquit) *etiam nullâ elucente tali spe, saltem à mortali esse etiam huiusmodi reum excusandum; excipio*, inquit, *casum hæresis; nec placet quorundam Theologorum limitatio altera, quâ æquiuocationum dant ius, ob solum vitæ periculum, non exilij, Triremium, infamiæ causâ: ac contra*, inquit Tamburinus, *ad hæc tam grauia mala, perinde ac ad mortem auertendam, ius natura nos armat, immo nos vrget*; sed quid tandem de malo leui? *Respondeo*, inquit, *à mortali fortasse excusandum: quia de iure naturæ videtur esse, vt ne leue quidem vulnus mihi ipsi infligam?* vel quia si agitur de pœnâ leui infligendâ, videtur leue, & non rigorosum superioris præceptum: vel quia ex negatione talis veritatis non oritur graue malum Reipublicæ, si solum leuis pœna sit imponenda.

Hac responsione non solum recedit Tamburinus à communi sententiâ Theologorum ex Diuo Thoma, qui legi-

timo iudici vt vero ſuperiori ſtatuunt eſſe parendum, nec poſſe negari veritatem legitimè interroganti, citra mortale peccatum; ſed parum etiam ſecum cõuenit: hic enim vrget *de iure naturæ eſſe, ne leue mihi vulnus infligam:* & tamen ſupra ex illo retulimus, *ad tormenta damnaque grauia vitanda, poſſe quemlibet ſibi falſum crimen imponere, etiam ſi mors ſit inde ſecutura.* Si enim ius naturæ obſtat, quominus quis etiam ſibi leue vulnus infligat, qua ratione patietur, vt quis ſeipſum interimat mendacio & calumniâ contra ius naturæ, quæ prohibet ne quis vltroneam ſibi mortem inferat? cum contra ſecundum ordinem iuris, à iudice interrogatus impoſitâ neceſſitate reſpondendi, ab illo cui debet parere, non à ſe ipſo, ſed ab alio interimatur. Superiora paradoxa videntur poſteriora vincere & augere. Refert idem Author lib. 3. cap. 1. quæſitum, an liceret ad falſum iuramentum inducere teſtem, qui bono animo rem putat veram, ſed authori ad iurandum compertum eſt eſſe falſam: ad hanc propoſitam quæſtionem dicit ſe primum reſpondiſſe, inducentem ad iuramentum peccare mortaliter, quod perſuadeat Deum aduocare in teſtem falſi ſibi comperti; licet is quem inducit, excuſetur ex ignorantiâ & bona fide: & hoc ſuum conſilium confirmabat exemplo illius, qui inſtigaret ebrium ad inceſſendum contumeliis parentem, vel infantem ad blaſphemandum Deum, vel ſeruum ad laborandum die quem ignorat feſto. Addere poterat plura alia, vt ſi quis perſuaderet viro, inire matrimonium, vel initi officia obire cum ſibi cognata, cuius tamen matrimonij impedimentum eſſet illi ignotum, & conſulenti cognitum: quibus exemplis euincitur ſecundas Tamburini curas & cogitationes, non fuiſſe ex veteri prouerbio primis meliores & prudentiores: primum enim conſilium retractauit commentitiâ quadam differentiâ inter exempla allata quibus nitebatur, & rem ſubiectam, in hoc poſitâ, quod qui author eſt ebrio conuitiandi parentem, ſeruo die feſto laborandi, cognoſcit eas actiones materialiter prauas, & nullo modo induere vllam bonitatem, ac proinde nec intendi, nec perſuaderi poſſe: *at iuramentum*, inquit, *quod ſine damno proximi bono animo iurantis fit, etiam de re falsâ, actus eſt ſtudioſus religionis*, quem poteſt vt finem inſpicere, qui per-

suadet iuramentum rei falsæ: atque huius inuenti gaudio vix sui compos addit, *subtilis alicui videbitur, sed certè uera distinctio. Vt si penetretur, censenda sit in posterum probabilis, hæc sententia ab Hurtado inuenta antea improbabilis, donec ista noua cogitatione accessit illi probabilitas;* ad minus aliqua tenuissima, sed reuera nulla accessit: quid enim dicet ad exemplum serui inducti ab hero ad colendum agrum, quod opus seruile potest studiosè fieri à seruo obedientiæ aut iusticiæ causa? quid de viro cum cognatâ iuncto, cui debitum reddere putat opus esse iustitiæ? quid censeas si quis ex ignorantiâ inuincibili colat diabolum, quem falso putat Christum? vel adoret hostiam quam etiam ex errore putat consecratam, si stet *subtilis illa distinctio* Tamburini, non solum non esset curanda ignorantia, quâ diximus hos omnes laborare, sed etiam fouenda: quandoquidem non minus ex virtute religionis cultum latriæ exhiberent Diabolo, aut hostiæ non consecratæ, quam iste ex eadem virtute religionis iuraret. Sed non aduertit, quod non solum Bannes & Siluius, sed ex suis etiam Coninchus & Valentia docent quamcunque ignorantiam rerum quas ad salutem refert scire, & vnde existant actus, quibus violatur lex, & sunt ad minus materialiter mali, esse quandam miseriam & genus mali, cuius nos pudere debeat, cui simus obnoxij repugnante naturâ, iuxta illud: *vanitati subjecta est creatura non volens*: ac proinde vera sit miseria subleuanda ex Charitate, doctrinæ & correctionis beneficio, veluti quodam spiritualis elemosynæ genere: atque admonendos esse qui huiusmodi ignorantiâ laborant, maximè, inquit Siluius *si spes sit emendationis, & nullus sit metus maioris mali.* Castropalaus addit, *nos ad illam correctionem teneri, siue ignorantia sit iuris positiui, siue naturalis, siue ex officio debeas corrigere, siue ex solâ Charitate:* Nec hanc correctionem exigit solum hominis bonum, sed etiam honor Dei, & ipsius legis reuerentia, ne à te vel ab aliis violetur, quocumque genere peccati etiam materialis. Hæc multo sunt solidiora quàm excogitata à Tamburino distinctio.

Nec dubium est quin ex vltimo paradoxo excusare possent scholasticos, qui vt suum cursum probent, & muniant sibi iter ad gradus, & subinde ad officia & beneficia, adhibent in testes ex amicis duos, qui rei sibi incompertæ, suspectæ

etiam falsi, verbo, & si velis iuramento fidem faciant, illum sedulo lectiones frequentasse, & ex hac persuasione quod rem putent veram: & cùm iuramentum ex Tamburini regulâ sit actus studiosus & religiosus, mirum tamen est illi esse Religioni, gratiam facere ijs testibus iurandi, se vidisse amicum frequentantem Scholas: sed cum obtendant hoc vnum vt testimonium perhibeant de amici diligentiâ in frequentandis lectionibus, hoc perinde illis est ex regulâ Lessij quoties licitum est vti oratione ambiguâ, vel tacitâ restrictione: eodem iure potest addi iuramentum, si necessitas vel causa postulet, qualis suppetit Scholastico adeundi gradus magisterij ad beneficia obtinenda, vel seruanda, & ne infamiam, aut parentum offensam incurrat, si repulsam à gradibus patiatur. Sed Tamburino & Lessio non fuisset assensus Gerson, qui de Cancellarij Parisiensis Academiæ abdicando munere cogitabat, quod non posset à gradibus Academiæ repellere immeritos professores: censebatque tolerabilius, nullos habere quam imperitos, quales sunt qui eo obrepunt iuramentis & testimoniis ex Tamburini regula: hos verò vt eliminaret Facultas Theologica Louanienſis, olim decretum edidit, & hodie num seruat, neminem ob aliquam in ipsâ promotionem suscipi posse, seu admitti, nisi legitimè doceat, omnia se ad illum gradum, quem consequi nititur, requisita, absque dolo olim impleuisse.

PARAGRAPHVS QVARTVS.

Censura Academiæ Louanienſis in iuramenta cum restrictionibus mentalibus.

CVM Academia Louanienſis nulli totius orbis Christiani decedat; nec præstantibus, omnis eruditionis & virtutum genere professoribus, nec scriptorum numero & monumentis, nec victoriis ab hæresi reportatis, aut summis denique in Ecclesiam meritis & rebus præclare gestis: Hoc tamen nomine eminet quod Scholæ subtilitates quæ præcipua laus sunt plurium, & quarumdam vnica fere cura, linguarum peritiâ & eloquentiâ ornet, ac perpetua sanctorum Patrum lectione condiat, Traditionis Ecclesiæ, & Doctrinæ Augustinianæ tenacissima: quod præter in-

numeros luculentissimè Ludouicus Soto Maior sacrarum Litterarum Cantabrigæ in Anglia, Conimbriæ professor emeritus, quibus clausit vltimum religiosissimæ vitæ diem verbis, testatus est eadem diei Pentecostes horâ, qua Spiritus sanctus delapsus in Apostolos, suos fratres adstantes ita compelans: Doleo fratres mei in me desiderata disciplinæ religiosæ, quam à puero voui, exempla, quæ nec modo præstare per mortem licet; sed cum totam vitam in commentandis sacris Libris, & lectitandis Patribus detriuerim, hoc habetote vltimum emeriti Professoris monitum: Quidquid sapio Academiæ Louanienſi meæ matri acceptum refero; illa me Augustinianæ, id est Catholicæ Doctrinæ purissimo lacte aluit, & cui semper adhæsi, illi immorior, & vobis author sum ne patiamini vos nouis & nuperis inuentis ab eo sanctissimo Doctore & Magistro gratiæ abripi. Nec dicas aliquid è gloriâ seruatæ & defensæ Doctrinæ Augustinianæ detractum Louanienſibus Theologis, præpostero Baij & Ianſenij in Augustinum affectu, nec meliori eius mentis interpretatione: nam præter quod hæc culpa est priuatorum, non Academiæ; quid mirum si eius Doctrinæ, cuius studio flagrant omnes, qua vna pascuntur, deliciis & quasi torrente voluptatis velut à vino largius epoto ebrius vnus aut alter impegerit & cespitarit? Sed hanc tot in Ecclesiam meritis comparatam gloriam auxit innato quasi odio in laxiores opiniones, id est in periculosissimas corruptelas, quibus perpetuum bellum indixit; & haud scio an quidquam ex illa prodierit eius Auita pietate & eruditione dignius, id est Augustinianum & Christianum magis, censuris & decretis Theologiæ & vtriusque Iuris professorum quibus à triginta annis damnauit quasdam iuramentorum formulas æquiuocationum id est perjuriorum plenas.

Primum quidem quodnam peccati & monstri genus suscipiant debellandum hisverbis elegantissime describunt, *Quidam cum professionem, vel magistratum, sub lege præstitæ, vel præstandæ integritatis à nundinationum sordibus, acceperint, eamque pecuniarum & munerum acceptione aut collatione apertissimè violauerint; audacter iurant, eam se præstitisse; videlicet (sicut mentis restrictione principem suum ludificantur, & iustis ac necessarijs legibus illudunt) quæ non acceperint vti non nemo, publice: vt alij, non ab*

indignis: vt alij, non vltra solitum: atque huic sua interpretationi aut restrictioni probabilitatem so conciliare putant hoc duplici colore, quod Princeps cauere velit ne indigni obrepant, nec ignota sibi princeps dona & munera tollat nec in illorum authores animaduertat.

Proposito genere peccati, nec tacitis reorum excusationibus, se damnationi & censuræ Academia accingit, his verbis, quæ non minus eius pietatem & zelum, quam eruditionem resipiant: *Non minus dolendum, & paris esse infœlicitatis imperitorum animos propriis cupiditatibus ita obscuratos, vt veritatem inter ethnicos indubitatam, peritioribus quasi dubiam discutiendam subjecerint, quam huiusmodi peritos cupiditatibus alienis vsque adeo lenocinatos, vt rem lucidissimam tortuosis ratiocinationibus obruere velle videantur.*

Hæc præfati, telis validissimis, id est argumentis ex Augustino accurate collectis damnant periurij huiusmodi formulas, quod nulla restrictione declinari possit, quia vt ex Tullio referunt *fraus adstringit, non dissoluit periurium*, idque primum intorquent telum, huiusmodi iuramenta *incurrere in apertum & Oecumenicum luminis naturalis principium*; quod ex Augustino sermone 28. de verbis Apostoli euincunt: *da alium qui scit falsum esse & dicit verum; & iurat tanquam verum, sit quod scit falsum esse.* Quales sunt quotquot datis aut receptis muneribus iurant sine vllo commercio dignitates adiuisse, aut contulisse: *videtis* addit Augustinus *quam ista detestanda sit bellua & de rebus humanis exterminanda: quis enim hoc fieri velit? Omnes homines talia detestantur.*

Addunt deinde, & multis elegantissime prosequuntur, *huiusmodi uramentis, societatem humanam euerti, emotis duobus, quibus nititur fundamentis, nempe legitima præcipiendi authoritate, & iusta parendi subditis imposita necessitate: abruptis quibus seruatur totidem vinculis, nempe locutione humana corrupta, & inde abrogãta, quam mutuo præstamus & exigimus fide dictis nostris habenda, quis enim neget, cum qui sponte sua, nemine nisi propriâ ambitione assequendi honoris impellente, iuramento se se ingerit, à principe iustis & necessariis de causis constituto ad rempublicam recte administrandam, non aliter posse iurare, quam secundum mentem principis & statuti; nam vt*

Augustinus Epistolâ 24 expectationem eorum quibus iuratur, quisquis deceperit periurus est: & Tertulianus lib. 4 contra Marcionem cap. 38. hoc statuit etiam in priuatis colloquiis aliud consulenti, aliud respondere esse hominis dementis; & ex Isydoro, qui ita aliter iuret & respondeat, quam cui iuratur intelligit dupliciter reum esse, qui & Dei nomen in vanum assumat, & proximum dolo capiat; Sane si quis vnquam sit locus huiusmodi sinceris iuramentis, tum omnino necessaria sunt, cum ex præcepto Principis legitimo iurandum & respondendum est: quis igitur dubitet hic fidem statuto Principis, & expectationi Reipublicæ deberi, nisi qui dolose iurando omnem loquendi sinceritatem, & iurisiurandi fidem ex hominibus exterminatam cupit?

Addunt exempla ethnicorum, *nec vero* inquiunt, *ista tam obscura est veritas vt in solis Doctoribus Ecclesiasticis quærenda sit: vidit eam, scripsit, opereque expressit impietas Paganorum, vt pietas Christianorum erubesceret.* Subinde adiungunt exemplum Attilij Reguli, qui *hostibus non per Sacramenta Dei veri, sed per dæmonum inquinamenta iuramento adstrictus, non putauit sibi ob atrocia tormenta, quæ impendebant redeunti vt iurauerat ad hostes, licere in his angustiis aliqua iurandi dexteritate sibi subuenire. Periurum enim se omnino fore iudicauit, si aliud iurarit, quam quod ab illo, non Rex, aut respublica sua, sed quod hostis iuxta legitimum verborum sensum expectabat. Idem Senatus & populus Romanus statuit in eos, qui fraude, id est restrictionibus mentalibus paulo minus dexteriore fidem hostibus datam fefellerant: Sed quid Augustinus in huiusmodi restrictionum Authores diceret, cum libro contra mendaces cap. 18. ita scribat? Quidam in eis docti regulas figunt, finesque constituunt, quando debeat, quando non debeat peierari. O vbi estis fontes lachrimarum! & quid faciemus quo ibimus, vbi nos occultabimus ab ira veritatis, si non solum negligimus cauere mendacia, sed audemus insuper docere perjuria?* Vbi his argumentis inuictis huiusmodi formulas iuramentorum periurij conuicerunt, friuolas cauillationes, quibus, tanquam siculneis foliis turpitudinem periuriorum tegunt nonnulli à conniuentia principis, & à falsâ statuti interpretatione, quasi iuramentum cadat in eos qui indignis dignitates

conferunt, quamuis largissimis muneribus donati, validissimè refellunt : quia inquiunt *primo ex conniuentia principum, scelerum licentiam colligi fallacissimum est argumenti genus, quod scilicet multa possint principes in criminibus vindicandis quæ non expediant, multa expediant quæ non possint; multa possint & expediant opportunius differenda; multa occultè admissa seuere punienda relinquant Deo soli occultorum testi & iudici.* Interpretatio autem iuramenti, quasi princeps vnum obtendat, nempe indignos excludi à præfecturis, non modo falsa est, sed etiam inepta & ridicula, quid enim magis fingi potest falsum, & stultum quàm iuramentum ab aliquo de sua dignitate, seu capacitate postulare, vt videlicet iuret se nihil eligentibus dedisse, & qui elegerunt iurent se nihil recepisse, nulla prorsus mentione digni, aut indigni facta?

Sed ne videar toto hoc articulo cæteris longiori aliena collegisse, addam quod Louanienses iustâ sine dubio de causâ omisere; iis æquiuocationibus & restrictionibus mentalibus non solum humanam societatem, sed religionem etiam in totum tolli, & Dei perinde ac hominum dictis omnem fidem abrogari. Nam si semel mentiri, aut quod perinde est apud sanctos Patres, restrictionibus mentalibus & æquiuocationibus verba obuoluere liceat, quid sciam? quis me certiorem faciat, Deum & Christum, dum arcana diuinitatis reuelarunt, & fidem nostram sibi astrinxerunt, eâ vsos fuisse licentiâ æquiuocationum, quam indulgent hominibus? Apostolus non censet certam Spem & Fidem nostram, nisi per duas res, siue duobus argumentis, à veracitate Dei, & iuramento verbis addito, quibus impossibile est mentiri Deum. Et displicet reliquis Theologis opinio Nominalium, qui mendacium censent non adeo esse à primâ veritate alienum, quin Deus pleno iure potentiæ possit illud permittere & vsurpare, atque adeo honestare. Nam si ita sit, totius fidei veritas & certitudo nutat, cadit illud Apostoli verbum mundi cardine firmius : *Impossibile est Deum mentiri*, vel æquiuocationibus nos deludere, aliàs incredulis liceret dubitare, ne dum Deus testatus est, se vnum naturâ, Trinum personis, verbum incarnatione missum, naturæ humanæ insertam Diuinam, & vtramque sub Eucharistiæ speciebus latere, & alia id genus mysteria reserauit; vsus fuerit (quam

illi Nominales asserunt, & animus horret audire absolutâ illâ potestate mentiendi, seu ludendi æquiuocationibus; vt nihil minus significatum voluerit, quam quem verba præferunt, & tota Ecclesia accepit, & amplexa est sensum? Hæc de prima dissertatione satis.

DISPVTATIO SECVNDA.

Apologetica pro D. Fagnano contra Caramuelem & P. Mercoro contra Anonymum.

SVPERIORI Disputatione videmur prolusisse huic secundæ qua nos manet, cum duobus acerrimis aduersariis longè grauius certamen, quàm cum Theophilo & Tamburino, quibuscum velitatione potius, quam iusto prælio hactenus pugnatum fuit; quod vterque jejune admodum, obiter aut potius contemptim controuersiam de tutioris opinionis delectu attigerit. Tamburinus quidem supra relatus, eum qui relictâ tutâ, probabiliore, communiore opinione, etiam in articulo mortis, operatur ex omnium tenuissima probabilitate, nihil mali & periculi incurrere, recte operari, *ita certum asserit, ita à Doctoribus comprobatum, vt ejus discussione non indigeat.* Proinde cum alieno labore fundamenta suæ doctrinæ jecerit, & à præcipuo controuersiæ capite abstinuerit, nihil fere nobis facessiuit negotij; sed rem nostram promouit incredibilibus laxitatibus, quas collegisse vnus labor fuit: nam referre refutare est. Nec operosius hoc argumentum Theophilus tractauit: nam fere pro comperto & confesso apud omnes posuit, vnum Suarem, vel quemlibet alium Doctorem Classicum, posse conciliare probabilitatem securam suæ opinioni, aliis omnibus reclamantibus, nullâ exceptione admissâ; vt nihil curauerit, aut opus esse crediderit, hanc authoritatem nuperis Doctoribus aliquâ probatione asserere. Quare facilis & expedita pugna fuit cum

aduersariis, qui contemptu nostrarum virium, suis pepercerunt. Sed alia instituenda est disputandi ratio cum Caramuele & cum Anonymo. Nolim horum duorum cum superioribus, inuidiosam de ingenio, eruditione, & eloquentia comparationem inire. Si duellum esset suscipiendum, non detrectaret Caramuel cum Tamburino, & Anonymus cum Theophilo, etiam si scriptorum genere & numero res esset metienda; sed quidquid sit; hi duo postremi Disputationem de probabilitatum regulis longè accuratius tractarunt; ac proinde acrius & periculosius cum illis instat certamen, cuius causam aperiam, id est, quid ipsi de subjecta quæstione, quid D. Fagnanus & Mercorus censeant, quid Caramuel in primo, quid in altero Anonymus arguat, quid eorum nomine sim propugnaturus.

SECTIO PRIMA.

Occasio & status Controuersiæ Caramuelis cum D. Fagnano & Anonymi cum P. Mercoro.

NIsi Caramuel Apologemate in D. Fagnanum Lugduni edito, viri sapientissimi sententiam de tutioris probabilioris opinionis delectu ad honestam actionem & salutem necessario lacesciuisset; nisi Mercori Basim (id est communem illi cum Fagnano doctrinam) nodis quibusdam tentasset Anonymus implicare; ab hac omnino controuersiâ abstinerem; quod pro dignitate ab vtroque Authore tractata sit, & delectus tutioris opinionis ab Authorum, qui præcessere, impugnationibus ita vindicatus vt videar ad materiam accedere potius exhaustam, quam subactam. Sed nos qui veritati & hominum saluti volumus tuto consultum; non debemus committere nostram illi defensionem deesse, quamuis minus necessariam, quandiu nouis insectationibus appetetur. Quare non dubito, quin, hoc consilium nostrum bonis omnibus probetur, quod non tam horum duorum Authorum, quam ipsius Ethicæ Christianæ, quæ tota hæc vno capite continetur, Apologiam susceperim.

Hoc vnum forte videri poterit minus ad expeditam disputationem commodum, quod vna dissertatione agam cum duobus, qui non solum diuersa, sed etiam contraria sentiant & obtendant. Nam Caramuel omnibus paginis inclamat, *delectum tutioris opinonis relicta minus aut aeque probabili, qua stet pro libertate contra legem à D. Fugnano & Mercoro constitutum, Ianseniauum esse, & jugum intolerabile, quod impossibilia hominibus præscribat, ignorantiam inuincibilem juris naturalis imputet ad culpam* At contra Anonymo videtur Mercori Basis nutare, quod subduxerit principium illud apud Sanctos Patres quasi dogma fidei receptum, *Ignorantiam juris naturalis inuincibilem nullam dari, vel si detur à peccato minime excusare, quod ea laborantes in legem admittunt.* Inde enim apertâ & necessariâ consecutione deducitur (& nos vltro agnoscimus) in controuersiis, aut dubiis & probabilibus rebus nunquam licere à lege discedere, & tutiorem partem prætermittere: sed negamus (& hoc futurum est præcipuum nostræ cum Anonymo disputationis caput) sententiam de tutiore opinione eligenda eo solo principio niti, nullam juris naturalis ignorantiam etiam inuincibilem peccato carere.

Sed quamuis aduersarij in studia adeo diuersa & contraria scindantur, placuit tamen illos vna disputatione jungere & impugnare: nempe quod alia sit concertationis litterariæ & militaris ratio. In hac, quo plures & diuersi nos hinc inde impetunt, eo fimus minus omnibus pares, aut singulis repellendis & vincendis. Sed in hac disputatione cum Caramuele & Anonymo contra accidit; si jungantur, illis vires decrescunt, augentur nostræ: quod, quæ nobis obijciunt, magis inter se quam cum nostris pugnent, & quem vnus ictum infert, alter excipiat & depellat. Quid enim ad causam nostram & ad victoriam magis conferre potest, quam à Caramuele vnum Iansenij errorem obtrudi, quod inconcessa & impossibilia hominibus præscribamus? Anonymus contra hoc vnum nobis vitio vertat, quod aliunde nobis præsidia quæramus, quam ab Augustino hac re vt quidam putant, magis Yprensi quam Hyponensi, & oblatum auxilium quasi suspectum, aut certe nobis non necessarium repellamus, nec eo vno patiamur nostram causam & defensionem contineri.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [184] - 104
PUBLIC DOMAIN

ARTICVLVS PRIMVS.

Occasio scriptionis Anonymi in nostram sententiam traditam à P. Mercoro, & in illam objectionum summa.

QVIS sit Anonymus cum quo duellum sumus inituri veluti vultu casside tecto, suspicari magis possum, quam certo asserere & jurare ausim. Si tamen conjecturis agere liceat, vsurpare potero quod narrant Lipsio peccatorum Exomologesim Latinè facienti dictum à Confessario, Lipsianè loqueris, & ab illo repositum Lipsius loquor. Ita hunc Anonymum VVendrockiane, aut verius VVendrockium loqui existimo. Quidquid sit de re conjecturis potius, quam certis argumentis opportunâ, ex ipsomet habe certiora, nempe consilij eius rationem, quam aperit Epistola ad Amicum, qui copiam fecerat operis Mercori ea primâ editione Mantuana, & vbi relegit, remisit cum epistolâ, quæ sit veluti præfatio ad Operis censuram: *Librum quem ad me transmittendum curasti (Vir Clarissime) attentione magna, nec minori voluptate perlegi, de quo, quia judicium meum audire te velle significas, breuiter tibi, & generatim ita mihi videri respondebo. Consilio istius scriptoris nihil esse præstantius, siue ingenio quicquam sagacius, aut subtilius. Cassiastarum argutias argute, ac nihilominus solidè refellit; quoque vno, illi gloriabantur rationis ac Philosophiæ præsidium eripit ad euertendam fallacem, ψευδώνυμα Philosophiam, veræ, solidaque Philosophiæ vsus. Quamobrem de istius editione Libri, & Deo gratia agenda sunt, quod ita laboranti, & nouarum opinionum licentia deformatæ Ecclesiæ subuenire voluerit, & Clarissimo Ordini gratulandum, quod, qui olim efficacis gratiæ tot strenuos defensores aluit & instruxit, nunc euersæ morum doctrinæ fortes itidem propugnatores è sinu suo excitat; ipse materiæ delectus, acre illi viro judicium esse satis indicat. Prorsus enim ex probabilitatis doctrina, prout à recentioribus traditur, omnia penè recentis doctrinæ flagitia fluxerunt, vt qui hanc expurgarit, multum ad emendandam moralem de-*

ctrinam profecerit. Eam ob rem roganti tibi, vt simul notarem, si quid in hoc opere desiderari posse perspicerem, eo studiosius parui, quod Ecclesia magnopere interesse sum arbitratus, vt hic liber vndique perfectus in publicum prodiret, nihilque haberet, quod vllam quam posset offensionem afferre. Ergo nodos quosdam, quibus & ipse, & alij mecum plurimi agrè se expediebant, his tibi litteris indicabo, quæ ab authore vel dissolui, vel quod longè potius arbitrarer, omninò resecari opportunum fuerit.

Ita Anonymus ad quæ modestissime respondet Mercorus verbis Augustini : *Fateor* inquit, *me ex eorum numero esse conari, qui proficiendo scribunt, & scribendo proficiunt: vnde si aliquid incautius, vel indoctius à me propositum est, quod non solum ab alijs, qui videre id possunt, merito reprehendatur, verum etiam à meipso, quia & ego saltem postea videre debeo, si proficio: nec mirandum est, nec dolendum, sed potius ignoscendum & gratulandum; non quia erratum est, sed quia improbatum. Ijs & similibus subscribo verbis D. Augustini epist. 7. ad Marcellinum; vt cum doctissimus Censor jubeat aut resecare, qua in meo opusculo de opinionum praxi correctione digna animaduerterit, aut emergentes soluere nodos, quos ipse docte & luculenter proponit, si quominus eos soluere nequeam, ejusdem eruditissimi Viri sit permissum arbitrio in eo delere, quæ veritati minus congruere videbuntur.*

Hæc breui vterque præfatus, accingunt se hinc implicandis, inde soluendis aut resecandis nodis : ij vero tres omnino sunt. Primo præfationem Basis carpit Anonymus, quod conqueratur aliquot Authores nimium Christi legem & jugum suaue, onusque leue aggrauare & exasperare, exclusâ omni probabilitate à conscientiæ regulis : neque tamen quinam sint isti indicat, & qua ratione differant ab ipsius Mercori mente, qui vult tutiorem opinionem è probabilibus esse eligendam. Sed hunc nodum soluam statim artic. huius sectionis 3. vbi statum cõtrouersiæ aperiam, & D. Fagnani ac Mercori, & Suaris, aliorumque sententiam mediam inter extremas, hinc Caramuelis, Tamburini, & Raynaudi, inde Camitolij & ipsiusmet Anonymi constituam. Ideo forte non æquo animo feret accusari nonnullos (è quorum numero sit) quod legis jugum aggrauent eliminatâ omni probabilitate, nec admissâ, nisi

vt ſolent etiam dubitationes, cum duo mala inſtant,& majus arceri oportet, minori accerſito, ex opinione non ſolum probabili, ſed etiam dubiâ: hæc enim eſt mens Merendæ quam rigidiorem vocat Mercorus: ſi Merendæ ſubſcribat Anonymus, ab vtroque diſſentimus: ſi improbet,hac re ſtabit nobiſcum. Neque enim auſim dicere quid in hac re obſcuriſſimâ & intricatiſſimâ ſentiat, ſed loco notato has tenebras depellemus.

Secundi nodi tota eſt fere de nomine contentio,& facile ſoluitur, cum obijcit, *Perperam dictum à Mercoro legem bono naturæ, id eſt hominis libertati aduerſari, nec vndequaque bonam. Suppoſitâ tamen corruptione peccati, qua homo pronus ſit ad malum, leges illi neceſſarias, ſicut furioſo vincula quibus ligetur, ne ſe in flumen præcipitem det.* Sed non longe abeſt à mente Pauli hoc Mercori dictum; immo videtur ab Apoſtolo ſumptum variis locis, quibus, non de lege æternâ, aut diuinâ gratiæ quæ jubendo juuat, & auxilium addit præcepto; ſed de lege Moſaïcâ aut humanâ aſſerit, non bonam, idque multis nominibus; nempe quod manum cohibeat magis,quam animum, quod occaſio ſit peccati, dum monſtrat quid bonum ſit, quid malum, nec vni comparando, alteri fugiendo vires & voluntatem ſuppeditet; ſed vetando potius malum, concupiſcentiam accendat. Non bona etiam dicitur,quatenus homines vt pueros demulcet lex vetus quibuſdam munuſculis, aut vt ſeruos contumaces terret minis & cogit, nec vt filios aut ingenuos homines regit: hinc Apoſtolus multa alia his ſimilia congerit quæ fauent Mercoro; maximè illud quod legem libertati filiorum Dei ita opponat, vt ſi Spiritu Dei ducamur, non ſimus ſub lege, nempe minis, pœnis terrente & cogente, quamuis nihil melius aut optabilius poſſit contingere, quam ſi eius præceptis ſinamus nos dirigi vt ingenuos:hoc ſenſuMercorum interpretari oportebat.

Sed tertio nodo grauiore, & qui magis late pateat, atque operoſius explicato, viginti quatuor argumentis confirmato & quaſi reuincto, quibus tota fere ſcriptio continetur, Mercorum nititur implicare arctius: male conſultum putat delectui tutioris opinionis (quam tota ſua baſi vrget & confirmat Mercorus) quod ſupponat dari poſſe, *Ignorantiam inuincibilem juris naturalis, & ab omni pec-*

cato excusare, si nec directe, nec indirecte volita sit, quibus verbis ignorantia inuincibilis definitur. Hoc vero Anonymus principiis Theologiæ, ac Religionis capitaliter aduersari: immo penitus labefactare, quidquid toto libro ad emendationem moralis disciplinæ ab ipsomet P. Mercoro stabilitum est, facili, ni eum sua fallat opinio, negotio posse demonstrari putat: hic vnus nodus occurrit vindice dignus, & intricatissimam injcit quæstionem, multiplicem partibus, sophismatis obscuratam, & Theologorum contentione pene desperatam; nempe an detur ignorantia juris naturalis, quæ ex hominum animis Dei notitiam, æquitatis principia, & boni honesti semina in totum tollat, vt nullâ re, nisi vultus & corporis conformatione differant à brutis. Et si adeo profunda caligo nequeat occupare humanam mentem, quin residua sit aliqua boni honesti scintilla, & synderesis ad meliorem frugem monitio & vellicatio; an saltem Decalogi aliquam partem obliterare possit ignorantia inuincibilis, & excusare quidquid ex illa peccatur in aliquam legem Decalogi, qua continentur veluti conclusiones juris naturalis ex primis deductæ syndereseos principiis. Multi vtramque partem negant, nec facile admittunt hujusmodi inuincibilem legis naturalis ignorantiam, id est nullo modo volitam, nec vllo studio medicabilem, vel si detur, inductam à peccato minime excusare. Atque hanc suam sententiam satis apertis SS. Patrum testimoniis confirmant, quasi doctrinæ de peccato originali consentaneam, ac pene necessariâ cognatione & consecutione conjunctam. Neque ferre possunt recentiorum plures, qui legem naturalem implendam interpretantur, quasi adhuc staret prima institutio hominis, neque vllo peccato vitiatam haberet originem, vel naturæ corruptione omnes juris naturalis leges abrogatæ essent; ac proinde vix tyranni nomen & odium posse effugere, si ab homine recte à se instituto, & suâ culpâ vitiato exigat aliquid eorum, quæ poterat integris naturæ viribus implere, quæ nequeat modo à se corruptus: & si quis contra censeat, & velit vno peccato originali non dilui cætera quæ inde existunt, nec excusari ignorantiam inuincibilem inde profectam, quod ea mala euitandi facultatem abstulerit genialis macula & culpa, inclamat Caramuel omnibus paginis, *eos qui ita sentiunt, Hæreticos esse*, quam-

uis plures SS. Patrum patronos habeant. Sed non facilè crediderim ſummos Pontifices ad votum & arbitrium Caramuelis Auguſtinum, alioſque SS. Patres, qua Ianſenium notarunt, Cenſurâ damnaſſe.

Sed quidquid ſit de ignorantiæ inuincibilis inſuperabili difficultate, ſumme laudanda eſt Mercori prudentia, quod laxiſſimarum probabilitatum vſum intra certas metas cohibiturus abſtinuerit à propoſitâ quæſtione, an detur juris naturalis Dei exiſtentiæ & vnitatis, boni honeſti ignorantia inuincibilis, & an ex illa ſemel conceſsâ excuſentur idololatria, & quæcunque facinora in legem naturalem perpetrata. Præſentiebat Vir ſapientiſſimus recentiorum vociferationibus inuidiam conflatam huic ſententiæ, apud Antiquos Patres & Theologos ex Vaſqueſio receptiſſimæ, quæ eſſet deriuatura in conſtitutam à ſe de tutiori opinione eligenda regulam; ſi inde aſſumeret argumenta, quibus ſuam ſententiam confirmaret: quare aliunde repetenda eſſe cenſuit; qualia ſuppetunt validiſſima ex aliis capitibus jam inſinuatis, & pluribus mox aperiendis. Quare licet forte obiter occaſione datâ argumentorum Anonymi dicturus ſim, quid de ignorantiâ inuincibili ſentiam, quid ſaluâ fide opinari liceat; veſtigiis Mercori adhærebo quæſtionem de ignorantiâ inuincibili nihil excuſante culpam ex illa conſecutam contra legem, à ſubjectâ controuerſiâ de tutiore opinione eligendâ ſejungam, & contra quod obnititur Anonymus, demonſtrabo ſtare regulam firmiſſimam de delectu tutioris opinionis, in rebus dubiis & controuerſis; etiam ſi demus Caramueli ignorantiam inuincibilem excuſare à peccatis, quæ ex illâ proficiſcuntur, quo vno verbo corruunt omnia fere vtriuſque Authoris in nos argumenta.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Summa diſputationis Caramuelis in D. Fagnanum.

ACCINXERAM me Apologiæ Domini Fagnano aduerſus Caramuelis Apologema, & rem promoueram, cum Cenſuræ Romanæ in illum latæ fama ad nos peruenit, quæ poterat huius ſcriptionis curſum intercipere. Quid enim opus habet noſtris vindiciis Vir ſapientiſſi-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [189] - 109
PUBLIC DOMAIN

mus, cum adeo graues pœnas dederit Iudicibus Romanis Caramuel, quod illum immerito lacessiuerit ? Sed si D. Fagnanus defensione minime egeat, non puto superfluum fore, æquitatem censuræ demonstrare. Plures ex illâ audaciores fierent, & durius cum Caramuele jam prædamnato agerent. Verum mihi longe humanius & reuerentius habendum censeo. Nam præter quod lego Antiquos quodam religionis sensu solitos venerari loca fulmine percussa; jam olim dictum est à sapiente nescio quo, *afflictionem non esse addendam afflicto*, sed potius ingerenda dolori deliniendo remedia. Quare ne huic officio desim, monendum censeo Caramuelem ne iniquo animo ferat, hac in suum librum sententia vindicatum Fagnanum de Ecclesiâ optime meritum, non dicam longissimis obsequiis, nec toto opere, sed ipsamet disputatione in quam calamum distrinxit. Mirari potius subit Ecclesiæ summam charitatem in ipsum, aliosque benigniorum vt vocant opinionum cusores, quod cum olim boni omnes optarent, & sapientes omnino necessarium iudicarent, decreto veluti cauterio cohibendam ingeniorum huiusmodi pruriginem; à Censurâ abstinuerit, donec illam fere ab inuitâ extorsit, audax sine dubio factum & consilium, damnandi eos erroris, qui tutiora & viciniora saluti consulerent, & improbarent illam nouas opiniones cudendi cupiditatem & licentiam. Et si cæteræ deessent causæ damnandi Apologematis (quales plurimæ suppetunt) hæc vna damnandi erroris tutiores sententias temeritas & licentia, non modo iustam, sed plane necessariam, tanto malo comprimendo Censuram Romanam demonstrant.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Summa Epistolæ primæ Caramuelis & Notarum ad illam.

CARAMVEL ad calcem apologematis *Monito* vt vocat *Dialectico* ad Antagonistas quatuor leges præscribit stylo duodecim apud Romanos tabularum: quicunque secum sint disputaturi, *Primo rationibus agunto 2, ab injurijs & scommatibus abstinento. 3. Nullam probabilem in responsione assertionem ponunto* (quia non nisi euidentem

& neceſſariam eſt admiſſurus) 4. *Tandem præſcriptas ſyllogiſmorum formas religioſe obſeruanto.* Neſcio quid ſibi juris arroget Caramuel, vt in alios plures leges ferat, quarum nullam ſibi obſeruandam putet, quamuis æquo jure viuendum illi eſſet & pugnandum. Rationes ſanè apud illum nullas, aut paucas lego; ſcommatum in aduerſarios, & (quod ex eiſdem cauſis prouenit) ſuarum laudum non parcus. A tertia lege quæ jubet ſolis neceſſariis & euidentibus nullis mere probabilibus vti; adeo longe abeſt, vt ne dicam vera, ſed vix probabilia habeat, innumera vero aperte falſa & periculoſa: non recuſo ſycophantæ pœnas, niſi demonſtrauero nullam nobis præſcriptarum legum ab ipſo ſeruatam.

Apologema ſcripſit Caramuel Epiſtolari formâ & ſtylo ad Cardinalem Palauicinum, quem nouerat à Fagnano plurimùm diſſentire, eius operis editioni interceſſiſſe, & quæ objecerat impedimenta, valide à D. Fagnano perrupta & euerſa. Mirum forte videbitur viros ſapientiſſimos, & præcipua noſtri ſæculi ornamenta, parem apud omnes ſapientiæ & integritatis opinionem, & apud ſummum Pontificem non diſparem gratiam conſecutos, quoad cætera ſimillimos, placitis non admodum conuenire. Quid ſi dixero, hanc qualemcunque ſententiarum diſſenſionem ſummi Pontificis in vtrunque affectum, humanitatem, iudicium & ſapientiam commendare? Quaſi diſpares aut diſcordes animos, dum ad Eccleſiæ defenſionem & ſui Pontificatus gloriam conciliat, ſe eadem probet virtute pollere, quâ cœlum diſcordias elementorum ad totius vniuerſi pacem & incolumitatem ſedat & compeſcit. Quas in Cardinalem Palauicinum congerit ingentes laudes, præ viri meritis modicas cenſeo: ſed optaſſem parcior ſuarum fuiſſet. Apoſtolus æmulorum inſectationibus, ad ſui Apoſtolatus commendationem coactus aliquid ſcribere, non audet inſipientis titulum à ſe deprecari alio nomine, quam quod inimicorum calumniæ ad id ſe adegerint, *inſipiens*, inquit, *factus ſum, vos me coegiſtis.* Adeo aliena eſt à ſapiente ſui laudatio, vt vix neceſſariâ defenſione maculam inſipientiæ poſſis abſtergere. Quid ſi obtrudas importunè? Quid ſi viam, cum nulla pateat, vi tibi facias? Intempeſtiue omnino de ſe loquendi occaſionem arripit Caramuel, cauſatus Antagoniſtas, *vt à controuerſia ſu-*

perſedeant ſubſtantia, ad circumſtantias importune recurrere Quaſi P. Mercorus & D. Fagnanus ſuis diſputationibus aliud egerint, quam quod ſuſceperant probandum; vt auram ſequens aduerſariam, cum illis circumſtantias ſingulas debuerit ſpeculari, & nos docere, *quis, quid, vbi. quibus auxilijs, cur, quomodo, quando*, hoc Apologema ſcripſerit. Certè in hunc campum, non qua data porta ruit, ſed obice effracto: neque opus erat repetere quæ de ſuis ſtudiis, de millibus Hæreticorum ad fidem conuerſis, præfatione & aliis id genus, alibi legi poterant.

Sed omiſſis Parergis, ad rem ipſam accedamus. Qui in aliis rhetoricam damnat, & deſiderat dialecticam, iſtâ prætermiſsâ, alteram in promptu habet; Ciceronem magis quam Ariſtotelem ſecutus. Atque vt ille Oratorum præſtantiſſimus quaſcunque priuatorum cauſas peragat, videri vult vno in rempublicam ſtudio ſuſceptas, & ad illius gloriam ac ſalutem pertinere: eodem artificio Caramuel, ſed minus veriſimili contendit hâc de qua diſputat, probabilium causâ, agi de *ſecuritate Eccleſiæ, quam Ianſeniſmus rediuiuus inuadit &c. Agi de Patriarcharum, Prophetarum &c. honore, de ſummorum Pontificum decretis, quos omnes probabilia vſurpaſſe concedunt omnes, ergo in Patriarchas & Pontifices &c. bellum mouent quotquot negant ad ſecuritatem conſcientiæ ſufficere opinionem quamcumque probabilem*, etiam quæ ſtet pro libertate contra legem, pro voluptate contra officium, pro commodo contra honeſtum, etiamſi diſparis ſit & minoris probabilitatis. *Ad populum Phaleras.* Caramuel fraudem facit Rhetoricæ artibus, non pugnat Dialecticæ ſyllogiſmis & armis. Nemo noſtrum probabilitatem, & probabiles opiniones damnat. Sed ægerrime ferimus conſuli quaſcunque *tenuiſsima probabilitatis* tanquam ſecuras, omiſsâ etiam probabiliori, tutiorique ſtante pro ſalute. Hoc vnicum eſt caput noſtræ controuerſiæ, quod toto apologemate, nullo argumento, nullo exemplo, ne dicam probauit, ſed ne quidem attigit. Quos enim mihi dabit Patriarchas & viros ſanctos, qui vitam ſuam, quos Pontifices, qui ſua decreta, ſuas diſpenſationes ad illam Leſbiam regulam exegerint, *tenuiſsima probabilitatis* pro voluptate, lucro, &c. antepoſitæ cuicunque opinioni, non ſolum æquitate cauſæ, nempe honeſti, legis, & ſalutis, quibus fauet, ſed etiam probabili-

tatis

tatis viribus superiori? Parerga sunt plane & extra thesim quæcunque totâ illâ Epistolâ, vel ad illam notis congeriit nullo ordine contexta, nullo verisimili argumento confirmata.

Si D. Fagnanum testatur se venerari, improbata eius opinione, quæ pro lege Dei pugnat, & pro salute æternâ, contra nescio quodnam jus libertatis; Verbis vnius Martyris vir religiosissimus inclamat, *nolo gloriam meam minuas: nec damna inferas laudi*; summum duco honorem pro legis defensione inhonorari. Quid enim optatius aut glorioſius seni jam morti maturo adeo felici vitæ exitu contingere potest, vt caput objecter telis, quibus Deus ipse petitur? Et dum legem diuinam tutatur, & paribus probabilitatum momentis cum libertate appensam apud omnes præponderare oportere contendit voluptati, non cum vitæ (quod maxime vellet) sed cum aliquo famæ dispendio; in immensum gloriatur cum Apostolo, quod Deo sit teli & clypei loco, & quæ ex violatâ lege nimiâ probabilitatum licentia in Deum redundant, nouo quodam martyrij genere, calumnias excipere sibi datum sit.

At, inquies, quæ obijciuntur Fagnano, nempè ex eius opinione de tutiore parte eligendâ, sequi Deum præcipere impossibilia, non esse vnius aut alterius inuidi calumnias, sed recentiorum ab omni liuore alienum iudicium, & communem sensum; è quibus nouem refert Caramuel, qui conceptis verbis asserunt, nisi apud Deum excuseris, cum agis ex quâcunque opinione probabili, impossibilia præcipi. Mirum est solos recentiores illius consecutionis Authores laudari, cuius adeo altum silentium sit apud SS. Patres, è quibus nullum citat: non omissurus profectò Caramuel ad patrocinium causæ, quæ illi adeo cordi est & antiqua, si aliquod extaret apud antiquos ad hanc rem verbum. Addo recentiorum multos & forte omnes malâ fide referri, & in re grauissimâ antiquorum silentij præjudicio fere damnatos. Sed nihil opus est eò confugere, satis est dixisse quod verum est, male illos nostram sententiam esse interpretatos; quasi probabilitatem in totum velimus abdicare, & euidentiam vbique expetamus, quod impossibile fatemur esse, sed non minus etiam alienum est à nostrâ mente. Si vero contendant (quod vix credo) impossibile esse & nimis durum è duabus paris aut disparis proba-

bilitatis opinionibus, eam quæ ſtat pro lege inueſtigare, illique vni adhærere relictâ alterâ quæ fauet libertati & voluptati, huiuſmodi recentiorum conſecutionem, aut cenſuras nihil moramur, quia re vera nec neceſſariæ ſunt, nec iuſtæ.

Sed Fagnanus, inquit Caramuel, num. 21. per 17. Columnas refert *Ianſeniſtarum Doctorum Louanienſium, Epiſcoporum Belgij, Parrochorum Pariſienſium, & aliorum qui in Maſcarenham & Caramuelem ſcripſerunt, eoque deuenit illorum delirium, vt aſſeruerint non debere ſequi confeſſarium opinionem pœnitentis.* Quâ vero ratione probas in hoc eos Ianſeniſare, & delirare? *quia*, inquis, *pœnitens ſicut non intelligit mente confeſſarij, ſed ſua; ſic nec peccat voluntate confeſſarij, ſed ſuâ.* Hic plane Dialecticam Caramuelis deſidero, & quámlibet contendam, intelligere nequeo, qua forma ſyllogiſmi poſſit Ianſeniſmum & delirium deducere; fatemur quod aſſumit *pœnitentem ſuâ voluntate non confeſſarij peccare:* Ergo reſipiſcere debet ſuâ opinione non confeſſarij, ergo delirus eſt, quiſquis hoc negauerit. Sane non magis harum conſecutionum vim capio, quam ſi quis dicat, ſuo vitio intemperans grauitet ægrotat, ergo ſuâ non Medici arte curandus eſt; quis illud delirium admittat? Ergo perperam deliri habemur, ſi confeſſarium Medici officio in pœnitentem fungi velimus, & ægrum, illius non ſua opinione, ſuiſque regulis, ad meliorem frugem reuocandum.

Sed infeliciter ſe argumento pugnaſſe ratus Caramuel, certamen inſtaurat duplici exemplo: primum arripit à puero lapſo in peccatum mollitiei ex ignorantiâ inuincibili: quid facto opus illi eſſe putas, ſi confeſſarium adeat, & hanc ignorantiam inuincibilem atque ex illâ lapſum caſu & aliud agendo aperiat? Coget-ne confeſſarius vt illius facti turpis reum ſe agnoſcat, & exomologeſim faciat? Si id exigat, alterum duorum & forte vtrumque incurret, inducet primùm confeſſionem falſam, mendacem, & ſubinde ſacrilegam, aut cum Ianſenio negabit ignorantiam inuincibilem puerum à peccato excuſare. Sed non facile aſſentior huiuſmodi conſecutionibus. Quidquid ſit de Curatorum reſponſione negantium ex Auguſtino ignorantiam inuincibilem excuſare eum qui actum reuera malum, atque hoc nomine lege prohibitum quod malus ſit,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [194] - 114
PUBLIC DOMAIN

admisit, licet malum esse ignoraret ; ego sane non facile admittam puerum laborare ignorantiâ inuincibili, idque argumento mihi est euidenti non esse insontem, & ad minus tanquam dubij peccati confessionem necessariam esse, quod illum pudeat adeo turpis facti, & dum illud cogitat & molitur, virorum grauium conspectum fugiat. Alio exemplo probare vult nostrum delirium, idque repetit à furto rei sacræ vel in loco sacro. Duo huic actui numero distincta peccata, vnum furti, alterum sacrilegij inesse contendunt Scotistæ, Thomistæ negant, & volunt vnum, quod duobus sit par admitti, ex quâ (inquit Caramuel) opinione statuetur de pœnitente, an vnius vel duorum peccatorum reus sit, & quas pœnas dabit ? Aranearum telæ sunt huiusmodi subtilitates : ad Scholas pertinent, non ad Tribunal conscientiæ, & emendationem pœnitentis : cui perinde est vel duo distincta peccata, ex Scoti sententia confiteri & condignis pœnis eluere, aut vnum quod duobus paris sit malitiæ ex Diui Thomæ Schola. Neque satisfaceret pœnitens, si se furti aut sacrilegij solum & diuisim reum fateretur & doleret : oportet ea jungere : an vero sic juncta peccata, duas numero distinctas malitias conficiant, an vero vnam, quæ duas æquet, ad exercitationem ingeniorum magis pertinet quæstio, quam ad animorum remedia. Soleo peccatum conferre tempori, quod vtriusque natura occultissima sit, & subtilissimos quosque lateat, vsus vero frequentissimus sit & notissimus. Omnes norunt tempus terere, fallere &c. Definire vero vix Philosophus & Augustinus possunt. Ita dico, *Delicta quis intelligit* ? & tamen per ignorantiam nobis singulis momentis imponunt & obrepunt, eaque per omnes sensus quasi aquam ebibimus & quasi aërem haurimus. Quis excusationem male impensi à seruo temporis legitimam censeret, si causaretur se sine culpâ jacturam temporis per otium & ignauiam fecisse, quod nesciret quid sit tempus, an quantitas discreta, vel continua, an accidens rebus additum, an rerum essentia, qualem comminiscitur Gassendi esse tempus & locum, abstractam ab omnibus coæuam Deo, quamuis hic Author post illa deliræ mentis insomnia, à multis vt quidam Philosophiæ Deus habeatur. Sed ad rem, sane non melior est excusatione serui hæc Caramuelis objectio, ex Thomistarum & Scotistarum de furti

sacrilegi malitiâ distinctione; an vna sit, aut multiplex: nec magis necessaria est ad Sacramenti administrationem pœnitenti aut confessario, quam seruo ad excusandum pensum diarium, sit vtile ignorantiam definitionis temporis ex Aristotele & Augustino obtendere. Et si omnes huius generis aut momenti quæstiones essent, quæ ad tribunal conscientiæ pertinent; Author essem Confessario ac pœnitenti, ne vnquam contenderent, sed vnus alteri primus ambiret assentiri. Quam attigi temporis & peccati comparatio, soluit alteram quæstionem satis grauem Caramuel nu. 4. ad Notas, Iansenianam inclamat esse censuram illius propositionis, *Nullam esse actionem peccaminosam, nisi Author illius videat bona ne'sit an mala.* Ego sane ad peccati noxam fugiendam aut incurrendam non aliud puto genus cognitionis necessarium, quam quod diximus satis esse ad tempus studiose aut per socordiam transigendum: atqui stolidissimus quisque agnoscit tempus esse aliquid quanti & extensi, dieinque horâ esse productiorem, atque hinc facile est percipere diei quam vnius horæ jacturam, grauius futurum sibi aut suo Domino damnum: ita vix vllum hominum latet, quod meditatur furtum, mendacium, aut quodlibet aliud perperàm factum, dictumque, aliquod mali genus esse, cuius illum pœniteat, quod nolit sibi fieri ab aliis; huius vero notitiæ minus distinctæ sensus, si cui hominum desit, monstri loco magis, quàm hominum numero reponendus est: eam vero requiri ad peccatum, non puto vllum Ianseniſtarum negaturum, nec Caramuelem dubitaturum, quin ad peccati vniuersim & ad venialis ac mortalis reatum sufficiat: vt exemplo allato temporis breuioris aut longioris à seruo malè expensi contra imperium Domini monstratum est. Neque ista exactius aut longius disputanda sunt, cùm remota sint à nostro instituto, & agatur de cognitionis gradu mimino, quem pingui Minerua tractare conuenit.

Diceres Caramuelem icterio laborantibus similem: & sicut hoc morbo ægris, vbique sufflauus color quo offusos habent oculos obuersatur; ita Caramuel à viginti annis, ex quo classicum cecinit in Iansenium, vbique Iansenismum videt. Iansenista illi est quisquis abnuerit Confessarium posse à pœnitentis opinione probabili dissentire; & aliquam è suis secuto absolutionem negare: & hanc verita-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [196] - 116
PUBLIC DOMAIN

tem ita apertam esse clamat, vt promittat se præbiturum manibuspalpandam. Qua vero cõsecutione aut argumentatione Logicæ id confecerit? Certe non aliâ, quam nouâ à se constituta, sicut nouam dicit Theologiam Moralem, Augustino ignotam apud Dianam, & ipsum extare.

Eiusdem formæ sunt, & ad eandem regulam confecta argumenta in Archiepiscopos Mechlinienſem, Gandauenſem, in Theologos Louanienſes, Curatos Parisienſes, quos omnes Ianseniſtas inclamat, & eandem notam inurit D. Fagnano, quod per plures columnas & paginas illorum censuras retulerit, contra securitatem cuiuslibet probabilitatis etiam contra legem & honestum, pro voluptate & libertate stantis. Sic enim Ianseniſmi putat se conuincere; vel illa quæ refert ex superioribus ad rem faciunt, vel sunt extra thesim. Si hoc vltimum asseras, somniauit D. Fagnanus. Nam ex Homero id demum *somniare est proferre quæ nihil ad rem spectent*; si vt hoc vituperium cuites, confugias ad alteram partem, merum Ianseniſmum profitetur D. Fagnanus, quia ex illo prodierunt omnes censuræ: nam Episcopus Mechlinienſis Ianseniſtarum Choriphæus distulit promulgationẽ Bullæ Pontificiæ in Ianſenium: & huius dilationis causas libro edito euulgauit, idemque scripsit ad Cardinales Romanæ Inquisitionis Epistolam atrocem contra laxiorem probabilitatis vsum; Ergo sicut priore scripto Ianseniſta fuit, ita & posteriore. Quæ consecutio? quasi dogmatica Theologia, ad quam pertinebat Augustinus Ianſenij, non differat toto genere à Theologia fundamentali Caramuelis & Morali: quasi nequeat esse incorruptæ fidei, quisquis illi fuerit suspectus erroris; quid si Archiepiscopus ille idem obtenderet jus Belgicæ Ecclesiæ, quod Archiepiscopus Tolosanus, doctissimus Petrus de Marca Ianseniſtarum hostis infensissimus, Gallicanæ Ecclesiæ asserit suis posthumis libris, decreta Pontificia non valere, nisi Synodi Nationalis consensu confirmata? Quod absit vt credam de illo, sed eò spectat quod retuli, posse ad tempus suspendi aut differri huiusmodi decreta, ab ijs qui nihil cum Ianſenio commune habent.

Centies cogimur eadem repetere cum fastidio & cruce Lectoris; quia millies eadem repetit Caramuel; & ne illum imitemur, atque in id vitij incurramus, quod de Ar-

chiepiſcopſo Mechlinienſi diximus, & de Louanienſibus Theologis dicturi ſumus, valet de Epiſcopo Gandauenſi. Sed addit argumentum quod illi inuictum eſt, vel propoſitio negans ſecuritatem cuilibet opinioni probabili ſtanti pro libertate contra legem eſt euidenter vera, & ſi ita ſit, cedo demonſtrationem; ſi probabilis, ergo verum eſt quod obtendimus, quamlibet opinionem probabilem tutam eſſe: quam debile argumentum! certe indignum eſt tanto athleta. Reſpondeo propoſitionem euidenter veram eſſe & à poſteriori iam demonſtratam, quia niſi conſtet illi veritas, perit omnis Religio & virtus: A priori etiam demonſtrabimus eſſe veram, & plura addemus; & quamuis eſſet tantum probabilis, euidenter falſum eſt quod infertur, quia ſecuritas toto genere differt à probabilitate, & ineſt tantum opinioni quæ ſtat pro lege, honeſto, & ſalute. Periculum vero peccati & formido, non ſolum obiectiua ſed etiam formalis, nequit tolli ab opinione quæ ſtat pro voluptate & commodo, pro qua Caramuel decertat.

Doctorum Louanienſium & Curatorum decreta in opiniones laxatiores lata eodem nomine reijcit, quod hæretica ſint & Ianſeniana. Verùm aperta & atrox eſt calumnia: nam præter quod Curati Pariſienſes qui in vos ſcripſerunt, nihil habent commune cum Ianſenio, & cum Louanienſibus, humillime & ex animo ſubiecerunt ſe Conſtitutionibus Pontificiis in Ianſenium latis. Aliud eſt quod illos omnes purgat ab hac iniectâ per ſummam iniuriam labe. Ante Conſtitutiones Pontificias, ipſomet Vrbani VIII. Pontificatu Academiæ Louanienſis & Epiſcoporum Belgij nomine, miſſus eſt Romam Dominus Sinnichius, (de quo plura ſuperiori diſſertatione) redditurus rationem communis omnium de gratia doctrinæ; & duobus annis Romæ commoratus aduerſarios prouocauit ad pugnam, demonſtrandumque in ſe recepit, quæ ipſe, aliique omnes, quorum nomine venerat, de gratiâ ſentirent traditâ ab Auguſtino, Proſpero, Fulgentio, & propugnatâ, aduerſus Pelagianos & Semipelagianos: ſed quod de Hilario prouocante Arrianos ad diſputationem coràm Imperatore narrat Sulpicius, ferunt D. Sinnichio accidiſſe, recuſato à Pontifice examine, quod nihil de Louanienſium fide dubitaret, vel ab aduerſariis detrectata pugna, quod forte

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [198] - 118
PUBLIC DOMAIN

viri eruditionem timerent, honestissime in Belgium remissus est. Et post ista quæ nequit ignorare Caramuel, non cessat Censoribus suis Louanienſibus Doctoribus, & Curatis Parisiensibus, heresim improperare, eiusdemque criminis conscium facere D. Fagnanum, quod illorum censuras in nimium probabilitatum vsum suis scriptis inseruerit; quasi quinque propositionibus ex Ianſenio damnatis nitantur; & velint imputari ad culpam actus ex ignorantiâ inuincibili aut impotentiâ insuperabili profectos, quales sunt blasphemiæ quæ excidunt homini suo vitio in ebrietatem prolapso, aut officium per multos dies prætermissum ab illo qui Breuiarium in mare proiecit, vt se hoc quotidiano penso liberaret; quod denique eam assertionem vocent falsam & castis auribus horribilem, quæ hominem eximit à ieiunij lege qui vires libidinibus exhausit, vt se à ieiunij labore liberaret.

Sed hoc aliud nihil est, quam calumniam calumniâ cumulare: & eâ obiectione dupliciter peccat aduersarius; iniicit primum quæstiones prorsus inutiles ad controuersiam, & vt censoribus suarum laxitatum creet inuidiam, dissimulat quid sentiant eius amici Sanctius & Diana, quo vno continetur turpitudo castis auribus horribilis. Certè quisquis disputationum cursum remoratur, & implicat quæstionibus inutilibus, litigandi, non verum quærendi studium præ se fert, & causæ diffidit. Quid enim ad rem nostram pertinet, disputare an cum homo sanus & liber, qui viderit à se omittendos actus bonos, malosque eliciendos, cum sui compos esse desierit, illi actus, vt dicitur liberi in causa, imposterum quo tempore prorumpunt ex homine ebrio, vel impotente, imputentur, quasi noua peccata, aut vnum, censeantur conficere paris malitiæ cum pluribus diuisim, aut collectim sumptis? hæc quæstio nihil ad rem magis pertinet, quam superior de furti sacrilegi vnâ aut multiplici malitiâ.

Æquitatem vero in Caramuele desidero, cui non sit religioni reorum culpam in insontes deriuare. Traducit curatos Parisienses, & Theologos Louanienses quasi hæreticos, quod hominem libidinibus aut venatione fatigatum, minus quam viatores & ægros à ieiunio eximi non patiantur, ac subir de peccati damnent, quoscũque actus ex impotentiâ ineuitabili consecutos, velintque peccare, non solum

contra castitatis, sed etiam abstinentiæ præceptum, qui ex scortatione, aut venatione, sicut ex necessariâ peregrinatione defatigatus non ieiunat. Sed vt monui malâ fide agit, atque vt tragœdias in hos excitet, dissimulat quæ ex Sanctio apud Dianam memini me legisse: si cui molestum fuerit quadragesimale ieiunium, potest hac arte innoxiâ apud illos, hunc laborem effugere; nempe si animo hac ieiunij molestiâ leuandi se, quis statuat, singulis diebus ire venatum, si eâ exercitatione, seu pedes seu eques non minus fatigetur quàm itinere necessario, liber est à lege ieiunij, neque in illam peccat: idem dicendum est, si hanc defatigationem eligat ex scortatione captare, & tunc peccaturum contra castitatem, non contra ieiunium. Sed nonne illuditur illi præcepto? minime inquit ex Sanctio Diana: Cur ita? Audi, Lector miram subtilitatem ex officina probabilitatum depromptam: Quodcunque fugis, non illudis præcepto, nisi cum te iam implicatum detinet; secus vero si adhuc suspensum imminet capiti, quod subducis, ne in te cadat: atque ita est, inquiunt, de lege ieiunij, neque enim implicitum te habet totâ die, sed in te casura est tantum hora duodecima ad meridiem, nisi aliquod impedimentum apponas, quod te à ieiunio eximat, qualis est defatigatio ex quacunque causâ, siue ex venatione, siue ex scortatione, dummodò non minus vires absumat, quam operarij, & itinerantes labore quotidiano. Hanc assertionem fraudi fuit Curatis Parisiensibus, & Theologis Louaniensibus, falsam & castis auribus horribilem vocasse: inde enim audiunt Iansenistæ, & hinc concludit quatuor demonstrationibus Caramuel, eos esse hæreticos: sed malum! singulis Thesim pro argumento assumit; primæ medium est: nostra inquit propositio est Catholica, altera Ianseniana; item alterius medium est: nostra doctrina certè vera, tua est certissime falsa; tertiæ demonstrationis vis est, nostram doctrinam esse nouam, suam antiquam & coæuam mundo; quartam demonstrationem addit numero 77. probabilem suam opinionem esse veram, quia ita omnino se habet, ac si esset vera: quo sensu imago non distinguitur à prototypo, corpus à figura: en viri doctissimi leuissima argumenta, quibus tamen rem demonstratam & confectam putat.

Abstineo à referendis reliquis quæ habet à pagina 24.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [200] - 120
PUBLIC DOMAIN

vsque ad pag. 32. vt illius pudori & famæ parcam; nam præter quod omnia millies sunt repetita, nullum est argumentum quod non laboret apertâ petitione principij: qualia sunt quatuor iam relata. Addit etiam nonnulla parum seria, ne quid grauius dicam, nec admodum digna se, aut illo in quem scribit; qualis est querimonia de nouatoris nomine imposito aduersariis; nam ipsemet D. Fagnanus hanc obiectionem occupauit; neque enim pleno ore nouatores appellauit, quod in hæreticos exerte prolatum cadit; sed sublatâ, aut mitigatâ inuidiâ vocis, Nouatores probabilitatum: neque enim patitur vir prudentissimus aliquod sibi asperius verbum excidere, quod præter studium veritatis, non corrigat aliquo modestiæ & humanitatis lenocinio, vt non debuerit Caramuel ludere in illum pluribus exemplis ex ethymologiâ nominum intempestiue allatis, nec improperare ignorantiam Theologiæ, aut carpere quæ facilius fuerat bono sensu interpretari: si rudis Theologiæ audiat D. Fagnanus, quod Christum dixerit incarnatum, eadem Athanasio inurenda est nota (vt cæteros Patres omittam) qui suo symbolo Incarnationem Christi omnibus credendam ad salutem docet.

Sed horum omnium videtur pœnitere Caramuelem, qui ad finem notarum in primam Epistolam vt asperius dicta deliniat, & aliqua suauitate perspergat, excurrit in laudes Alexandri VII. quas non dubitem, quin minus gratas sit habiturus, quam si moderatiùs egisset in virum, quem tot beneuolentiæ argumentis, toti orbi & futuris sæculis fecit celebrem, plura additurus illi ornamenta, nisi orbitas fuisset impedimento ad maiora.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Animaduersiones in secundam Epistolam Caramuelis.

NON habet D. Caramuel de nobis conquerendi causam, quod superiori Epistolâ in Fagnanum eiusque sententiam dicta videamur paulo iniquius iudicasse inutilia, quasi ad rem nihil facerent: nam ipsemet multo seuerius de suo scripto pronuntiat, cum primis secundæ Epistolæ verbis agnoscit, prima *se quæstionem grauissimam*

non attigisse, sed pollicitum se eam tractaturum: ad quid igitur iterata Iansenismi accusatio, & ad illam confirmandam tot recentiorum testimonia, si hactenus nihil dictum de quæstione, sed tantum promissa illius tractatio? Ita esse iubens agnosco; quia licet plura per triginta paginas congesta sint, nihil tamen ad rem pertinebant. Nunc cautiùs & accuratiùs sibi agendum putat, & primùm statuendam veritatem de ipsa probabilitatis ratione; vt ad illam quasi ad certam regulam expendatur, quid bene, quid secus scripserit D. Fagnanus, & quid eum sentire oportuerit; neque enim horum quidquam, nec quo ab aliis differat, nec quid impugnet, sciri potest, nisi doctrina præmittatur, quam communem quoad substantiam asserit. Sed non facile concedam conceptum probabilitatis ab illo nouem Theorematibus explicatum, esse genuinum & communem omnibus: imo hinc omnium discordiarum origo repetitur, quod malè rem dubiam à probabili distinguat, hoc discrimine gratis conficto, *rem dubiam leui ratione, probabilem vero graui argumento, vel authoritate niti.*

Theoremate primo duo rerum genera distinguit, quædam sunt per se notæ nobis, vel ad sensum, vel ex ipso nominis significatu: aliæ vero, de quibus est tota controuersia, occultiores sunt, & nobis ignotæ prorsus, nisi mediis quibusdam ad illarum notitiam deducamur: vel ergo nullum ad id suppetit medium, vel leue, vel graue non conuincens, sed inclinans ad assensum, vel euidens & demonstratiuum, si hoc postremum adsit, parit certam & euidentem rei notitiam: si nullum vel leue argumentum suppetat (quod Caramueli idem est) rem vocat negatiue, & positiue dubiam; ego dicerem rem omnino ignotam, si omne medium desit, si leue occurrat, dubitationi, aut suspicioni patere. Si grauis suppetat ratio quæcunque tandem sit, seu nullas, seu plures habeat etiam grauiores quibus impugnetur rationes, vocat probabilem; & hanc conqueritur à D. Fagnago confundi cum re dubiâ, & vult hoc nomine distingui, quod *probabilis opinio ad conscientiæ securitatem sufficiat, minime vero dubia.* Sed præfatione ad has dissertationes morales probatum est, & pluribus infra demonstrabitur, rem tum maxime dubiam, cum vtrinque grauissimis & paribus rationum momentis ani-

mus libratur. Huic tamen differentiæ omnino falsæ & periculosæ, adstruit tertium consectarium, omni opinioni probabili subesse ignorantiam inuincibilem; qua assertione euertuntur omnia religionis & probitatis fundamenta, vt supra insinuatum est, & res adeo aperta est, vt vix egeat probatione: nam ignorantiam inuincibilem secundo Theoremate definit, eam esse *quæ sit naturalis & necessaria, & quam pro loco & tempore nequeas superare, licet alio potuisset curari:* ex hoc igitur secundo & tertio Theoremate deducitur liber cujuslibet religionis, sectæ, & opinionis delectus. Citra vllum peccati aut salutis periculum; quia nulli sectæ aut religioni deest sua, sicut & cuilibet stulto verisimilis ratio quæ probabilitatem apud ipsos inducat, ac proinde ignorantiam inuincibilem, quæ nequeant tolli, nisi per euidentiam: hæc enim vna potest probabilitatem abigere: frustra vero euidentiam rerum in hoc caliginoso loco consequi speres aut tentes; ergo adhærendum probabilibus, quas ignorantia inuincibilis consequitur, & illam, securitas & immunitas ab omni peccato, cuicunque tandem duarum probabilium opinionum adhæseris. Hanc securitatem primis quinque Theorematibus stabilitam confirmat quatuor reliquis. Sexto, formidinem cuilibet opinioni probabili ingenitam definit erroris timorem, sed paradoxo inaudito, vult subesse objecto opinabili, & longe facessere ab actu, de quo fusius sectione sequenti demonstraturi sumus latere recentiorum Hæreticorum spiritum, quem vocant priuatum, id est omnium hæresum officinam.

Theoremate septimo, opinionum probabilium varios distinguit gradus ad pompam magis quam ad veritatem: quamlibet enim dispares sint, omnes tamen vult æqualis esse securitatis, quod suæ Theologiæ moralis vnicum fundamentum, nullis argumentis probat, contentus vnico illustrare exemplo monetæ, quæ sine sit iusti ponderis, seu paululum deficiat, dummodo imaginem aut sigillum Principis præferat, ex lege fisci in foro & in nundinis paris est apud mercatores pretij, cum ijs quibus nihil desit. Ita (inquit) de probabilitate statuendum, quamlibet intra eosdem fines probabilitatis differant, satis est, vt prudentiæ sigillo insigniantur, & æque bonæ censeantur ad gloriam æternam comparandam.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [203] - 123
PUBLIC DOMAIN

Ista dici & quasi totius vitæ humanæ & Christianæ fundamenta adstrui, miror planè & obstupesco, nullâ aliâ ratione confirmata, nisi exemplo monetæ, quo res ipsa euerti magis debeat quàm stabiliri possit: volo in numerandis pecuniis aliquo loco esse sigillum Principis apud trapesitas & mercatores: sed materiæ & ponderis nullam rationem haberi, & quamlibet dispares sint gradibus, lege fisci debere omnes censeri, & vltro, citroque commeare, quasi paris pretij & valoris; hoc nusquam factum, & iniquissimum est, nec ab vllo quod sciam tentatum, nec in mentem nisi alicuius tyranni venire potest. Id tamen audent Caramuel, & aliquot eiusdem consilij participes Theologi, inducere in commercium omnium opulentissimum, & juxta periculosissimum, quo æternitas contingit nobis aut perit.

Cum de re pecuniariâ agitur, si pretiũ sit soluendum vno vel altero nummo, pluries ad lancem appenditur, & si vel minimâ parte vnius grani leuior sit, vix admittitur, nisi aliunde solutioni tantumdem addatur quantum nummo defuerit. Sed has omnes leges vult Caramuel submoueri à commercio salutis & virtutis, eodemque genere & ordine contineri res de quibus opinamur, quamuis opiniones quæ consulunt saluti & honesto (quales sunt plures à nobis supra relatæ ex Augustino de mendacio & juramento) longius distent ab opinionibus quæ stant pro voluptate & commodo, quam aurum ab ære & plumbo; vult tamen Caramuel (si superis placet & quasi Dei legatus imperat eius nomine) omnes probabiles opiniones pares reputari, ad gloriam æternam comparandam. Tantæ rei, adeoque momentosæ, quæ totum ambiat rerum moralium ad salutem spectantium ordinem, temeritatis arguemur, & neglectæ nostræ salutis, si fidem habeamus, nisi cogant argumenta inuicta, aut si illa desint, adhibeat Caramuel miracula paria, ijs quibus confirmata est ab Apostolis prædicatio Euangelij. Sed horum omnium loco est monetæ exemplum, & probabilitatis prudentiæ sigillo munitæ comparatio cum Principis imagine æri insculpta.

Licet non dubitem (erudite Lector) eorum quæ retulimus te admiratione defigi, quod res æternitatis & immensum illud gloriæ pondus adeo minutis ratiunculis franganur; velim tamen paululum stuporem submoueas, vt des locum rei magis stupẽdæ octauo Theoremate, quo opinio-

nem tutiorem definit eam esse, *quæ omnino, aut magis, remota est à periculo erroris aut peccati.* Securitatem rerum fidei contra errores & hæresim, vel morum contra peccatum, dum videtur constituere, ipsi fidei & innocentiæ apertam perniciem importat. Imprimis ad fidem tantum pertinent quæ à Deo reuelata sunt: quæ vero ex reuelatis probabiliter deducuntur, alterius sunt subsellij nedum infra fidem posita, sed etiam infra Theologiam, quia scientia est quæ necessaria ex principijs fidei deducit: proinde ad infimam rerum diuinarum classem pertinent probabilia, adeoque remota à fidei obsequio, vt liberum sit quidquid libuerit de illis in alterutram partem sentire. Quid ergo commune habet opinio cum fide? Adeo tamen probabilitates deperit Caramuel, vt prouehere nitatur ad fidei subsellium. Deinde inducit credendarum rerum fidei miram methodum: vult doctissimos quosque Carbonarium imitari, quem dæmon admotis in eius fidem validissimis machinis, nunquam potuit ab hoc præsidio ad disputationem, id est ad fidei ruinam deducere. Quid credis, inquit dæmon? hoc ipsum quod Ecclesia: quæ vero Ecclesiæ fides est? Eadem cum mea: nec aliud ab homine magis tenaci quam perito rerum fidei potuit dæmon extorquere. Ita Caramuel videtur velle, nos omnes esse comparatos, vt nihil distincte credamus, nisi fide alienâ Ecclesiæ. Sic enim arguo, dum vis nos tutiorem partem sectari, assensu quasi cæco cum Ecclesia, vel id statuis de substantiâ vt sit loquar mysteriorum Trinitatis, Eucharistiæ &c. vel de rebus nulla necessaria, sed tantum probabili cum reuelatis consecutione conjunctis: si primum asseras, ergo nullius mysterij fidem certam & distinctam vis nos habere: quod sine dubio hæresi non caret; cuius tamen fugiendæ causâ has regulas opinionis tutæ confingis: si vero de probabilibus tantum agas, frustra à nobis exigis fidem diuinam; quam nec Ecclesia habet, nec suis filiis præcipit: si aliud sentias, velim à te doceri, quo loco, vbinam gentium, penès quos resideat illa distincta fides rerum probabilium, ad quam me jubes confugere? Certe nisi cum Caluinistis comminiscaris aliquam Ecclesiam inaspectabilem, non video quo possis loco constituere illam fidem probabilium distinctam, ad quam cœco assensu saluus fiam ab erroris periculo. Sed hæc de opinionibus ad res fidei spectantibus

libera aut ſecura probabilitas minus periculoſa eſt, quàm quod ſtatuis de alio opinionum genere ad mores pertinentium, nouo & inaudito paradoxo pluribus infra refutando, tutiores opiniones eſſe (id eſt à peccati periculo remotiores) quæ ſtant contra legem pro libertate, quales ſunt plurimæ ſupra ex Tamburino relatæ, & illa præ cæteris quæ nullius peccati etiam venialis te reum facit, ſi per totam vitam ſtatueris recitare officium mente ſemper vagâ, & ad quæcunque alia, quàm ad Deum quem rogas attentâ. Has opiniones *maſculas & virgines* vocas, quia ita nos à peccato ſemouent & purgant, vt ſacrilegium committat, qui in eâ eſt opinione, ſi toto vitæ decurſu precibus quibuſcunque ad Deum fuſis, animo aliud quodlibet cogitante, vel minimi peccati ſe apud Confeſſarium accuſet. Mira probabilium opinionum ſecuritas! plura in hanc rem forte dicturus, duo tantum, quæ ſatis ſint ad breuem & validam epiſtolæ confutationem addo; primum mihi hanc ſecuritatem periculoſiorem videri, quam vt illi meam ſalutem credam, aliiſque author ſim vt credant: deinde incredibilem illam in noſtros affectus contra legis probabilia ſaltem iura indulgentiam, ita cupiditates accendere & efferare, vt certiſſima legis iura inuadant, vbi nullam probabilium rationem habere in morem induxeris. Ergo nihil periculoſius illis benignis opinionibus, quas fomenta, lænocinia iræ, vindictæ, & prauorum affectuum dixeris, magis quam remedia; ideo à Sanctis Patribus dictum, difficilius longe irâ commotum non peccare, quàm iræ viam præcludere, neminem poſſe ab illicitis abſtinere, niſi aſſueſcat etiam à licitis ſe ſe cohibere. Sed multo verius certo legem ſenſu ab illo violatum iri, qui probabilem nullo loco habeat: & lite inter legem voluptatemque mota, in gratiam iſtius rejectâ lege pronuntiaturum.

Theorema nonum & vltimum octo ſuperioribus longius, ſex paginas implet, nempe vt duo probabilitatum genera conſtituat, vnam à ratione intrinſecam, alteram ab authore, qui primus opinionem inuexit repetitam. Tantæ molis eſt, has duas veluti columnas & baſes probabilitatum palatio ſubſternere; vt deſinat in poſterum Caramuel nos laceſſere, quaſi impoſſibilia præcipiamus, dum iubemus ſententiæ quæ pro lege ſtat aſſentiri: quandoquidem grauioribus ſe vrgeri difficultatibus in notione conſtituen-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [206] - 126
PUBLIC DOMAIN

dâ authenticæ & rationabilis probabilitatis teſtatur; quam nos in opinione probabiliori pro lege ſtante inquirendâ & conſequendâ. Nihil mirum ſi ita contra has difficultates obluctetur, cum videat ſe Religioni & Fidei certam aſciſſcere ruinam, conſtitutâ illâ regulâ opinionis tuto probabilis, ab authoritate graui. Sed quaſi anguem latentem pede preſſerit, videtur reſilire, & ad remedium vulneris inflicti addit, probabilitatem extrinſecam non conſiſtere in authorum nominibus, etſi ſint plurima & grauia; *demonſtratur*, inquit, *quoniam hæreſis Lutherana, verbi gratia multos Theologos & libros habet, & tamen probabilis non eſt: rationem addit; quia contra certitudinem non datur probabilitas*, & Lutheranam hæreſim eſſe falſam certum eſt, poſtquam damnata eſt Eccleſiæ Decreto, cui debent omnes etiam hæretici parere. Sed reponet Luteranus aliquis, tantum abeſſe, vt hæc reſponſio demonſtrationis vim habeat, ad fidem ſtabiliendam, quin potius aperta ſit petitio principij, aut euerſio tuorum principiorum. Sic enim vrgeo, argumento quod vocant ad hominem. Opinio probabilis à dubiâ diſtinguitur hoc diſcrimine quaſi eſſentiali à te conſtituto, quod dubia nitatur ratione leui, probabilis graues habeat, quibus ſe tutetur, & aduerſam opinionem impetat; atqui Luteranis, Caluiniſtis, & omnibus denique Philoſophis ac ſectariis, non deſunt nomina & momenta rationum multo apud ipſos grauiora, quam Caramuel velit nobis Dianam eſſe. Ergo habent opinionem probabilem ſuorum errorum, ac ſubinde ignorantiam inuincibilem, quæ illos ab omni peccato excuſet. Hanc difficultatem præſentit Caramuel, & vt elabatur potius quam illam infringat, Theorema nonum ita expreſſit, *opinio probabilis ab extrinſeco dicitur, qua habet authoritatẽ ſufficientem*, quare non dixit grauem? nempe vt ſibi poſticum ſeruaret ad fugam, ſed reuera elabi non poteſt & vt cum Virgilio loquar, *nec quidquam patrias tentauit lubricus artes*: Neque enim poteſt definitionem negare opinionis probabilis, nempe eſſe aſſenſum mentis ex graui ratione & authoritate, de re cuius euidenti notitiâ caret. Atqui euidentiam pauciſſimi, & forte nulli habent, creationis mundi, immortalitatis animæ & cætera. Nec deſunt viri Doctiſſimi qui iſta negent & difficillimis argumentis inſtent; ergo ex Caramuele liberum erit opinari

probabiliter in vtramque partem.

Respondet probabilitatem extrinsecam non esse positam in plurimis & grauibus nominibus, contra certitudinem ex decreto Ecclesiæ; sed hæc responsio nec Luteranis, nec nobis absolute satisfacit: & certe vel nulla est, vel mala est definitio opinionis probabilis: nec valet quod addit, contra certitudinem non dari probabilitatem. Quod vnicum illi supereſt effugium: sed inde facile depellitur: quæro enim quodnam sit illa, *certitudo quæ expellit probabilitatem*, si nascatur ex euidenti demonstratione, agnosco non pati probabilitatem; sed dent aliam certitudinem quæ non patiatur aliquam aduersæ partis probabilitatem.

Respondet eam esse quæ nitatur reuelatione diuina, quali (inquit) Deus dignatus est S. Brigitam cum certiorem fecit de Conceptione immaculata, & D. Theresiam de mysterio Trinitatis, eâ vero positâ, non potuit Beata Brigitta non assentiri Conceptioni immaculatæ, etiamsi milleni Theologi obsisterent, quia cognitâ in reuelatione veritate, abscedit omnis formido, succedit certitudo, depulsâ probabilitate: *Ita etiam*, inquit, *non licuit Diuæ Theresiæ post manifestatum mysterium Trinitatis probabiliter assentiri Scoto asserenti spiritum sanctum fore distinctum à Verbo, si ab illo non procederet.* Sed hæc responsio vndequaque rimas agit, & cum ad rem deessent exempla, hæc duo comminiscitur de B. Brigittâ & D. Theresiâ, quibus in altissimam contemplationem abreptis manifestata certo dicit quæ nihil ad fidem, sed ad Scholæ quæstiones pertineant; & si hujus quæstionis de Processione Spiritus sancti solutionem aperuisset sanctissimæ Matri, verisimilius est illius veritatis suos filios participes facturam, aut aliquo suorum librorum loco Lectoribus insinuaturam.

Sed istis non immoror, ne videantur meliora argumenta deesse. Mira sane est Caramuelis liberalitas in Brigittam & Theresiam, vt reuelationem illis priuatim factam velit Catholicæ vim & authoritatem habere; & quidquid inter orandum à Deo sibi dictum putabant fide certâ & diuinâ credere. Sed quid fiet D. Catharinæ cui, authore Raymundo à Capuâ in extasim raptæ, aliud omnino reuelatum est? Scio disputari apud Theologos an priuatâ reuelatione

relatione possit non minus quam publicâ Ecclesiæ, fides diuina comparari; sed à nullo antequam Caramuelem legissem, audiui dictum, priuatas reuelationes D. Brigittæ, aut cujuslibet Sancti esse indubitatæ fidei, & millenos Theologos nihil curare quidquid contra sentiant: non ita sane Diua Theresia, & Sanctorum reliqui, quibus secreta cœlestia priuatim reuelata sunt, quin potius dubij & trepidi humillime subijciunt Theologorum censuræ quidquid à Deo credunt se excepisse.

Sed his etiam omissis fortius agamus alio argumento ad hominem. Huiusmodi reuelationes, seu priuatæ seu publicæ diuinarum rerum medij rationem habere necesse est; sed quo loco repones? Nam tria genera distinxisti, mediorum, quibus rerum veritas comprobatur, leue quo dubia cognitio creatur; graue quo opinio nititur; & demonstratio euidens vnde existit certa & indubitata scientia. Ad quodnam mediorum genus reuocas has reuelationes? non ad primum; alias omnia fidei mysteria nutarent: non ad tertium; nisi velis fidem esse scientiam & euidentem rerum cognitionem: ergo secundo loco reponenda est, mediorum quæ probabilem tantum faciunt cognitionem: atqui ex tuo Theoremate 2. omnis cognitio ineuidens adjunctam habet ignorantiam inuincibilem, eaque non deest ijs, qui sequuntur viros quos putant sapientes & doctos; ergo si probabilitas, securitas ex se fit, quilibet immori tuto potest religioni & sectæ quâ primum imbutus fuit. Atque ita immerito ad finem primæ Epistolæ, & alibi, objicis nos Ethnicis, Mahometanis, Hæreticis ad Ecclesiæ arcem viam occludere: quis enim nostrum iter apertius munit ad fidem? An vos, qui securitatem salutis omnibus asseritis, quibus probabilitas aliqua affulserit? An nos qui ex opinionibus vtrinque probabilibus eam eligendam contendimus, quæ stet pro salute, digniora de Deo sentiat, & efficaciora ad salutem media paret? Atque ijs argumentis veluti catenis aureis omnes ad professionem Christianissimis trahimus. Hoc argumento euersa sunt quæcunque huic paradoxo adstruuntur: quare euerso fundamento frustra desudem deijciendo tecto, & parietibus suffodiendis: ita probabilitatis quæ pro libertate stat dejecta securitate, non immoror refellendis regulis, quas illi ita anxiè & infeliciter præscribit; vt dicat se nihil certi posse vel au-

dere ſtatuere; vt quæ vna manu adſtruit, altera euertat.

PARAGRAPHVS TERTIVS.

Examen tertiæ Epiſtolæ.

CARAMVELIS conſilium laudo, quod Epiſtolam ſui Apologematis tertiam, omiſſo Cardinali Palauicino, ad quendam Doctorem amicum innominatum ſcripſerit: prudenter id quidem; nam cum hæc Epiſtola ſit veluti Echo ſuperiorum, eaque loquaciſſima, quæ pluris iteret in illis multoties repetita, & nihil noui addat, niſi cauillos & ſarcaſmos in D. Fagnanum; neceſſe omnino fuit parcere auribus Eminentiſſimi Cardinalis, nec illum rebus toties repetitis vexare, nec minus ſui, quam illius rationem habuit, & ſapientiſſimi viri dum faſtidio parcit, ſuo conſulit pudori; non auſus illius oculis & iudicio ſubijcere quæ ſcribit, parum, ſuæ, & D. Fagnani conſentanea dignitati. Sed elegantiæ, quam grauitatis, & Dialecticæ ſtudioſior, tot repetitionum nauſeam conatur leuare ſatis ingenioſa figurarum varietate: & oratorem agens, *actum iri inclamat de tota religione, immo de toto genere humano*, ſi nutet probabilitatum ſecuritas; cui dum imminent & aduerſantur Ianſeniſtæ, Eccleſiæ ruinam moliuntur, omnia Pontificum decreta, Tribunalia Iudicum, totam denique ſocietatem humanam euerſum eunt: interim probabilitatum Genealogiam ab orbe condito per omnes Naturæ, Moyſis, & Euangelij leges, per omnia vitæ humanæ & Chriſtianæ officia, ad noſtra vſque tempora, noſtroſque vſus deducit. Damnabat in D. Fagnano flores Rhetoricæ & Dialecticæ ſpinas deſiderabat: ſordeſcit & ſquallet ſitu verborum D. Fagnanus præ iſto ſplendore eloquentiæ; & dum hanc Epiſtolam decurro, videor mihi legere, non diſſertationem Theologi, ſed Oratoris exercitationem, qui demonſtraturus eloquentiæ & ſui ingenij vires, laudandum aliquid ludicrum ſuſcipit, vt Moriam cum Eraſmo, Buſirim, & Neronem cum Cardano, Caluiciem cum Sineſio: & vbi per aliquot paginas Rhetoricatus eſt, perſonam Oratoris deponit, Theologi induit, & duo paradoxa depromit.

Diſtinguit Caramuel duplicem honeſtatis certitudinem,

seu veritatem; *formalem vnam* vocat, *alteram objectiuam*; istam negat cuilibet opinioni probabili, illam concedit: quasi velit omne genus mali & peccati subesse posse rei de qua disputamus, & actioni quæ instat agenda; vt verbi gratia juramento cum restrictionibus mentalibus de re falsâ præter audientis mentem, & interrogantis expectationem; sed beneficio regularum probabilitatis, posse nos in mediis sordibus munditiam, inter pericula grauissima, securitatem & tranquillitatem seruare; & dum salutem docet nos comparare ipsissimis mediis, quæ forte mala sunt &opportuna ad damnationem, solertiam medicorum imitatur, qui remedia conficiunt ex rebus quæ sua indole sunt venena; nam ipse, alijque probabilitatis patroni, non negant rebus inesse objectiuam vt vocant formidinem, falsitatem maliciam; & forte juramentum falsi cum restrictionibus peccatum esse: sed omne periculum, omnemque maculam abstergi certitudine & veritate formali.

Hanc (inquit) distinctionem primæ tonsuræ Theologis notam, apud Canonistas non audiuit D. Fagnanus, ideoque ex ignorantiâ confundit certitudinem objectiuam cum formali. Sed non adeo imperitus est D. Fagnanus rerum, ne dicam Theologicarum, sed Elementorum Philosophiæ, vt ignoret distinctionem quæ ad omnium scientiarum partes pertineat. Quis enim Tyro Philosophiæ, qui summulas Logicæ attigit, ignorat distinctionem vocum, conceptuum, & subinde veritatis & bonitatis in objectiuam & formalem? Sed id nobis ignorantiæ prodigium est, aut temeritatis, dari veritatem aut falsitatem, certitudinemque, cui nulla objectiua respondeat. Hoc ne Deo quidem concessum est, vt scientiam habeat rei non scibilis; id est veritatem formalem rei quæ objectiuâ careat. Hoc ipsum, quod millies repetit exemplum Conceptionis immaculatæ, eius assertionem euertit. Mirum est virum certe subtilem & eruditum non aduertere suorum argumentorum vitium; & dum de probabilibus agit, non distinguere propositionem absolutam (Deiparæ Conceptionem credo immaculatam) & à modali (probabilis est Conceptio immaculata) & vtrique suam certitudinem inesse, tum objectiuam, tum formalem rei accommodatam, quæ tamen toto genere differant: & rei probabilis absolutæ assensus sit formidolosus, & obscurus, sicut rei ipsius ve-

ritas; propositionis vero modalis, seu probabilitatis evidens sit certitudo, tum objectiua, tum formalis; hæc omnia D. Fagnanus accurate distinguit; cur ergo nobis ignorantiam obijcit? Cum ipse paradoxo inaudito, conceptum formalem seu certitudinem formalem, seu rei probabilis, seu ipsius probabilitatis sejungat ab objectiua, cum tamen manifeste repugnet rem alia ratione verè & certò sciri, nisi qua objectiuè scibilis, & certa est iuxta modum necessitatis & euidentiæ quæ illi subsit: cur ergo errorem nobis adeo crassum impingit; id factum puto disputationis ardore, quo preceps abripitur: & dum toto impetu fertur in D. Fagnadum vt feriat, pectus nudat & nostris ictibus confodiendum præbet; hæc de prima assertione.

Secunda malitiæ duplex genus distinguit, absolutæ quæ inest actui malo & lege prohibito, & hypotheticæ, quæ actui vel ex se bono, vel indifferenti subesset, si lex juberet ab illo abstinere. Mira est viri fœcunditas: noua & inaudita comminiscitur, paradoxo primo res indiuiduas & vinculo indissolubili junctas, nempe veritatem, certitudinem formalem ab objectiua sejungebat; & hac sublata, illam volebat saluam esse & sartam. Altero paradoxo nouum genus malitiæ fingit, quam vocat hypotheticam, id est, quæ actui inesset, si aliquá lege esset prohibitus. Huius etiam distinctionis ignorantiam obijcit D. Fagnano; sed duo repono nomine sapientissimi senis, primum à Christo dictum se legisse, *suam cuique diei malitiam sufficere*, eamque vbique abundare, vt nihil opus sit noua malitiæ genera confingere: quasi ab omnibus recepta passim, & heu nimium vsurpata! non sufficiat vt totus mundus in maligno positus sit.

Deinde addo Caramueli potius quam Fagnano constituendam esse hanc nouæ malitiæ hypotheticæ speciem, vt sufficiat loco absolutæ, quam totis viribus perditum it. Neque enim minus in illum quam in Dianam cadit, *Ecce qui tollit peccata mundi*: & vterque in hoc stadio ita strenuè currunt, vt nescias, quis duorum sit brauium accepturus, & gloriari possit se plura è mundo peccatorum monstra sustulisse. Sed Caramuel nouo quodam compensationis genere hypotheticæ malitiæ commento, quam ab actibus humanis abstergit, malitiam absolutam resarcire studet. Atque hoc duplici paradoxo constituto, *se vnica*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [212] - 132
PUBLIC DOMAIN

linea toti libro D. Merendæ & D. Fagnani, ait respondere: hæc enim summa est libri horum Authorum: agens morale non potest licite operari, nisi habeat certitudinem de bonitate sui actus; sed illa deest, si sequatur opinionem quæ stat pro libertate contra legem; cum actui, quem verisimili ratione suadet bonum, insit formido contrarij & malitiæ, ergo peccat, seu non licite operatur: hæc omnia putat se profligare, sua distinctione ad primam & secundam partem de certitudine formali, quæ nunquam deficiat operantem opinione probabili, licet objectiua desit. Sed hanc responsionem conuellunt quæ modo diximus, omnino commentitiam esse certitudinem formalem cui nulla objectiua respondeat; ergo Caramuel dum suam sententiam huic distinctioni aut potius diuisioni astruit, ædificium molitur pensile, nullo fundamento fultum; sed de hoc plura sectione sequenti. Numero 107. addit argumentum à præcepto, à dispensatione voti solemnis, à jejunij lege præscribente cibum qui illæso jejunio sumi possit, & inde probat quamlibet probabilitatem, qua vna nituntur hæc omnia, securitatem habere ab erroris & peccati periculo; Ad huius argumenti solutionem multa desiderantur dicenda sequentibus sectionibus, & eo loci differēda sunt. Interim quæ habet ad finem Epistolæ, juramento voto & præcepto posse nos astringi ad alterutram opinionum probabilium, quarum aliunde delectus liber est, arripio ad nostræ sententiæ confirmationem.

Quamuis contendas ex opinionum inter se pugnantium probabilitate ob ineuidentiam rei, ignorantiam nasci inuincibilem, & ex illa ius eligendi tutò, quam partem libuerit: hoc tamen ius electionis liberæ tolli posse vis, voto, iuramento & præcepto: ergo quotiescunque aderit præceptum ex charitate & iustitia, perit illa libertas & securitas pro qua tot annis, & tot voluminibus pugnas; atqui prudentia, charitas, aliæque virtutes Christianæ & humanæ iubent è duabus opinionibus, quarum vna stat pro lege præscribente quæ sunt ad salutem necessaria vi præcepti & medii, altera fauet libertati, hæ inquam virtutes omnes præcipiunt electionem primæ opinionis, vt consulas tibi aut proximo, cum aliquod alterutri damnum imminet ex liberioris opinionis delectu; ergo falsa est tua Thesis, & hac vna linea (quod de Merendæ & Fagnani libro scripsisti)

verius tui omnes delentur. Minorem probaturus sum multiplici genere argumentorum, illud in anteceſſum familiarius, & quod ad ſenſum communem pateat, appono.

Venator, qui etiam ex venatione ſibi, ſuæque familiæ victum parare cogitur (id pono vt vis argumenti eluceat) videt procul quid ſimile lupo & cani, quem putat ſuo Domino carum & magno pretio redimendum, nec poteſt propius accedere explorandi causâ, quin fera fugiat, & ſubinde illi præda pereat; nequit etiam emittere ſagittam niſi cum periculo occidendi canem, qui in pretio eſt apud Regem & Principem, multominus interimendi hominem, quamuis, magis etiam probabile illi ſit, quod occurrit feram eſſe ſilueſtrem, quam canem venaticum aut hominem: iniquus plane atque humani generis hoſtis fuerit, quiſquis venatori ſecuritatem promiſerit ab omni iniuriâ, licet probabile ſit hominem interficiendum, ſi ſagittam emittat. Quid ad iſta reſponſurus ſit Dominus Caramuel neſcio, ſatius eſt expectare certam ab illo reſponſionem, quam impugnare ab eius forte mente alienam. Interim prudens Lector attendas velim, quo noui iſti Doctores res noſtras deduxerint, vt ea nobis permittant cum Dei offenſæ & damnationis æternæ periculo, quæ non audeant conſulere, vel aggredi, ſi contingere poſſit canem loco feræ occidi, & hoc argumento, aliiſque pluribus confirmabimus valide perpetuum ſedis Apoſtolicæ oraculum in *dubijs tutiorem partem eſſe eligendam* quod ſummorum Poncificum reſponſum conatur eadem Epiſtola ſex ſolutionibus debilitare; ſed has omnes opportunius infra refellemus.

ARTICVLVS TERTIVS.

Explicatio ſtatus Controuerſiæ, ſolutio primi nodi ex Anonymo, Reſponſio ad quartam Epiſtolam.

VIDEOR hanc Caramuelis diſputationem præpoſterè inſtitutam proſecutus fuiſſe, dilatâ in hunc locum controuerſiæ ſtatus explicatione à qua fuerat inchoanda. Quid enim tot ſectionibus promouimus, ſi adhuc hæreamus in limine, & quâ de re agatur, nondum ſit conſtitutum? Excuſare vtcumque hoc poſſem, quod non Authoris partes

obeam, sed vindicis & defensoris; atque ita sequi aduersarios, qua vocant oporteat, & vt illis libet pugnare; nec liceat occupare primo loco, quæ ipsi postremo tractant. Sed verius dicam controuersiæ statum explicatum fuisse, minus tamen pro dignitate rei, quam pro loci opportunitate, vt exigebant aduersariorum argumenta, quorum vestigia premimus. Equidem Sectione 2. 1. Disputationis, distinximus duo rerum genera, de quibus contingit opinari, nempe earum, quæ sunt ad salutem necessariæ ex præcepto, vel ex medij efficaciâ, aut ex vtroque capite: & demonstrauimus licitum non esse aut tutum recedere ab opinione, quæ stat pro necessariis ad salutem causis, vt adhæreamus opinioni, quæ fauet libertati. Idque multo verius & certius est, cum res de quâ controuertitur, habet rationem medij salutem operantis, quales sunt Fides, Religio, Charitas, Sacramenta, quæ hoc maxime obseruando discrimine differunt à rebus ex solo præcepto necessariis, quod istarum ignorantia excuset à peccato, & subinde nullo sint saluti impedimento, illarum vero si desint virtus & efficacia, nullâ ne dicam ignorantiâ, sed nec probabilitate maximâ suppleri & resarciri possint, & efficere vt saluus fiat is in quo huiusmodi media, Fides, Charitas, & interdum Sacramenta desiderantur. Ex quo discrimine (quod vix citra hæresim negari potest) consequitur manifeste, cum de mediis ad salutem comparandam institutis lege naturali aut positiuâ agitur, semotis quibuscunque probabilitatibus quæ stant contra, semper tutioribus adhærendum. Nec hoc dicas consilij esse tantum; nam reuerâ præcepti Prudentiæ & Charitatis est, omnium maximi, quo cauetur ne vnquam committamus à nobis remoueri ea, quæ si desint, nulla ignorantia potest à damnatione nos eximere, esto à peccato excusaret: hæc pluribus loco citato, & infra forte aliqua addemus.

Eiusdem dissertationis sectione vltimâ, articulo 1. exactius distinximus totum controuersiæ progressum per varios gradus: vnde liceat agnoscere quid quisque Doctorum sentiat; sed Mercorus non ita exacte quos diuisimus octo gradus controuersiæ notauit, & inde forte Anonymus, quamuis acutissimus, vix potuit coniicere in quo posita esset illius scriptoris sententia quam deffendimus, & quò differret à Merenda, inde à Tamburino & Caramuele, id

est ab extremis, hinc omnium rigidissimâ, inde laxissimâ opinione. Caramuel etiam, aut non capit, aut dissimulat mentem D. Fagnani: atque ex ea ignorantia vbique parologizat: Non longe absunt ab eodem vitio Stubrochius & Fabri, omnesque quasi agmine facto, vrgent nos exemplis opinionum probabilium, quæ vt plurimum stant pro lege, aut nihil prorsus faciunt ad officium & mores, sed ad speculationem pertinent; vt inde concludant probabilitatem quamcunque, honestam esse & immunem ab omni periculo damnationis & peccati.

Ad quid ista contra nos? quasi asseramus probabilitati securitatem in totum repugnare, & à regulis morum opiniones quascunque esse abigendas, quo nihil magis à mente nostra alienum, securitatem conuenire volumus cum probabilitate, non quacunque, ea maxime quæ fauet libertati (hanc enim periculosissimam dicimus) sed cum eâ quæ stat pro lege & mediis ad salutem comparandam efficacibus. Addimus præterea probabilitatem nihil habere periculi, si versetur circa res quæ ad speculationem, non ad mores pertineant. Deinde admittimus probabilitatem quæ stat pro libertate, tutam fieri posse, si nulla impetatur opinione, aut ratione sibi infestâ, vel ita inualescat, vt tenuissimam ac pene nullam opinioni contrariæ probabilitatem relinquat, quales sunt tres quas subiungo.

Improbabilis apud Theologos censetur opinio, quæ prohibet, ne quis accedat ad Sacramenta mortuorum, nempe Baptismi & Pœnitentiæ, nisi perfectè contritus, & cum sola attritione, nec condonationem peccatorum, nec gratiam sanctificantem conferri ministerio sacerdotis: ex quo sequeretur nullam ipsi à Deo datam facultatem remittendi peccata, sed declarandi remissa esse vi contritionis quæ præcesserit; inde tuta fit sententia, quæ pro libertate stat contra contritionem perfectam ex præcepto, aut medij efficacia verissimili ratione necessariam.

Eodem fere loco reponitur opinionum tutarum, licet pro libertate contra legem stet, eâ grauiorum Theologorum, qui negant amissâ per peccatum lethale gratiâ, illius reum debere statim nullâ interpositâ morâ, à peccato exurgere contritione, & confessione, vbi data primum occasio fuerit; & si cunctetur, non minus peccare, quam furem dilatâ restitutione boni ablati: quod putent offen-

ſam Dei perinde atque detrimentum hominis, cui inuito erepta ſunt bona, dilatione augeri & cumulari: nam hæc ſententia ſeuerior, improbabilis fit manifeſto diſcrimine inter iniuriam Deo à peccatore, & domino rei à fure illatam, in hoc poſito, quod fur abſtulerit rem domino neceſſariam & vtilem, qua nequeat etiam ad tempus carere ſine incommodo, à quibus damnis & malis Deus omnino immunis eſt; ergo non eadem ex pœnitentiæ, quæ ex reſtitutionis dilatione, conſequitur, & augetur iniuria. Eiuſdem generis eſt opinio illorum qui cenſent feſta ex præcepto celebrari debere, non quocunque cultu Religionis interno, ſed ſpecialiter amore Dei ſuper omnia, ac omni alio ſecluſo; proinde non poſſe diebus feſtis prætermitti ſpeciale illud charitatis præceptum, citra grauem culpam; quaſi præceptum amoris Dei ab omni alio ſecluſi, eodem tenore ac rigore ſolemnibus diebus feſtis, quo feſtis Paſchalibus communionem annuam Eccleſia addixerit. Dices: ſi hæc opinio quæ ſaluti & præcepto fauet improbabilis cenſeatur, tutaque contraria quæ ſtat pro libertate, eodem loco reponi debere opinionem Diui Thomæ, quæ damnat peccati mortalis adultum, niſi primo vſus rationis inſtanti, ad Deum vt vltimum finem dilectione charitatis ſuper omnia ſe ſe retulerit, quæ ſententia licet ſaluti conſulat & tutior ſit, paſſim tamen reiicitur. Sed eſto ab aliis æquiparentur, mihi tamen quicquid illi ſentiant, hæ duæ ſententiæ non æque videntur eſſe improbabiles: quod hoc argumento euinco. Certum fere eſt apud omnes Deum homini aliquando amandum dilectione ſuper omnia ex præcepto, & vt medio ad ſalutem neceſſariâ, quia ſine Charitate non poteſt inſtitui vita Chriſtiana, ſicut nec vllum vitæ genus, vel profeſſio, niſi finis conſtituatur cui adhæreamus: atqui nullum tempus ad vitam humanam & Chriſtianam inſtituendam, & ſubinde ad vltimum finem eligendum & proſequendum amandumque Deum ſuper omnia commodius eſſe poteſt primo rationis inſtanti; & hoc manifeſtiſſimum inde eſt, quod qui patiuntur, inſtans elabi, eoque nos eximunt à præcepto amoris Dei, vix aliquâ ratione veriſimili poſſint aliud tempus illi præcepto implendo deſignare, niſi ad finem vitæ, & mortis articulum deuoluantur. Neque tum etiam patitur Tamburinus nos ſubiici iugo & præcepto charitatis. Has vero laxiſſi-

mas Theologorum opiniones omnes ſuæ ſalutis ſollicitæ execrantur. Vnde vero natæ ſunt? quod à Diuo Thoma receſſerint præſcribente huic præcepto primum inſtans vſus rationis. At quis dixerit iiſdem rationum momentis confirmari Scoti opinionem, cum rem manifeſtè falſam in probationem aſſumat, nempe Dies feſtos ab Eccleſia inſtitutos, deſignando tempori ad præceptum charitatis implendum eadem fere neceſſitate, qua communionem Euchariſtiæ indicit feſtis Paſchalibus? Sed hoc exemplo quo confirmari putabat Scotus ſuam opinionem plane euertitur: nam ſi ea mens quam obtendit Scotus Eccleſiæ fuiſſet, inſtituendi feſta vt celebrarentur dilectione Dei ſuper omnia, ſicut ſolemnia Paſchalia communione Euchariſtiæ, par omnino erat Eccleſiam nobis hanc ſuam legem de amando Deo ſingulis diebus feſtis, non minus aperte, quum de Euchariſtiâ ſumendâ ſemel per annum, Paſchatis tempore ſignificare. At nihil horum factum vnquam; ergo improbabile eſt inſtitutione feſtorum Eccleſiam tanto rigore exigere amorem Dei ſuper omnia, vt quiſquis omiſerit, reus ſit futurus peccati mortalis, ac ſi communionem annuam omiſerit; at quis neget hominem à Deo creatum, & inſtitutum ſui vnius amandi & fruendi gratiâ, quis putet rem omnium præſtantiſſimam, & quâ illud *vnum neceſſarium* conſtet, poſſe differi ad finem vſque vitæ, nec omnino inchoandam, tum cum viuere incipimus qua homines & qua Chriſtiani: ergo alia eſt Scoti, alia Diui Thomæ opinionis de amore Dei ſuper omnia probabilitatis ratio; hæc vero à nobis dicta ſunt, vt viam paremus ad controuerſiæ præcipuæ caput, & ijs, aliiſque exemplis demonſtremus opiniones quæ ſtant pro libertate, poſſe fieri probabiles, tutas, & immunes à peccati & damnationis periculo: id vera qua ratione conſequantur paragrapho ſequenti aperiemus.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [218] - 138
PUBLIC DOMAIN

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Distinguntur quatuor probabilitatum gradus, & inde eruuntur quatuor Regulæ quibus fit satis Caramueli & Anonymo.

SI quid virium insit Apologemati Caramuelis, habet à caligine, id est à probabilitatis æquiuocâ notione, qua suas argumentationes obuoluit; *Summus*, inquit, *Pontifex statuit de conceptione immaculatâ, quid magis pium sit, dispensationes administrat ex opinione probabili, ad illam regulam Iudices sua decreta pronuntiant, & vitam suam exegerunt quotquot ab orbe condito Patriarcha, Prophetæ & sancti denique viri ad nostra vsque tempora floruerunt:* Addi potest ex Stubrochio opiniones probabiles adeo tutas esse & inualescere, vt cum *nemo possit certò scire*, odione an amore dignus sit, sola opinione probabili nullius peccati nos esse conscios, necesse sit ad sacram synaxim accedere, ad quam præcipit Apostolus nos probare, ne rei simus corporis & sanguinis Christi, si indigne, id est conscientiâ lethali peccato saucià & sordidâ sumeremus; ergo vbique triumphat quæuis probabilitas, tuta & secura, quandoquidem omnia eius consilio & imperio peraguntur.

Mirum est sane viros doctos & solertes his exemplis pugnare, atque huiusmodi tenebris obscurare veritatem, sole clariorem. Non quamcumque probabilitatem, nec vniuersim omnem tutam esse censemus, sed eam semper quæ stat pro lege, & nonnunquam etiam cum libertati fauet, dummodo nullam habeat aduersam opinionem pro salute secum pugnantem, maiori, vel pari, vel paulo minori probabilitate: nam æquatâ inter adeo dispares opiniones pugnâ, quarum vna pro honesto & salute stat, altera pro commodo, victoriam illi asserimus, quæ superat æquitate causæ: sin vero benignior, vt vocant, opinio superior sit multis partibus, & deijciat alteram ad tenuissimæ probabilitatis gradum (sicuti iam aliquot exemplis demonstrauimus) securitatem illi non negabo. Et hæc est sententia Mercori, contra Merendam, alioſque rigi-

diores Theologos & forte ipsum Anonymum, cuius hinc primus nodus soluitur.

Sed cum explicatione nudâ controuersiæ, omnes tenebræ dispellantur, & veritas obscurata sophismatis aduersarij eluceat; operosius est res tractanda, & distinguendæ sunt variæ classes opinionum probabilium; vt inde manifestum fiat, quid quisque nostrum sentiat, quid res ipsa veri & certi habeat: ex hâc enim differentia probabilium opinionum, quatuor constituemus regulas, quibus tota controuersia dirimetur; & bene longæ Caramuelis Epistolæ spongia inducetur: tota res à certis ptincipiis repetetur.

Cum opinari contingat de re quacunque, cuius absit à mente cognitio euidens, seu per se nota non sit ex nudo vocum significatu, seu desit medium demonstratiuum quod ducat ad manifestam rei in se ipsa notitiam; ex duplici capite potest diuidi in varios ordines opinio, vel à materiâ, de quâ controuertitur, vel à motiuo assensus ineuidentis & infirmi: à materiâ quidem partimur opinionem in speculatiuam & moralem: illa de rerum naturâ disputat, ista de officiis & de agendis. Primi generis sunt quæcunque Philologia, Metaphysica, & Theologiæ pars dogmatica tractant: postremi generis sunt, quæ Ethica de finibus bonorum & malorum tradit, ad quæ Socrates relictis omnibus quæ supra aut infra nos sunt Philosophiam reuocauit.

Ex hac partitione opinionum, primam nostram regulam eruimus; *Quamuis ad vtramque disciplinam pertineat, & sapientis sit hominis anteponere probabiliora minus probabilibus; hic tamen delectus magis necessarius est ad partem Moralem, quam Theoricam.* Ideo prudentissime Societas Iesu quarta parte Constitutionum cap. 5. §. 4. sancit *vt sequantur in quauis facultate securiorem, & magis approbatam doctrinam, & eos Doctores qui eam docent.* Et cap. 14. §. 1. *In Collegiis* jubet *prælegi libros qui in quauis facultate solidioris & securioris doctrinæ habentur.* Et cap. 16. §. 2. vult *legi in Theologia Vetus & Nouum Testamentum & doctrinam Scholasticam Diui Thomæ:* Et certe cum innatum sit nobis studium veritatis cognoscendæ, si consequi detur, anteponenda est regnis & sedibus, si eam adire inconcessum sit, vel suspendendus est assensus, vel adhærendum probabilioribus, quæ magis ad il-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [220] - 140
PUBLIC DOMAIN

lam accedunt: Primum censebant plures Philosophorum maxime Pyronici; & Academici: Stoïci etiã non minus pudendum existimabant suo sapienti opinari, quam sperare, quod opinionem secutus obijceret se periculo erroris, ratus verum quod forte falsum est: sicut sui iuris & præsentibus contentus esse definit, si spe suspensus, & futuri sollicitus sit. Atque adeo jubebant *nec opinione duci, nec spe moueri* Nos vero humanæ infirmitatis conscij, & omnis fere euidentiæ expertes, opinionibus locum damus, delectum vero volumus exigi ad maiorem verisimilitudinem, & ad instituti commodum, quod quisque profitetur; vt ex Physica decerpat Medicus, quas viderit de rebus Naturalibus opiniones ad cognoscendos & curandos morbos opportuniores: sicut Diuus Thomas eas delegit, ex Philosophiâ, quas vidit magis idoneas ad explicanda & defendenda fidei mysteria. Sed multo liberiorem permittimus ex parte speculatiuâ, quam ex Morali opinionum electionem. Ex illâ sumat quisque, quod sibi visum fuerit, saluâ fide & illæsis bonis moribus; ad quos diximus sectanda tutiora. Sic venatori (quo exemplo frequentius vtimur, quod sit ad rem accommodatissimum) permittimus opinari quod libuerit, cum anceps fieret an fera aut auis quæ procul visitur, sit mas vel fœmina vnius speciei, vel diuersi generis animans non admodum dissimile priori, sed si dubium incidat de fera, vel aue, mansueta ne sit, quam sibi perire ægre ferat is ad quem pertinet, quis non videat tum cautius agendum, ne emissâ sagittâ temere, quidquam detrimenti capiat, cui suspicatur ne forte noceat? Hoc exemplo luculentissime demonstratur primæ nostræ regulæ veritas, cum probabilia quæ ad speculationem pertinent, paribus librantur momentis, aut pugnant rationum viribus, tum pro cuiusque affectu, cuique permittimus cui voluerit opinioni adhærere; quia nullum inde malum sibi, vel aliis timere potest. Sed cum de moralibus delectus instat faciendus, quis neget tum cautiùs agendum, & deligendam illam opinionem quæ stat pro salute & lege? in hanc primam regulam sole clariorem grauissimè videntur mihi peccare, qui arbitrariam volunt opinionum electionem (quod certè Sophistarum est) cum de Theoricâ parte controuertitur. Quod vero nomen mereantur, dum eam licentiam inducunt in partem mora-

lem, non auſim dicere, nec ſi vellem ſatis graue occurreret. Ex hac vero regulâ ſoluuntur plures Caramuelis in nos objectiones repetitæ ab exemplis quæ ad partem Theoricam pertinent, qualis eſt de conceptione; jam enim diximus liberum eſſe cuique priuato, & ſibi ſummos Pontifices permiſiſſe ex dogmatibus paris fere probabilitatis, quæ ad Theoriam ſpectant, ea deligere ad quæ magis ex affectu ferebantur. Sed quid iſta ad Theſim Caramuelis, & mentem Tamburini, qui in controuerſiis Moralibus cum de ſalute æternâ agitur contendunt *tenuiſſimæ probabilitatis* pro commodo & voluptate opinionem anteponi tuto poſſe, opinioni quæ non ſolum cauſa, ſed etiam rationem momentis infinitis partibus ſuperet, & deſit illi tantum euidens demonſtratio, qualem nullam Caramuel admittit etiam ad probandam Dei exiſtentiam & vnitatem? Ergo omnia Religionis fundamenta conuellit, id eſt cuiuſque arbitrio permittit ſentire quod viſum fuerit de rebus ineuidentibus, quæ hinc inde, nullâ ſpe euidentiæ paribus difficultatum momentis animam fluctuantem verſant. Poteſt-ne Caramuel negare in hoc rerum ineuidentium & obſcurciſſimarum ordine, quæ inſuperabilibus premuntur difficultatibus, primas tenere, quas fide jubemur credere veritates? Ergo ex principiis Caramuelis integrum & tutum eſt cuique quod libuerit de his rebus ineuidentiſſimis opinari.

Hâc primâ regulâ conſtitutâ progrediamur ad alteram: illam eruo ex ſecundâ opinionum diuiſione repetitâ à rationibus dubitandi: Nam cum opinionis medium nequeat eſſe demonſtratiuum, & ad rei, vt in ſe eſt euidentem notitiam deducere; infirmam eſſe oportet & formidoloſam; ea vero, vt ſic loquar, infirmitas oriri poteſt, vel ab argumẽtorum quibus fulcitur debilitate, vel à rationum vi, quibus impugnatur. Hinc oritur duplex opinionis probabilis genus, aut potius ſtatus. Nempe dum ſola eſt, & quaſi ſolitaria nulli aduerſæ opinioni collata, quâ debilitetur, nec aliunde nutat quam à propriâ infirmitate, quod euidentes deſint rationes, quibus aſſenſus fulciatur: alter opinionis probabilis ſtatus eſt collatæ cum aduersâ, cuius argumentis atteritur.

Ex primâ huius diuiſionis opinionum parte, ſecundam noſtram regulam aſſumimus: *Eam opinionem tutam*

esse quæ argumentis quantum materia moralis patitur, validis fulta, nullâ aliunde ratione aut opinione aduersâ colliditur. Atque ita nihil habet quod timeat, is qui credit se jure possidere rem, de qua nullus illi litem mouit, nec inquirenti in titulos ortum est aliquot dubium male partam à maioribus qui sibi reliquerunt: licet forte ita contigerit, sed hoc illum prorsus latet. Ad hanc regulam reuoco pœnas de reo sumptas, qui consensit testibus se accusantibus grauis criminis vltimo supplicio puniendi, quamuis enim res his argumentis comprobata sit euidenter credibilis (vt inquit Cajetanus) non tamen euidenter vera; fieri enim potest testes falso criminatos reum, & illum vitę odio aut suppliciorum metu assensisse, vt eximat se à miseriis quas putat morte grauiores: hoc enim illi permittit Tamburinus citra culpam saltem grauem. Ad eamdem regulam pertinet exemplum Stubrochij, cum quis nihil sibi conscius putat se gratum Deo & acceptum, quamuis in hoc iustificatus non sit, nec sua illi innocentia certò & euidenter constet, potest tamen accedere tuto ad sacram synaxim; atque hoc exemplo Strubochius censet omni opinioni probabili assertam securitatem: Sed longissime abest à Thesi, quam sibi probandam sumpsit, opinionem tutam esse, quamuis stet pro libertate contra legem, & paribus aut grauioribus debilitetur aduersę sententiæ, quam stabiliatur propriis argumentis. Vnde ipsummet exemplum in illum retorqueo: Nemo potest contingere Sacramenta quæcunque vt minister ea conferendi causa, vel Sacramenta viuorum recipere, nisi se se probauerit, & nullius peccati mortalis se conscium morali certitudine habeat, & abstinendum illi est omnino ab administrandis vel recipiendis Sacramentis, si hęreat dubius paribus vtrinque probabilitatum momentis, reus ne sit an expers lethalis peccati; ergo si in reuerentiam Sacramentorum quis peccat, nisi se probauerit, & post serium examen probabilius iudicet se non detineri culpa lethali: eadem certitudo & persuasio moralis adhibenda est cæteris vitæ humanæ officiis, ac proinde grauiter peccat, qui actionem elicit, quam probabilius, aut æquâ probabilitate censet illicitam esse. Longe vero abest huiusmodi formido à nostrâ regulâ, id est ab opinione solitariè sumptâ validis fultâ fundamentis, & nullis concussa aduersæ partis argumentis.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [223] - 143
PUBLIC DOMAIN

Hanc noſtram regulam mire illuſtrat, & ſubinde primum Anonymi nodum diſſoluit, obſeruatio ſubtiliſſima Mercori 1. p. art. vlt. vbi rerum, ſeu naturalium, ſeu moralium tres accuratè gradus certitudinis diſtinguit. Primum eumque omnium ſupremum vocat certitudinis Logicæ: hunc ſequitur Phyſica certitudo, ſed tanto interuallo, vt collata primæ dici debeat probabilitas Logica. Infimum certitudinis gradum occupat probabilitas, quam vocat Phyſicam. Rem illuſtrat exemplis, & ſingularum diuiſionis partium definitionibus. Certum Logicè id dicitur, quod neceſſario verum, nullâ ratione aut causâ fieri poteſt falſum. Huius generis ſunt propoſitiones æternæ veritatis, quales ſunt hominem eſſe rationalem, Deum exiſtere &c. Phyſicè certum id definitur quod rei naturæ, cauſiſque propriis conſentaneum eſt, idque fere ſemper fit: ſed nihil vetat vitio cauſarum inferiorum, & ſuperiorum vi, aliud interdum contingere; hoc genere certi dicimus hominem eſſe bipedem, quia ſolent ferè omnes vi cauſarum ita naſci, licet aliquando editi ſint pueri vno, vel nullo pede: verum quia huiuſmodi generationis humanæ vitium rariſſimum eſt, caſus cenſetur leuior, vt impedimento eſſe poſſit, ne ſemotâ omni formidine aſſentiar hominem eſſe bipedem: ſi tamen veritati vndequaque neceſſariæ & indefectibili conferatur, dici poteſt probabile Logicum. In infimo denique certitudinis gradu reponitur probabile Phyſicum, vtroque certo mutabilius, quod non ſolum attentâ ratione cauſarum ſuperiorum & communium, ſed etiam iuxtà propriarum curſum variatur; huius generis ſunt omnes fere Aſtrologiæ propoſitiones, vt Cœlum æſtate ſudum, hyeme pluuium & nubiloſum eſſe, ſolem Oriente Arcturo, ciere tempeſtates, cum ſecus nonnunquam accidat hyemem ſiccam, æſtatem pluuialem, tempus ſub Arcturo ſerenum & tranquillum.

Hos tres certitudinis gradus, non ita ſibi vindicant veritates ſpeculatiuæ, quin rebus etiam moralibus conueniant, certitudine Logicâ veras dicimus leges Decalogi, Deum colendum, adulterium illicitum, quia nulli ſunt obnoxiæ diſpenſationi, nullâ ratione falſæ fieri poſſunt. Certitudini Phyſicæ reſpondent exempla quæ huic ſecundæ regulæ confirmandæ & illuſtrandæ inſeruiunt, poſſeſſio diuturna nulli ſuſpicioni injuriæ obnoxia, perſuaſio innocentiæ,

tiæ, cum post longum examen, nullius peccati mortalis cogitatio in mentem venit: damnatio rei, qui testibus accusantibus assensus est, licet forte tædio vitæ & tormentorum metu se falso accusarit: quia hanc leuem conjecturam non magis morari debet judex, ne damnet ad supplicium, quam Philosophus, ne sibi certò persuadeat hominem esse bipedem, quòd nasci possint, & aliquando nati sint monopodes aut apodes. Huc etiam pertinet argumentum Stubrochij, de accedente ad sacram Synaxim cum opinione conscientiæ à mortali labe purgatæ, quamuis etiam ad tertiam regulam spectet, quo loco eadem difficultas recurret. Tertij denique generis opiniones probabili Physico respondent, quas recentiores quotidie inducunt: & quamuis pro libertate pugnent contra legem & honestum, & vltro agnoscant posse esse falsas, nec minus incertas, quam Astrologorum conclusiones, volunt tamen tutas esse, & ab omni periculo damnationis & peccati remotissimas.

Hac triplici distinctione constitutâ, valide infringit Mercorus primum nodum Anonymi; qui sunt inquit illi qui jugum Christi grauant, an illi qui plus æquo leuiùs volunt, quos inter medius sedeas judex vel arbiter? Ad hęc respondet jugum conscientiæ & legis plusquam par sit, grauari à Merenda, quod ad honestatem actus requirat rectitudinem Logicam, laxari periculosè conscientias, à recentioribus, qui contendant ad honestatem actus sufficere meram probabilitatem Physicam, se mediâ & tutâ viâ incedere, quia certitudinem Physicam & probabilitatem Logicam requirit. Hæc responsio solidissima & iuxta subtilissima nodum plane secat, controuersiam dirimit, nec eget aliâ luce aut probatione, quam attentâ obseruatione & lectione eorum quæ iam dicta sunt de triplici rerum certitudine subjectæ controuersiæ accommodandâ. Ad tertiam regulam accedamus, omnium in hac re grauissimam, & certissimam, de qua nihil dubitat ipse Merenda omnium probabilitatum hostis infensissimus; eam vero astruimus, diuisioni tertiæ opinionum probabilium inter se pugnantium quidem, sed vtrinque pro officio. Argumento sit superior regula de communicante ex opinione probabili se Deo acceptum esse & insontem ab omni crimine lethali. Prima etiam disputatio de absolutione moribundi, & de ba-

ptiſmo pueri animam agentis cum aquâ ex ſale expreſsâ, aut ex vite profluente, ſi elementalis deſit, ſuppeditat exempla huius regulæ, quibus immerito putat Caramuel ſe probabilitatum cauſam peroraſſe, & omnes in tuto poſuiſſe. Sed longiſſimè abeſt à ſperatâ victoriâ, nec attendit illis exemplis nihil aliud conuinci, quam veritatem opinionis Merendæ omnium ſeueriſſimæ, nempe dum inter ſe opiniones probabiles pugnant, vtrinque pro lege & officiis, è quibus ſingulæ ſibi ſuum vindicant, & nequit vtrumque impleri, tum vnum obmittendum eſſe, vt cedat alteri; nam cum eo deuentum eſt, non ſolum probabilibus, ed etiam dubiis, & aliâ quacunque causâ illicitis vti conceſſum eſt, immo neceſſarium; tum enim duæ leges pugnant, hinc religio, quæ præcipit reuerenter tractanda eſſe Sacramenta, vitandum periculum ne irrita fiant, & quadam ratione falſa, dum à ſe ſanctum & ſaluum fieri ſignificant, cui nihil forte conferant gratiæ; ſed aliunde charitas, immo & iuſtitia miniſtrum ex officio vrgent, vt puero & adulto extremo periculo laborantibus ſuccurrat, quâ fieri poteſt, etiam cum probabili opinione aut dubio, ne irritum ſit Sacramentum; quia tum vrget regula, è duobus malis ingruentibus, arcendum majus & minus excipiendum; præſtat autem aliquid deſiderari ad reuerentiam Sacramentorum, quam deeſſe moribundis pueris aut adultis, & illis negare remedia, & Sacramenta, quæ forte profutura ſunt; & ſi periculum euaſerint, etiam iteranda. Det nobis Caramuel vbique ſimilem, id eſt adeo neceſſariam non ſolum probabilia, ſed etiam dubia vſurpandi vel excuſandi cauſam, & tum illi aſſentiemur probabilia quæque ſecura eſſe. Sed adeo aliena eſt ab omni ſpecie veri eius opinio, vt non putem negaturum, quin Sacramentum Pœnitentiæ, adulto; baptiſmi, puero collatum, quamliber neceſſaria & probabilia cenſeat, debere iterari, ſi periculum mortis euadant, ergo falſo aſſerit probabilia quæque tuta eſſe à periculo damnationis.

Ex hac regulâ innumeræ infringuntur aduerſariorum in nos objectiones, & ad illam reuoco omnium difficillimam, ex diſpenſationibus Pontificiis à voto ſolemni, à gradibus conſanguinitatis ad ineunda matrimonia: neque enim ſapientiſſimi Pontifices id vnquam paterentur, niſi ex regulâ noſtrâ, cum grauiſſimæ cauſæ vrgent, id eſt

cùm è duobus malis, minus est eligendum. Huc etiam pertinet dubium Stubrochij de accedente ad sacram Synaxim ex opinione conscientiæ à mortali labe purgatæ. Hoc enim exigendum est ad regulam nostram, quia Deus hinc præcepto graui minatur nos ab æternâ vitâ excludendos, nisi Communione Sacramentali participes carnis illius simus & sanguinis; aliunde jubet nos cum tremore operari nostram salutem, nec semotâ omni formidine, apud se nos iustos reputare. Ergo relinquit tantum hâc de re opinandi licentiam, cum jubet nos accedere ad Eucharistiam: & nisi velis Deum non solum impossibilia, sed etiam pugnantia præcipere, concedas oportet Deum velle si probabilis persuasio adsit, nullo lethali peccato nos detineri, corporis Christi participes esse posse.

Ad vltimam tandem deuenimus regulam, quæ nihil superioribus decedat, ex quartâ opinionum probabilium diuisione deductam; cum hinc pro officio & lege, inde pro vtilitate & commodo pugnatur. Huc tota vertitur disputationis alea: hic stabilienda est regula, quam verè dixeris signum cui non minus quam Christo contradicitur. *Pugnantibus inter se paribus aut parum disparibus rationum momentis, opinionibus, hinc pro lege, inde pro libertate, nunquam deserendam primam opinionem vnicè tutam, maxime si præscribat media per se instituta ad salutem: & hic est primus hujus regulæ gradus*, cui Suares recentiorum grauissimus adhæret: *Secundus illi proximus est, neque recedendum ab opinione pro lege, etiam cum fa. et rei ex solo præcepto necessariæ, nisi aduersa opinio pro libertate infinitis partibus ita vincat, vt vix tenuissima probabilitas illi reliqua sit.* Distinctionis horum duorum graduum nostræ regulæ causam dedimus, Disputationis primæ Sectione secunda, & hoc etiam Articulo, quod opinionis stantis pro solâ re præceptâ, grauissimæ quæ aduersantur difficultates, vim extenuent, & tum ignorantia omnino à peccato excuset; at si media ad salutem instituta desint, quales sunt virtutes infusæ, Charitatis & cetera, quámlibet à peccato, si illa omittas, excuset te ignorantia, certe nisi Hæreticus & Pelagianus sis, non potes dicere saluum fore illum, qui in delectu religionum & sectarum, cum plures illi probabiles occurrunt, vnicam veram, nempe Christianam prætermiserit. Ergo quamuis nihil

habeat quo conuincatur ad Religionem Christianam amplectendam, neque aliis sua desit probabilitas, ad minus illi, quæ vnum numen colit beneficum & remuneraturum nos, si anima sit post mortem superstes; non dubitabit Caramuel, quin probabilitas & ignorantia illum excuset à peccato; nec tamen audebit vnquam asserere ex ignorantiâ supplendam vicem fidei, Charitatis, & esse idoneam probabilitatem æternæ saluti consequendæ, quamlibet sufficiat ad noua peccata excusanda.

Atque hinc forte conciliari possent SS. Patres cum huius temporis Doctoribus in hâc grauissimâ difficultate, an ignorantia iuris naturalis detur & excuset à peccato, nec sit impedimento ad salutem. Egò sane nolim committere SS. Patres cum Modernis Theologis, quia puto hanc dissentionem Ecclesiæ noxiam, pusillis scandalo, & impiis esse ludibrio. Atque vt hæc mala pro virili curemus, distinguenda censeo hæc duo, an ignorantia inuincibilis rei ex præcepto ad salutem tantum necessariæ, ad peccatum imputetur ea laborantibus; & vtrum impedimento sit ad salutem, nisi tollatur, cum versatur circa media ad salutem comparandam instituta; primum concedam Caramueli & Stubrochio, secundum Anonymo; & hoc ad minus euincunt loca SS. Patrum, quæ asserunt ignorantiam inuincibilem non excusare, id est non esse loco innocentiæ, quasi illius beneficio saluus fias; & quamuis demus non apponere nouum peccatum, nec ad culpam imputari quod ex illa oritur, non tamen supplere vicem fidei, Charitatis &c. aliorumque mediorum quæ ad salutem comparata sunt, immo nec efficere quin alia peccata imputentur, quæ fiunt cum aliquo dubio, id est cum opinione probabili, ne sint contra legem naturalem & huius generis actuum dubiorum quos dico illicitos, infiniti excidunt stupidissimo, & audacissimo cuique etiam Atheo, ergo suppetunt iustæ damnationis causæ, etiamsi demus ignorantiam inuincibilem excusare à peccato, non qualem admittit Caramuel etiam cum dubitatione, ne perperam agas contra legem, nisi dubitatio resolui possit in euidentem notitiam. Nam si hanc voces ignorantiam inuincibilem, nullis vnquam deerit Atheis huiusmodi excusatio, quia causabuntur se euidentem suorum dubiorum de immortalitate animæ, de existentia & prouidentia Numinis

ſolutionem non eſſe conſecutos: & ſecuri erunt ſuæ ſalutis, dum ſuis dubitationibus ſatisfecerit Caramuel, qui illos id genus ignorantiæ inuincibilis docuit, quæ excuſet à peccato, eximat à damnatione, & indiuidua ſit cum opinionibus de re ineuidenti, quæ ſciri nequeat demonſtratiuè, quales oſtendunt ſe habere, dum illis Caramuel omnem euidentis certitudinis ſpem aufert, ergo dat ſecuritatem ſalutis & licentiam ſentiendi quidquid libuerit de origine mundi, de prouidentia &c.

Dices hoc argumentum pluries repetitum, valide occupatum eſſe à Caramuele, monito ſuo Dialectico, pag. 202. vbi demonſtratione Peripatetica rejectâ vt impoſſibili & alienâ ab vſu Scholæ, nouum demonſtrationis genus ſtatuit, quo propoſitiones fidei qua tales Apodictice probentur, non ratione, ſed teſtimoniis fide tenendis. Contra hanc reſponſionem multa obijci poſſunt, nedum à Philoſophis, qui non facilè patientur nouam demonſtrationem induci, rejectâ antiquâ ab omnibus receptâ, nec admittent huiuſmodi teſtimonia fidei; ſed etiam à Theologis, quibus nullo modo ſatisfacit. Quæro enim ad quodnam genus cognitionis mediorum, pertineant huiuſmodi teſtimonia: nam tria ipſe diſtinguit, leue à quo eſt dubium, graue quod parit opinionem, & demonſtratiuum à quo eſt ſcientia. Atqui huiuſmodi teſtimonia non habent rationem medij leuis, vt vltro concedet, nec demonſtratiui: ergo pertinet ad media, quæ generant opinionem, ac proinde liberum erit opinari de rebus fidei quod libuerit, ſi ad ſecuritatem & honeſtatem vniuerſim ſufficiat probabilitas. Secunda pars argumenti in qua poſita eſt tota difficultas, multis probari poteſt: imprimis nouum & inauditum eſt teſtimonia fide tenenda, demonſtrare quæ credimus myſteria Trinitatis &c. eorumque ſcientiam parere: deinde dicitur Apoſtolos fidei miniſtros, demonſtrationum loco adhibuiſſe miracula, ergo illis deerant demonſtrationes Caramuelis: præterea communis eſt omnium Theologorum ſententia ex Sancto Thoma, fidei objectum differre à ſcibili, quod iſtud cogat ad aſſenſum, ad illud vero perſuadendum neceſſaria ſit pia voluntatis affectio, vt ſuppleat vim argumenti. Certe ſi fides etiam apud Chriſtianos induci nequeat vi probationum, niſi voluntas intellectum impellat, quid fiet Ethnicis & Impiis;

apud quod fides & fidei argumenta nullo loco sunt? Quare quidquid poterit Caramuel, totâ quâ valet Dialecticâ, admouere argumentorum, apud illos nunquam opinionis & probabilitatis fines excedet: & cum aliunde illos doceat probabilitatem quamcumque securam esse, & esse loco inuincibilis ignorantiæ, hoc secundo asserto magis à fide amplectendâ semouebit, quam omnibus argumentis possit ad illam suscipiendam impellere: & tandem eorum arbitrio relinquet fidei reijciendæ, vel amplectendæ electionem, promissâ in alterutram partem securitate. Nos multo cautiùs, multoque efficacius agimus nostris regulis, potissimum quartâ, cuius nuda & genuina interpretatio omnes argumentationum catenas, machinas à Caramuele fabricatas dissoluit & infringit: illius veritatem comprobabimus, & vim experiemur refutatione eorum quæ ex Apologemate supersunt, discutienda.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Refelluntur Appendices nouem ad Apologema.

TOTVM Apologematis robur collegit Author Epistolâ quartâ prolixiore toto reliquo opere: nam quæ præmisit illi vel adjunxit, fere sunt Parerga. Priusquam hanc Epistolam aggrediar acriori examine discutiendam, refutatis tribus prioribus Epistolis additamẽta quartæ hoc §. breui decurram, & deijciam vnicâ explicatione quartæ nostræ regulæ quam his verbis interpretor: *E duabus opinionibus, pugnantibus hinc pro lege, inde pro libertate, primum esse deligendam hoc solum nomine quod sit tuta & probabilis, non attento gradu majoris probabilitatis, nec ratione ignorantiæ inuincibilis, quam falso dicitur includere nec quia est certa veritatis; sed quia est certa bonitatis.* Addimus, sic explicatæ regulæ nunquam à summis Pontificibus dispensatum contra hanc regulam, id est contra opinionem paris aut maioris probabilitatis pro lege stantem, & stare reputatam, in gratiam partis quæ libertati, & commodo fauet.

Sic explicata regula, omnes Caramuelis euertit argumentariones, quas vere dicere possis perpetuas à Thesi propositâ exerrationes; vt mirum sit ac pene prodigio

simile, hominem subtilissimum, qui à tot annis huic controuersiæ de probabilitate, quasi Prometheus Caucaso adhæresçit, non capere, aut dissimulare mentem nostram, à quâ longissime recedit omnibus argumentis quæ fusissimè & verbosissimè prosequitur, quatuor prioribus Appendicibus ad Epistolam quartam.

Nemo sane nisi huius controuersiæ ignarus potest dubitare, quin tota contineatur regulis à nobis constitutis. Sed nulla est in quam non impegerit grauiter aduersarius. Si meminisset primæ, nempe hâc disputatione de opinionum delectu, non agi de rebus quæ ad speculationem pertinent, sed tantum de agendis & de moribus, abstinuisset à commemoratione decreti de Conceptione; quæ est extra ambitum moralium quæstionum, & fidei subsellium, quæ necessario credendis attendit non probabilibus, quorum numero aduersarius accenset hanc quæstionem. Ergo nihil refert ad subjectam controuersiam, etiamsi velis fidei materiam complecti; sed de his supersedeo, quia extra Thesim sunt, & forte plura dicentur discussione quartæ Epistolæ. Si aduersarius percepisset vim, & dimensus fuisset tertiæ regulæ ambitum, obseruasset sine dubio dispensationes Pontificias à voto solemni aliasque id genus exclusas esse à nostra disputatione. Nam quascunque solent concedere Pontifices, non exigunt ad Caramuelis, aliorumque laxorum mentem, quasi è duabus opinionibus, quarum vna stet pro lege, pro voto solemni, altera pro libertate, etiamsi paris sint probabilitatis, secundam anteponere liceat primæ. Sed id agunt sapientissimi Pontifices ex aliis regulis, maximè ex tertiâ nostrâ, cum è duobus malis, minus est eligendum: vel ex quarta quæ permittit ab opinione pro lege recedere, si dispensanti videatur esse tenuissimæ probabilitatis, quæ nequeat cum aduersâ sententiâ æquo iure contendere: hæc dicta sint obiter quia à dispensationibus repetita objectio recurret Epist. 4.

Sed grauissimè idque pluries ad minus ter aut quater in vltimam regulã peccauit: & quotquot in Appendicibus habet in nos argumenta, sunt mera sophismata & falsi huius regulę sensus, quę perinde facessũt nudâ illius explicatione. Dum statuimus è pugnãtibus inter se opinionibus anteponendã eam quælegi fauet, hoc illi jus asserimus non ratione

probabilitatis, sed securitatis causa: nam qui legi adhæret, nullum peccati & salutis adit periculum, quod semoueri vix potest ab aduersâ opinione pro libertate. Hâc genuinâ & simplici interpretatione occupauimus & euertimus duo Caramuelis sophismata. Oleum plane & operam perdit, dum ita contra nos arguit: debeo eligere probabiliorem, ergo possum minus probabilem, In hâc consequentiâ inconsequenti probandâ mirè sibi placet, & vult videri adeo acutus, vt possit extundere aquam è pumice, oleumque de saxo durissimo, & quidlibet ex quolibet elicere: inde etiam excurrit, si probabiliora sectanda sunt, præcipi à Deo impossibilia. Quis enim enumeret aut metiatur gradus probabilitatum? Ne Angelus quidem ille quem Ioannes vidit metientem cum regulâ Ierusalem celestem.

Sed hæc omnia euanescunt nostræ regulæ nudo sensu; opinionem pro lege dicimus opinioni pro libertate præferri oportere, seu majoris, seu paris, siue etiam paulo minoris sit probabilitatis, dummodo superfit illi aliqua ab argumentis & ab Authoribus non contemnenda.

Vnâ fideliâ duos parietes dealbamus, eâdem responsione valide refellimus aliud sophisma, monito Dialectico ex primâ Epistolâ pag. 15. repetitum, ibique solutum. Si ad securitatem conscientiæ sufficit opinio Fagnani quæ est probabilis stans pro lege, ergo mea ad id satis est, quæ stat pro libertate, quia idem habet jus probabilitatis. Ex falso antecedente infertur falsum consequens, non probabilitas quæcunque secura est vi suâ, sed ratione legis à quâ stat, & quæ sui amantes eximit à periculo peccati & damnationis, etiamsi non sit certæ & necessariæ veritatis: probabilitatem merito similem dixeris Hederæ se ipsa debili, quæ fundamento, arbore aut pariete fulciri debet, vt possit assurgere; ita probabilitas securitatem à peccato, à lege tantum habet, à seipsa vero, minime: tantum abest vt eam possit mendicare à commodo, à libertate, à voluptate, quibus dum fauet, ministra est Philaphtiæ, & omnium vitiorum origo.

Hinc etiam soluitur tertium sophisma numero 109. opinio quæcumque probabilis est certa: hoc falsissimum est, & venenum latet sub huius vocis *certa propositio*, æquiuocatione; aliud enim est opinionem quæ fauet præcepto esse certæ veritatis, aliud, esse certæ honestatis & se-

curam : vt qui illam sequuntur, licet indubitatæ veritatis non sit, immo forte falsa & improbabilis, nihil tamen mali & peccati incurrant. Illustrandæ tanti momenti veritati, exemplo esse possunt tres opiniones initio huius articuli insinuatæ vt improbabiles, quarum prima ad validam & vtilem absolutionem Sacramentalem requirit contritionem perfectam, altera dies festos asserit iustis perinde ac peccato lethali inquinatis, ex præcepto singulari colendos eadem dilectione Dei ex charitate, 3. lapsum in grauem culpam noui peccati accusat dilatione pœnitentiæ, qua resurgat, perinde ac furem dilata restitutione. Si quis has opiniones quæ stant pro lege secutus, cum accedit ad Sacramentum Pœnitentiæ, cum festos dies colit, vel vbi primum peccauit, prorumpet in ardentissimum Dei amorem, & idemtidem hos Charitatis & Pœnitentiæ actus eliciet, damnabisne peccati? Immo dices hunc errorem felicissimum, & quamuis sequatur opiniones improbabiles, nec Caramuel ipse negabit, certæ esse honestatis, licet sint dubiæ vetitatis, immo falsæ. Audebit ne Caramuel suis pro libertate opinionibus eam securitatem asserere, quam vindicamus valide opinionibus pro officio&lege stantibus? Sed adeo sunt in hac re dissimiles D. Fagnani & Caramuelis opiniones, vt summæ sit cœcitatis & audaciæ illas æquare, nos veriùs Apostoli verbis concludimus quod *infirmum & stultum est Dei*, ac legis, *fortius est hominibus* & libertate ac voluptate; ita plane improbabiles pro lege opiniones magis sunt certæ honestatis & securæ, quam quæcunque à Caramuele & à Dianâ probabilissimæ pro libertate inuectæ.

Hactenus soluimus tria sophismata ex appendicibus; ad quartum accedo omnium fallacissimum : dicam vno verbo vere catenam vocari quam sibi nectit & arctius implicat, dum nititur nos Ianseniſmo illigare, illius erroris putat se festucam videre in oculo nostro & ex charitate velle eruere, nec palpat nec sentit in suo trabem erroris omnium grauissimi, qui possit incautos in atheismum detrudere, à quo propius eius principia absunt quam nostra à Ianseniſmo. Quod ad nos attinet, ridemus toties obiectum Ianseniſmum, & nullâ verisimili ratione probatum, & sæpius à nobis valide depulsum. Negamus & pernegamus ex nostrâ de opinionis pro lege delectus regulâ, vllâ consecutione

inferri Deum impossibilia præcipere, quod toties obtruditur, & nunquam probatur: neque enim vt primo Sophismate dictum est, opus est scrupuloso examine graduum probabilitatis, quasi ad lancem appensæ; satis est nosse quod nec pueri ignorant, quid sit honestum, quid iustum; quo constituto constat esse tenendum, dummodo necessarium sit aut probabile, siue paris, siue maioris aut paulo minoris probabilitatis quam aduersa sententia: vnde ergo infers nos velle Deum præcipere impossibilia?

Quia, inquis, ignorantia inuincibilis non excusabit à peccato, si probabilitas non excuset, neque enim id potest, nisi beneficio ignorantiæ inuincibilis quam inuoluit; & nisi excusaret, seu probabilitas, seu ignorantia inuicibilis, Deus præciperet impossibilia, nempe vt sciamus quæ scire non possumus. Responsio hæc, quâ vnâ nititur tota causa probabilitatum pro libertate, plures habet errores quam verba: si nostræ defensionis rationem tantum haberemus, supersedendum esset à longiore huius argumenti solutione: quia plene illi satisfactum est nostræ regulæ interpretatione, de sectandâ opinione pro lege, quam omnino à quæstione de ignorantia inuincibili seiunximus, vt nihil fere commune habeant hæ duæ grauissimæ controuersiæ: deinde diximus nostram regulam posse conciliare dissidentes hac in re modernos Theologos ab antiquis sanctis Patribus. Præterea addidimus ignorantiam inuincibilem tolli non solum opinione probabili de honestate actionis, sed ipsamet dubiâ, an res quæ instat agenda cum lege conueniat, & sit permissa, aut prohibita vt ex mente omnium Philosophorum relatum est verbis Ciceronis, ipsam dubitationem rationem habere iniuriæ, vt pudendum videatur Theologo id negare de opinione probabilissima, rem esse iniquam, quod Philosophi asserunt de ipsamet dubitatione. Vnde immerito nobis obiicit Caramuel, nisi probabilitas excuset, hominem peccaturum necessario: hoc enim falsissimum est, nec alio probat argumento quam manifestâ petitione principii: quæro enim à te cur censeas, cum dubito non solum leui coniectura, sed etiam graui argumento, an iuramentum falsi cum restrictione mentali ex Tamburino licitum, sit damnandum, vt ipsemet concedis; si hoc iuramenti genus animo sic comparato vsurpem, peccem necessariò ex ignorantia inuincibili? Ego

iuxta mea principia dicam peccare quidem, idque liberè non necessariò, quia ratione dubitationis à te ipso insinuatæ, ignorantia inuincibilis tollitur, aut resoluitur in ignorantiam vincibilem, vbi primum ortum est dubium, & cum inualuit in opinionem probabilem, ac proinde sequendam, quia stat pro lege, huiusmodi iuramentum verum esse periurium. Ergo ex meis principiis ne vel minima quidem suspicio est, me peccare necessariò ex ignorantiâ inuincibili: quando quidem ipsamet dubitatio monet ab actione suspectâ abstinendum: Cur vero tu id contendis? Nempe ex tuâ fundamentali Theologia, pugnantium inter se opinionum probabilium quamlibet tutam esse, etiam si stet pro libertate contra probabiliorem pro lege: hæc tota tua est probatio, ideſt nostra thesis, id est manifesta petitio principii. Ergo tela est aranearum tua argumentatio & non catena ferrea, nisi vt te alliget & deiiciat in horrendos errores.

Sed incautũ & præcipitem in nos æstu disputationis abripi video & in profundum omnium errorum delabi aduersarium, dum inuincibilem ignorantiam indiuiduam vult esse omni probabilitati: quam sibi foueam effodit, hoc asserto? in quæ præcipitia deducit homines? certe quisquis negat ignorantiam inuincibilem posse tolli aut resolui in ignorantiam vincibilem solâ scientiâ rerum de quibus opinamur, iam pluries demonstraui quòd inde idololatriam docet fieri probabilem, atheismum securum, & ab omni periculo peccati aut damnationis immunem. Superioribus argumentis hoc nouum addo, si ignorantia inuincibilis nequeat tolli nisi per scientiam rerum de quibus dubitamus immerito Apostolus Romanorum primo inexcusabiles pronunciat antiquos Philosophos, quod cum Deum cognouissent ex creaturis, vt Deum minime coluerint, illique gratias egerint, vt bonorum omnium Authori, primæ sui, & rerum vniuersi causæ. Sed quos damnat Apostolus, absoluit Caramuel; contendo enim his Philosophis quos inexcusabiles pronunciat Paulus, non defuturam ignorantiam inuincibilem, qua imbui vult omnes opiniones probabiles, vt tutæ fiant, & ab omni peccato excusent, idque dogma Fidei putat, nec posse negari sine aperto Ianseniſmo.

Contra hanc fundamentalem Theologiam, obseruan-

dum mihi ſtatuo, monitum dialecticum aduerſarii, ne eius probabilitatem mere probabilibus, ſed omnino neceſſarijs & certis impugnem: non poteſt imprimis dubitare, quod expreſſis verbis ex Apoſtolo retulimus, antiquis Philoſophis præſtanda fuiſſe, quæ ſuâ culpâ omiſerunt religioſi cultus & grati animi in Deum officia, profecta ex notitiâ Dei à creaturis hauſtâ, illum eſſe mundi conditorem, & rerum humanarum curam habere. Addo aliud principium non minus certum: illam Dei notitiam, quæ à Philoſophis huiuſmodi obſequia exigebat, comparatam fuiſſe, vel teſtimoniis fide tenendis, vel demonſtratione Peripateticâ, vel argumentis grauibus, intra fines probabilitatis: neque enim poſſumus comminiſci aliud genus cognitionis, qua potuerint peragi rei & inexcuſabiles Philoſophi. Tertium adiungo principium, idque certiſſimum, cognitionem illam non fuiſſe, nec primi, nec ex Caramuele, ſecundi generis, ergo tertij, nempe probabilis eſt cognitio ex creaturis, ducens ad vnius numinis exiſtentiam, prouidentiam, quæ ſubinde exigeret cultum religionis, gratum animum, &c. Ergo falſa eſt tota Theologia fundamentalis Caramuelis, omnem opinionem probabilem tutam eſſe, includere, &c. Has conſequutiones euidentiſſimas non poteſt negare, niſi velit Antiquos habuiſſe Dei notitiam ex teſtimoniis fide dignis, vel ex demonſtrationibus Peripateticis: Neque enim aliud ſupereſt reſponſum aut effugium: at primum non modo falſum eſt, ſed incredibile & ridiculum: neque enim Apoſtolus Philoſophos inexcuſabiles concludit, quod fidem repulerint, de quâ nihil illis vnquam auditum, & quomodo credidiſſent ſine prædicante? ſed quod abuſi ſint notitiâ ex creaturis comparatâ: at illa, vel demonſtratiua eſt, vel probabilis, demonſtratiuam de vnitate, prouidentiâ, creatione mundi, ſe nunquam habuiſſe iurabunt Epicurus, Lucretius, nec habere potuiſſe aſſerent Nominales nonnulli, quibus ipſe Caramuel aſſentitur eodem monito, cum demonſtrationem Peripateticam dari aut confici poſſe negat: quodnam ergo genus cognitionis ſupereſt; vt inexcuſabiles ſint Philoſophi, quam probabilis, qua vna vult Caramuel omnia excuſari? Diligentius quam ſperabat, & forte optaſſet, monitum eius dialecticum obſeruaui, ſemotis probabilibus, certis & neceſſario veris cum illo egi; & eò deuentum eſt, vt vel falſus ſit Apoſtolus, dum inexcuſabiles pronunciat Philoſophos, quod creatorem ſibi notum ex cre-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [236] - 156
PUBLIC DOMAIN

turis colere neglexerint, vel deceptus sit Caramuel, cùm asserit cognitionem nec fide partam, nec demonstratione, ac proinde probabilem, tutam esse ab omni peccato, & ignorantiam inuincibilem habere, quæ quisquis negauerit, sit Ianseniſta.

Nolo expendere alias Appendices, in quibus amicorum in se congesta encomia & in D. Fagnanum, alioſque à se dissentientes probra & dedecora leguntur prope infinita: Magis sane ex charitate & modestiâ fuisset, hæc omnia à suo libro voluisse submota, aut se inscio & inuito videri inserta fuisse. Verum non est passus nos hæc de se suspicari, nam p. 203. fatetur sua operâ, hæc omnia Apologemati addita, cum hoc elogio, *paucis lineis maiorem compleƈi doctrinam, quam libros integros.* Et si constitutum erat hæc euulgari, variandus fuerat stylus, ne constaret Caramuelem potius quam amicos loqui; nec erant apponenda, quæ licet vera, vix poterant saluo pudore legi; nec intelligo potuisse salua conscientia dicere, *Crispum Borgiam libro contra Caramuelem scripto rhetoricari, & eadem diuersis verbis, quibus multa folia prodigit eloqui & contra clarissimum Dominum Caramuelem Laconice dialecticari, vno folio multas quæstiones curiosas & necessarias excitare, & ex vno fundamento tribus lineis expedire.* Cætera amicorum elogia patior vera esse, sed miror voluisse laudari à Laconismo, & à breui multarum quæstionum resolutione: cum vnam hic susceperit agitandam, & omnibus paginis incipiat, nunquam desinat, eadem vbique reponat.

SECTIO SECVNDA.

Examen Epistolæ quartæ.

ACCINGO me examini quartæ Epistolæ, quæ dimidiam operis partem conficit; & vltra centum paginas distenditur, quatuor vel quinque foliis, si pluries repetita submoueantur, in compendium sine vllo dispendio perstringenda. Orditur à causis Apologematis, quas

debuisset primâ Epistolâ aperire : neque id etiam omisit, sed oblitus se dixisse, quasi tacitum, & prætermissum apponit, vt intelligas illum impulsu magis quam meditatum ad scribendum accedere, & in illum cadere quod sapientissime Quintilianus de Senecâ, *velles scripsisse suo ingenio, alieno iudicio.* Primùm ait rogantibus amicis, penes quos erat ius sibi imperandi; vt suum de opere D. Fagnani iudicium scripto proferret, diu reluctatum fuisse, multis de causis; duabus potissimum, quod labor esset ingratus, & superuacaneus: quod vix à se obtinere posset vt calamum distringeret in virum eruditum & pium, quem amat & reueretur: deinde sibi videri scriptionem fore omnino inutilem, quod censura in Merendæ librum prohibitum à sede Apostolicâ, impenderet D. Fagnano; cui cum Merenda communis esset doctrina, & vtriusque in Theologos calamus æque contumeliosus: præterea videbat iam obruendum millenis libris, qui vndequaque parabantur: denique confixum hominem Bulla summi Pontificis de Conceptione nuper edita.

Hæc omnia commentitia sunt, D. Fagnani lucubrationes Romæ, & vbique terrarum maximo piorum & Doctiorum studio excipiuntur, leguntur auidissime: vnde verius Caramuel, à tanti viri sapientiâ, excidium timet, suis probabilitatibus hoc opere labefactatis: & dum omnes cum illo pacem & concordiam ambiunt, solus ille classicum canit, vt ad bellum quietos sollicitet & accendat. Quod Romæ in Merendam aliquid pronunciatum fuerit, ex Caramuele tantum scio, mihi satis hac in re suspecto: id mihi compertum est D. Fagnanum à Merenda differre plurimum stylo & sententiis; vt non sit illi timendum, ne censura in Merendam lata recidat in eius libros. Sed gratis omnino dictum, constitutionem postremam de Conceptione damnare sententiam D. Fagnani, quam nequidem attingit, neque ad illam pertinere iam dictum est, & aliqua addemus responsione ad 12. resolutionem huius quartæ Epistolæ.

Hæc Oratoris fuco, magis quam ex grauitate Theologi præfatus, Crambem recoctam Ianseniſini reponit, quo infectum per summam calumniam dicit Fagnanum, & ex ingenio acri & igneo, omnia sus déque miscet: nunc impense laudat, nunc criminatur aduersarium, vt mirum

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [238] - 158
PUBLIC DOMAIN

sit, potuisse vnâ paginâ complecti adeo dissidentia. Fagnanus illi est Author damnandus cum Iansenio; & statim addit *ejus lucubrationes esse doctissimo calamo scriptas & ad rerum vsum necessarias, suisque Vicarijs constituisse, vt regulam ex quâ diœcesim sibi creditam, regi volebat.* Sed illum pessime habet disputatio de probabilitate, quam vellet amotam, ne reliquum opus careat applausu, quem meretur. Sed quasi illum pœniteret opus laudasse, & correctionem illius disputationis consuluisse, monet modico hoc fermento corruptam totam massam, & alicuius Theologi operâ esse purgandam. Sed quod frequenter Historia prisca & nostri sæculi testatur, paratam insontibus pœnam in Authores recidisse, exemplo confirmat Caramuel; quam enim imprecatur Fagnano, ipsemet commeruit censuram & passum fuisse audiuimus.

ARTICVLVS PRIMVS.

Respondetur generatim ad totam Epistolam.

DIVIDIT duas in partes suam Epistolam Caramuel; primâ duodecim, quas vocat, resolutionibus, quasi quibusdam machinis & arietibus, putat se nostram labefactare sententiam, de delectu opinionis pro lege; cum ne quidem attingat: alterâ, quatuor sibi propositis objectionibus respondet. Nec felicius aut validius suam defendit laxiorem sententiam, quam nostram impugnauerit. Vna tantum nempe prima resolutio ad rem videtur pertinere, num de probabilitate disputatio, sit Canonistarum subsellij, & à D. Fagnano debuerit attingi. Iura Canonistarum propugnabimus, vbi demonstratum fuerit reliqua omnia parerga esse, & duplici vitio laborare, petitionis principij, vel ad rem nihil facere.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [239] - 159
PUBLIC DOMAIN

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Decurritur tota Epistola, & nihil probare demonstratur.

GLORIATVR sæpe Caramuel, se vnâ lineâ, vnâ distinctione, aut potius diuisione, certitudinis formalis ab objectiuâ, totam Fagnani disputationem delere; id verius in eius totum opus & maxime in hanc quartam conuenit & cadit, quam præ manibus habemus. Pauca enim & forte nulla habet, quæ ne dicam nostram sententiam lacessant, sed ne attingant quidem vno verbo: vbique extra chorum saltat. Adquid enim tanto conatu probatum it, quod vltro concedimus vsum probabilitatis licitum esse in Sacramentis administrandis, maxime cum subueniendum est puero aut adulto de salute periclitanti, habere etiam locum apud tribunalia quæcunque, apud Medicos in curandis morbis, apud Reges & Principes in Bello indicendo & gerendo, in obsequio exigendo & præstando à subditis. Quare mera calumnia est, cum D. Fagnanum grauat, quasi tribunalia quæcunque, injustitiæ & iniquitatis, bella omnia, accuset sæuitiæ & crudelitatis, artem Medicam fraudis, & omnem Ecclesiasticam authoritatem tollat. Sed cur Thesis probandæ oblitus est? Hæc omnia exigi posse ad quamcunque probabilitatem stantem pro libertate contra opinionem probabiliorem & communiorem pro lege & officio? Nec validiùs aut sincerius agit resolutione nonâ, quam septem superioribus; cum D. Fagnanum conatur contradictionibus implicare, suâ de rebus fidei necessitate medij aut præcepti credendis, sententia. Sed quid ista ad nostram quæstionem de opinionis delectu pro lege? De resolutione decimâ illud pronuntio, non minus alienam esse à subjecta Thesi, quam sit à mente SS. Patrum, illa quam genuinam & litteralem putat verborum Christi interpretatio, *Iugum meum suaue est* &c. id est lex Christi nunquam obligat, si de eius sensu sit probabilium opinionum pugna, etiam si probabilior stet pro legis vinculo. Des mihi vnum SS. Patrum vel Interpretum, cui vnquam in mentem huiusmodi loci ea venerit

venerit interpretatio, & tum assentiar tibi; sin minus id possis, dicam te nouum & quintum Euangelium euulgare vt ignotum toti Ecclesiæ. Atrox calumnia est, incredibilis & superioribus grauior vndecima resolutio, dum ais eius doctrinam sceleris accusare innumeras sanctissimorum summorum Pontificum operationes, dispensationes & leges: nec alia ratione adeo grauem accusationem probas, quam ab vsu probabilitatum generatim, quem omnes concedunt solitum adhiberi ad huiusmodi dispensationes: sed vt ad rem faceret tua resolutio, *Porro vnum erat necessarium* vt Thesim probares, has omnes scilicet leges, aut legum dispensationes prodiisse à summis Pontificibus, ex tuâ regulâ, nempe ex opinione pro libertate, contra opinionem pro honesto & officio. Sed absit eam notam sedi Apostolicæ, vt eius hostes possint vnquam inurere, nempe desertâ causâ legis diuinæ, non solum æquitate, sed etiam probabilitate superiori, captasse alicuius temporalis commodi aut voluptatis jucunditatem, si quæ vel tenuissimæ probabilitatis species fauerit.

Eiusdem furfuris, sed magis aliena à subiectâ Thesi est duodecima resolutio, seu calumnia, doctrinam D. Fagnani accusare sceleris Bullam Alexandri VII. de immaculatâ Conceptione ad instantiam Regis Hispaniarum nuper editam. Sane cum quæstio de Conceptione toto genere differat à nostrâ, quæ sit de agendis & de moribus; altera vero de probabili assensu rei, quæ ad speculationem pertineat, nihil prorsus facit ad nostram Thesim; nec aliâ de causâ videtur huc intempestiuè ascita, quam vt aduersario creet inuidiam, atque vt imponat Lectoribus magno illo Ianseniſmi & Conceptionis strepitu: & cum nequeat rem argumentis conficere, tenebras & offucias huiusmodi parergis diffundat & inducat.

Quod supereſt Epistolæ in duas partes diuisæ, priore lacessitis per calumniam aduersariis, alterâ conatur se suamque laxiorem sententiam purgare à tribus, vel quatuor notis: sed vbique illum bona fides deserit, nec meliore se defendit quam hactenus nos accusauit: vbique eodem genere sophismatum pugnat, quod Logici vocant à sensu restricto ad ampliſſimum, à specie ad genus: concedimus ab orbe condito inualuisse probabilitates, sed omnes legitimas, omnes tutas fuisse, hoc negamus, & tu ne

vno verbo quidem probas, ergo continuo Paralogisas, dum à pag. 97. ad 150. vsque, ab vsu legitimo probabilitatum pro lege stantium, putas nullum probabilitatis vsum posse timeri aut damnari. Quæcunque igitur per multas paginas congeris, hoc vitio laborant, vel pertinent ad vsum probabilitatis generatim, quem diceret Cajetanus permissiue non positiue licitum, id est aliquâ occasione posse fieri securum & honestum, cum legi & officio fauet. Si aliquod exemplum afferas consentaneum tuæ regulæ de delectu opinionis probabilis pro commodo contra honestum, non probas licitum esse & honestum.

Possemus, vt vides, abstinere à diligentiori discussione tuæ Epistolæ, cum vna fere responsione refellatur. Sed vbi in tuto D. Fagnanum contra tuum Apologema posuimus, non erit forte ingratum nec inutile lectoribus, si demonstremus te non magis tuam causam valide tutari, quam nostrã impugnaueris. Expendam igitur nostra argumenta, eorumque robur & vires experiar contra tuas responsiones, vt ex illâ collatione ac pugna magis veritas eluceat. Hoc articulo discutiemus tuam primam resolutionem quæ fere vna digna est cui aliquid temporis impendamus.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

An quæstio de probabilitate ad solos Theologos pertineat, an possit etiam à Canonistis attingi.

ÆGRE fert Caramuel quæstionem de probabilitate à D. Fagnano disputatam, *Quod sit*, inquit, *Theologica, subtilis & grauis; quod vtriusque Philosophia, supponat penitiorem notitiam, se erigat supra Canonistarum Cothurnum.* Ego contra, nullum esse scientiæ & disciplinæ genus, cui non sit opus hac de probabilitatibus controuersiâ statuo, ac proinde illius veritatem omnibus indagandam, sed præ cæteris Iuris Ciuilis & Canonici consultis; quod delectus probabilitatum magis ad vsum quam ad Theoriam spectet; quod experimentis rerum debeat potius comprobari, & possit euidentius quam argumentis; quod subtilitatibus Theologorum rei grauissimæ pondus

frangatur : quod argutiis Scholæ in fumum euaneſcat : & ſi cui tandem facultati aſſerenda ſit præ cæteris quæſtio, Iuris Canonici conſultis eſſe vindicandam. Cur ita ſentiam, cum aliqua Theologiæ, cuius myſteriis initiatus ſum, & quam profiteor, ſpecie injuriæ paucis aperiam.

Cum pluribus ſæpiſſime hac de re contuli, digna ſane omnium ſapientum indagine & ſtudio, multorum dicta excepi: ſed nulli magis placuerũt mihi, aut viſi ſunt veritatem aſſecuti, quam Iudices & ex Parlamentis noſtris Senatores doctrinæ, & integritatis fama celebriores : quos audiui ſæpius indignabundos, ac pœne execratos, arbitrarium illum à noſtris Theologis inductum probabilitatis vſum ; ſancte iurares actum eſſe de Iudiciis, de totâ ſocietate humanâ, ſi è rebus controuerſis (quales fere ſunt omnes, quæ Legum, quæ Iuris ambitu continentur) integrum ſit & tutum quam libuerit partem amplecti, eâ præſertim laxitate & licentiâ, quam me apud Dianam legiſſe, illique probari referebam : hoc ius eligendi quam placuerit ſententiam Iudices poſſe non ſolum ad amicorum commodum vſurpare, ſed etiam caro vendere litigantibus, illique ſe parti addicere, quæ plures pecunias numeret. Et ſi contingat idem cauſæ genus iudicandum alio tempore, à diuerſis actoribus, poſſe iudicem quam priori lite ſecutus fuerat, ſententiam retractare, & in diuerſam abire, ſi alliciant largiora munera. Hoc dictum volebat Diana, vi ſolius legis naturalis, non attentâ ciuili, quæ ſi jubeat iudices abſtinere à muneribus, illi parendum eſt. Hæc à Theologis tradita ex probabilitatum promptuario, non magis æquis auribus, quam apertas blaſphemias audiebant Senatores æquiſſimi & iuxta Catholici, ex Parlamento Tholoſano pietate ſummâ & integritate pari celeberrimo. Immo mihi dictum eſt ab vno, eoque ſubtiliſſimo, ſibi diligentiſſime quæſitum in ferendâ ſententiâ arbitrarium illum probabilitatis pro amico vſum, nec vſquam repertum, quod crederet ſe ſaluâ conſcientia nunquam poſſe ab opinione quæ ſibi videretur propior & magis conſentanea legi recedere ; & hoc ſibi ſummâ neceſſitate à Deo & à Principe indictum reputabat. Ego ſane pluris facio hos in iure dicundo verſatiſſimos, quam Dianam, Caramuelem, alioſque in Exercitationibus Scholaſticis ſubtiliſſimos Theologos : ſed præ omnibus audiri velim Iuris Canonici con-

sultos, & inter Canonistas vnus mihi sit instar omnium D. Fagnanus: nec hæc ex affectu priuato, vel præpostero iudicio quis à me dicta interpretur, meæ sententiæ causam aperiam, quod huius controuersiæ obscurissimæ, iudicium putem ad summos Pontifices pertinere, & ab illis decidendum, nisi forte iam olim suis decretis definierint, perpetuâ illâ ad omnes causas ambiguas responsione, cum de salute & de lege agitur aduersus commodum & libertatem, *in dubijs tutiorem partem esse eligendam.* Quinam vero ex omnibus litterarum professoribus mentem Pontificum nouerunt certius, ijs, qui Pontificia decreta die noctuque versant, interpretantur, & ad singulas paginas occurrit istud effatum, *In dubiis* &c. videntque nihil magis à Pontificum sensu alienum, quam quod comminiscuntur recentiores Scholastici, has responsiones consilia esse, non præcepta. Atque hâc vnâ solutione, qua Tyrones muniuntur, illudi sacris Canonibus ægerrimè ferunt peritissimi viri, & legum Ecclesiasticarum aut Diuinarum studiosissimi; vt mirum non sit, si interdum asperiora verba illis excidant, in eiusmodi præposteras legum Pontificiarum interpretationes.

Sed præ omnibus Iuris Canonici consultis, de hac controuersiâ disputandi jus habet D. Fagnanus, quod Canonistarum & Theologorum nulli, mens Pontificum compertior fuerit, quam recentiorum à quinquaginta annis Consiliario, & Superiorum Interpreti subtilissimo: vnde tanquam scriba doctus proferat de Thesauro suo noua, quæ ex ore quinque aut sex Pontificum hausit largissime, & quæ ex antiquorum decretis continuâ lectione collegit: vt Volusianus de Augustino, quæ ignoraret legi deesse, nihil dubitauit asserere; ita quæ nescit D. Fagnanus è Iure Canonico, in legibus Pontificiis desiderantur

Sed imperitus est (inquit Caramuel) rerum Theologicarum, & quæstionum Metaphysicarum; miserabiliter confundit probabilitatem cum certitudine, aut improbabilitate, necessitatem medij cum necessitate præcepti &c. Non poterat Caramuel infelicius instituere hallucinationem Fagnani de rebus Philosophicis ac Theologicis Catalogum, quam exordio à calumniâ apertissimâ: ex hâc vnâ & primâ discimus omnes. Asserit apud Fagnanum miserabiliter confundi certitudinem cum moralitate, quamuis passim

toto genere diuidat & numero 99. distinguat vt causam ab effectu. *Ex hoc fundamento apud aduersarios inconcusso, deducunt* (inquit venerabilis Senex) *omnes suas conclusiones: qui eligit quod probabile est in actibus humanis, prudenter non temere agit. Quare tota vis præsentis disputationis versatur in hujus asserti principij intelligentiâ; in moralibus sufficere certitudinem ex probabilibus.* Sed magnam his verbis latere ait fallaciam; aliud *enim esse mones accurate obseruandum, sufficere ad rectitudinem moralem ex probabilibus certitudinem, aliud sufficere certitudinem probabilem.* Hæc enim duo differunt vt causa & effectus, quia certitudo moralis est ex probabilibus, non seorsim sumptis, sed simul junctis, atque hâc consensione & conuenientiâ, plurium testium aut argumentorum, res fieri potest certa moraliter, & idonea ad honestatem moralem, quare nulla est hæc consequentia, certitudo moralis consurgit ex probabilibus; ergo probabilia sunt moraliter certa. Est enim Sophisma quod vocant à sensu collectiuo ad diuisum: probabilia multa si jungas, certitudinem moralem efficiunt, quæ sufficiat ad verum practicum, & ad dictamen prudentiæ; si diuidas, non exeunt probabilitatis, seu formidolosæ cognitionis fines; quia vt dicitur quæ non prosunt singula, multa juuant, maxime si conspirent & in vnum rei finem tendant. Falsa est igitur prima accusatio certitudinem moralem ex Fagnano cum probabilitate coincidere: verum quidem est ex probabilibus junctis ascisere certitudinem, sed addit distingui vt à suis causis, vel toto genere differre probabilia à certis.

Mirum est secundo loco objici quod Caramuel ipse manifeste peccat, apud ipsum necessitatem præcepti, confundi cum necessitate medij. Diligenter quæsiui apud Caramuelem hoc distinctionis genus summe necessarium ad subiectam controuersiam, vt præ omnibus obseruauit Suares & nos multis locis notauimus, sed apud Caramuelem nunquam legi nisi vt D. Fagnano illius insciti am impropereret. Iniquior est tertia calumnia: *Honestatem actus cum honestate objecti, bonitatem formalem cum materiali, malitiam absolutam cum conditionatâ, miserabiliter à Fagnano confundi:* in quo non minus sit culpandus, quam si quis de cane latrabili enuntiet quæ de sydereo, aut Bellico passim leguntur apud Astronomos & Architectos. Hic ite-

rum respondeo quod alio loco dixi: Caramuelem in alieno oculo festucam obseruare, nec in suo trabem sentire. Non ignorat D. Fagnanus Analogorum, quæ vocant attributionis, rationes & leges, vt plura idem nomen sortiantur ab vno quasi fonte & capite, cui sit eximium & singulare. Nihil opus habemus doceri à Caramuele veritatem vni inesse iudicio mentis, sicut bonitatem aut fini, aut voluntatis affectibus, & sanitatem solis animantibus conuenire, & inde nomina veri, boni, sanique deducta illorum causis, significque attribui, Dialecticæ Tyrones, non ignorant à veritate formali, quæ insit iudicio res dici, veras objectiue vt mensura, causaque veræ nostræ cognitionis, propositiones autem seu voce, seu scripto expressas veras dici, quod mentis conceptum significent; eademanalogiâ à sanitate & incolumitate corporis humani, sana dicimus remedia, quod causæ sint sanitatis effectrices, sanam dicimus crisim, quod sanitatem prænunciet: eadem deriuatione nominum à bonitate finis media propriæ bonitatis vacua, bona appellamus à bonitate formali affectus; objecta bona censemus eodem plane sensu, quo remedia diximus sana appellari. Hæc est mens D. Fagnani; quid habet quod carpat Caramuel? sed falsam accusationem verissimâ depulimus; ille paradoxo nouo honestatem actus non solum distinguit à bonitate objectiua, sed quod inauditum est apud omnes (nisi forte apud Caluinistas, qui se priuato spiritu gloriantur credere quæ verbo Dei nullo aut scripto aut tradito extant, id est se formalem veritatem sine vlla objectiuâ consecutos) Caramuel contendit honestatem, veritatemque actus seu formalem constituendam, cui nulla objectiua respondeat, & hanc subtilitatem Scholasticam vitio vertit Fagnano ignorasse: sed gloriari posset se id nescire quo vno Caluinistæ sese in omnium errorum voraginem præcipites, & transuersos agunt.

Sed esto vincant Theologi Canonistas, vincat Caramuel Fagnanum peritiâ rerum & distinctionum Metaphysicarum; cedant illi omnes necesse est Pontificiarum constitutionum & disciplinæ Ecclesiasticæ scientiâ; vnde repetenda est tota hæc controuersia; quis enim nesciat hîc quasi proram & puppim esse, has vtriusque iuris dignitates, primam in dubiis tutiorem partem esse eligendam, alteram vero qua nihil frequentius ipsi vsurpant, de iure potiori

possidentium. Hoc vero differunt ista duo axiomata, quod prius de dubio aduersarios impugnet, eiusque sit illis sustinendus impetus, è contra vero nos lacessant iure possidentis quod in legis ambiguo seu controuerso sensu, standum, pro libertate esse contendunt: hoc duplici quasi axe, tota disputatio voluitur, sed Fagnanus à numero 170. vsque ad numerum 289. argumentis euidentissimis demonstrat Theologos recentiores, qui probabilitatis vsum laxarunt, verum latuisse sensum harum regularum, quibus totum fere ius humanum, diuinumque complexi sunt summi Pontifices, & contra illorum mentem vtramque falsasse, priorem quidem nimiâ restrictione, posteriorem laxatione supra omnem modum effreni. Quid ergo solidi & veri adstruere possunt in hâc controuersiâ, cuius duo fundamenta à summis Pontificibus constituta conuellunt?

Articvlvs Secvndvs.

Prima classis argumentorum pro delectu opinionis à lege stantis, ex principiis communibus prudentiæ & conscientiæ.

Carpit passim Caramuel D. Fagnanum, quasi logicæ ignarum, iactat vna linea se omnes eius argumentationes delere; accusat illotis manibus contigisse quæstionem inconcessam Canonistis, solis Theologis permissam & eximiam. Operæ pretium me facturum puto, si argumenta D. Fagnani, & Mercori, ordine & methodo commoda Lectori, in varias classes distincta, ad pugnam in aduersarium educam: quæ cum ne quidem dignatus sit referre, & vix quidquam, nisi contemptim, ad illa reposuerit; refellam, non quæ dedit solum, quæ pauca ac penè nulla sunt; sed quæ etiam comminisci posset responsa. Quæcumque verò Mercorus & Fagnanus argumenta habent, ad quatuor capita reuocantur; veluti quadrato agmine aduersarios impetunt: primùm repetitur per locum intrinsecum, ex principiis prudentiæ, & conscientiæ, quibus malè conuenit eum probabilitatibus stantibus pro commodo, contra honestum. Secundum etiam à priori, sumitur ex diuersis vitæ humanæ & Christianæ institutis,

qualia sunt Medici, Iudicis, & probi hominis ac Christiani, qui certiora vbique sectantur, & minus tuta fugiunt. Tertium per locum extrinsecum, conficitur variis testimoniis Scripturæ, Iuris, Patrum & Theologorum in idem concinentibus, nempè in dubiis tutiorem partem ex præcepto, non ex consilio tantùm, eligendam. Vltimò quasi à posteriori arguitur, à malis quæ liberior probabilium opinionum quotidiè parit electio. Iis quatuor argumentorum generibus continentur egregiæ Fagnani & Mercori disputationes quarum nedullam, compendium & Apologiam dabimus. Vis prioris argumenti in hoc posita est, prudentiæ (seu quod idem est) conscientiæ iudicium vltimum, & dictamen de agendis, firmum esse oportet, excluſa omni dubitatione aut formidine, ne honestum lædas commodi & voluptatis gratia, ne in legem Dei pecces, ne ab officio priuato iudicis, vel communi hominis Christiani, recedas: atqui ab hoc certo iudicio, longissimè abest opinio quæ libertati fauet, minor aut par probabilitate illi, quæ salutem & officium in tuto ponit, ergo est contra leges prudentiæ & conscientiæ, priores opiniones his posterioribus anteponere. Hæc est summa argumentorum primæ classis cuius partes breui expendam.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Probatur maior seu prima propositio argumenti, certitudinem requiri ad dictamen conscientiæ.

OBIECTVM & dictamen firmum esse oportere; seu quod perinde est, eum qui prudenter agit, neque ignorare neque dubitare posse, sed pro comperto habere, opus suum licitum esse & honestum: Hoc apertè conuincitur, ipsa prudentiæ definitione, quæ ex Aristotele 6. ethicorum, est recta ratio agibilium: ex August. lib. 83. quæstionum, est cognitio rerum operandarum & fugiendarum: est etiam perfectissima virtus, immò & forma virtutum omnium moralium, quæ proinde debet certo & infallibiter attingere suum obiectum, seu bonum honestum, & conueniens homini, quatenùs ratione ducitur & præstat

cæteris animantibus. Id verò nequit prudentia, quandiu eius iudicium nutat, quia recta ratio dictat, quæ sunt vera & honesta: quandiù verò suspensa est, aut cum formidine in vnam partem prona, quasi fortuitò attingit verum & honestum, à quo sentit se posse aberrare. Vnde si operi se accingat animus cum hac formidine, imprudenter agit; quia incertus est an sibi sit nociturus; & obiiciet se periculo grauis damni. Oportet igitur obiectum prudentiæ certum esse, & sine hæsitatione, illi firmo iudicio adhærere. Neque propterea æquanda est scientiæ prudentia, quasi paris sit cum illa certitudinis: multis enim ab eâ distat gradibus; quatuor potissimum, quos subinde numerabo; omnes ab hoc primo discrimine deriuantur, quod scientiæ vndequaque necessitas, & firmitas, insit à se & ab obiecto: quia incorruptibilia percipit certâ & necessariâ demonstratione: prudentia verò necessariis & indubitatis regulis contingentia subiicit: dum quis intuetur corpus singulare coloratum, licet corruptibile sit; certus est se illud videre; ita prudentia, operis quod momento perit, certo ictu & iudicio honestatem, omni sublatâ dubitatione attingit. Etsi quando scriptura prouidentiam humanam à diuinâ distinguat, quod nutet & incerta sit; de euentu interpretandum est, non de obiecti honestate; quia interdùm sana & sancta consilia, infaustos exitus habent; sed quamuis euentus sit incertus, imò veritas non sit omninò comperta; eius tamen honestas est indubitata. Licet non certo sciam immò falsum sit, perfectam contritionem esse vnicum, homini in peccatum lapso, præsidium & remedium, quo veniam consequatur, & credibile sit, attrito validè remitti peccatum absolutione sacramentali: Ego tamen perindè curabo contritionem illam elicere, ac si ab illa vna possem iustus & saluus fieri: esto fallatur qui enititur conteri, quasi ad veniam hoc sit illi vnicum remedium, nihil tamen peccat, immò certus est honestatis illius actus, quamuis dubitet an contritio sit vnicum medium ad salutem, quod ipse vt vnicum arripit. Ex hac primâ, certitudinis scientiarum & prudentiæ differentia existit altera, quod scientiæ certitudo omnimoda sit, siue causas proximas, siue communes attendas: neque enim conuenit, nisi rebus æternis & incorruptibilibus: prudentiæ verò quæ competit necessitas, moralis est, & nascitur ex pluribus probabi-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [249] - 169
PUBLIC DOMAIN

libus aut ex variis hominum teſtimoniis; quæ licet ſeorſim ſumpta, vel ex communi conditione hominum (quibus fallere & falli ingenitum eſt) ad ſummum probabilia ſint; ſi tamen inter ſe conueniant, vix te in errorem inducent. Atque hoc certitudinis infrà ſcientificam gradu, ſiſtit prudentia: neque maioris appetens, neque minore contenta, ad rectam operationem; quæ nequit conſtare, niſi ſit ex certa conſcientia. Quod nonnulli putant conuinci illo Romanorum 14. *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Vbi gloſſa, *fides noſtra vult vt homo agat hoc quod bene intelligit eſſe agendum; & peccatum eſt quod aliter fit, quàm probatum eſt.* Conſcientiæ ergo iudicium, idem eſt ac prudentiæ dictamen, quo actio humana dirigitur; atqui iudicium conſcientiæ certum eſſe debet, ergo & prudentiæ. Conſequentia probatur & minor. Qui incertus agit, amat periculum, in quo periturus eſt, Deum contemnit, ſicut is ſpernit amicum, ſi ab eâ operatione nolit abſtinere, à qua timet ne lædatur.

Ex duabus ſuperioribus differentiis, ſcientiæ inter & prudentiæ neceſſitatem, adiungimus tertiam, quod ſcientiæ certa veritas, metienda ſit obiecto in ſe immutabili & neceſſario; prudentiæ vero, deſumi & hauriri debeat, à recto appetitu probi hominis, in finem & honeſtum bene affecti. Cum enim prudentiæ ſit curare, & præcipere homini, quid ex officio agendum ſit, ad finem conſequendum: & hoc lege æternâ in ſe ratum & conſtitutum, interdùm à nobis ignoretur, & aliundè inſtet occaſio, & tempus illud implendi, non poteſt certior & tutior ad inquirendum ratio ſuppetere, quam ſi conſulatur probi & ſapientis hominis, omni prauo affectu purgatus, ad bonam mentem, atque ad finem honeſtum propenſus, atque ad officium accinctus animus. Et hoc maximè differt prudentia, à duabus aliis ſibi conſortibus mentis virtutibus, nempe ab arte & ſcientia; quod iſtæ intellectui dent tantum operandi rectè, iuxta proprias cuiuſque regulas facultatem, non ſtudium & affectum: at prudentia aliæque virtutes morales, quæ hominem ſtudioſum faciunt, non ſolum vim & poteſtatem conferunt rectè agendi, ſed etiam affectum accendunt. Hinc fit eum peius contra prudentiam peccare, qui volens & ſciens perperam agit: at contra ſcientiam & artem, hic leuius cenſetur errare, qui ele-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [250] - 170
PUBLIC DOMAIN

ctione non ignorantia, aut impotentia, ab earum legibus recedit. Non peccat contra grammaticam, qui volens & ex industria solæcos miscet orationi, vt simulet se imperitum, & barbarum agat; sed qui inuitus & nescíens in illos errores impingit. Hinc etiam fit demonstrationi Mathematices, aut artis operi, nihil deperire, quocumque statu sit animus, aut quocumque affectu, vel fine ducaris, seu lucro, seu vanæ gloriæ, seu veri studio: at prudentia maximè exigit, vt sedatus sit animus, nulli perstrepant aut dominentur immoderati affectus, appetitus in finem feratur; nec prudentiæ consilia & præcepta respuat, vt media quæ præscribet eligat & probet, ergo à lege æternâ, vel ab appetitu recto finis, tanquam à legis ęternę vicariâ facultate, petendum est certum prudentię & conscientię dictamen.

Ex eodem fonte hauritur quartum, scientiam inter & prudentiam discrimen, quod in scientiarum serie & ordine, tota à principiis euidentia, & certitudo, deriuetur in conclusiones; ita vt si principia vel minimum nutent, vel aliquid obscuri habeant, illud vitium necesse sit conclusionibus inhęrere, nec aliundè curari possit: at prudentiæ res paulo aliter se habent; licet interdùm nutet principium, & de illo dubites, potes aliundè conclusionem certam habere, ex variis titulis, & à possessione, ab vsu Ecclesiæ, à necessitate grauius malum euitandi, certitudinem accersere. Cuius rei innumera suppetunt exempla, & iam plura dedimus in re Sacramentaria. Quis neget multo probabiliorem esse hanc formam baptismi ex Caietano, Ego te baptiso in nomine genitoris, geniti, &c. quam sit materia ad idem Sacramentum, aqua ex sale defluens, aut expressa? sed quamlibet sit dispar vtrimque probabilitatis ratio communis, & speculatiua; si formam illam adhibeas citra necessitatem, omissâ communi, non minus peccabis, quam si eadem vrgente necessitate, renuas puerum moriturum cum aquâ ex sale baptisare. Sed dum adeo dubiam materiam adhibes, vt necessitati & saluti consulas, vel citra necessitatem à formâ probabilissimâ abstines; quid ni potes opinari incertam esse materiam, qua vteris, & quam non audes formam vsurpare, validam esse? Vnde constat diuersissima esse iudicia in vniuersum de re sacramentaria, à particularibus: cum hæc certissima sint;

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [251] - 171
PUBLIC DOMAIN

illa dubia, aut ad ſummum probabilia; & interdùm illa probabiliſſima ſint, & iſta improbabilia, vt ſatis exemplo allato patet. Non minus commodum ad rem iſtam exemplum ſuppeditant militaturus Regi ſubditus, aut alienigena. Vt ſe illi ſacramento addicat extraneus, oportet compertum habeat, bellum quod Rex ſuſcipit, iuſtum eſſe: at ſubdito ſatis eſt, ſi illum lateat iniuſtum eſſe. Et quamuis id ſuſpicetur, aut probabilius ſentiat, ſi ad militiam Rex vrgeat, poteſt & forte debet parere; quia ad eius officium pertinet, potius mandata Principis implere, quam anxiè inquirere an iniuſta ſint. Quis filium ab obſequio & reuerentia in patrem liberet, quamuis vehemens ſit ſuſpicio ex adulterio natum? His & ſimilibus exemplis quolibet argumento validioribus, contendunt Theologi, contra Ioannem Sanctium & Paſchaligum, poſſe ſtare dubium ſpeculatiuum de valido Sacramento, de iuſto bello, de patre incerto, & tamen iudicium prudentiæ practicum certum eſſe. Non poteſt negari, baptiſmum cum formâ & materiâ dubiâ, ſi aliud non ſuppetat remedium ad ſalutem morituri, eſſe neceſſarium; non licere ſubdito detrectare militiam, quamuis ius belli ſit dubium; neque filio recuſare obſequium incerto patri. Sed inquies, quì fieri poteſt vt concluſio certior ſit principio, ſeu effectus perfectior causâ, cum quidquid habet neceſſitatis, aut virium, à principio, vnde oritur, mutuo accipiat? Id veriſſimum eſſe de progreſſu ſcientiarum, & aſſenſu ſpeculatiuo iam monuimus: ſecus eſt de agendis, quorum iudicium ex prudentiâ completum eſt, & omnibus attentis ſtatuit, quid pro tempore facto ſit opus: vnde ſi caſus vrgeat, ſi auertenda ſint grauiora mala, dubiis & incertis, omni dubitatione ſemotâ, vtendum eſt; quæ niſi excuſet neceſſitas, ſacrilegio vix carerent.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [252] - 172
PUBLIC DOMAIN

Paragraphvs Secvndvs.

Probatur Minor, seu secunda pars argumenti; hanc certitudinem prudentiæ deesse sequentibus opinionem probabilem pro libertate.

Hanc prudentiæ, & conscientiæ certitudinem, asserit Mercorus octo articulis prioris partis, & euincit decem aliis, hunc gradum certitudinis repugnare opinioni minus probabili, quæ libertati studet, contra præceptum. Summa autem omnium probationum, quas fusè decem articulis prosequitur, nempe duobus vltimis primæ partis, & secundæ octo prioribus, hac argumentatione continetur. Opinio probabilis stans pro libertate, potest attēdi vel secundum se & solitariè, vel collata cum opinione aduersâ, æque aut magis probabili, quæ præcepto & saluti consulit: atqui neutro statu potest habere certitudinem illam moralem, quam conscientiæ & prudentiæ vindicauimus, vt necessariam ad rectam operationem: ergo nullâ ratione, competere potest opinioni probabili, certitudo moralis, quam illi asserunt recentiores: ac proinde negant minorem; sed probatur quoad singulas partes; & quoad priorem quidem, si opinioni probabili competat illa certitudo moralis, vel illi inest à seipsâ, seu à principio vniuersali, à quo pendet & deducitur, vel ab aliquo principio extrinseco, quale est illud, in baptismo collato cum materiâ dubiâ vrgente necessitate, ex illa regula, quæ cogit dubium etiam Sacramentum administrare, nempè è duobus malis minus esse eligendum; atqui ex neutro capite potest repeti hæc certitudo moralis, ergo electio opinionis probabilis pro libertate stans, non potest esse à prudentiâ & conscientiâ.

Vt probetur Minor, & liberior sit disputationis cursus, atque apertus scopus, quo omnes probationes colliment, sumamus exemplum à pictore, qui diem festum audito sacro totum impendit tabellæ pingendæ; non potest esse immunis à reatu diei festi violati, si dubius hæserit, an sibi liceret eo die pingere; nisi certus fuerit moraliter, nihil mali aut peccati inesse huic operi. Vnde vero hanc cer-

tam persuasionem habet? non ab aliquo principio extrinseco, quale est illud sæpius memoratum, de eligendo minori malo, verbi gratiâ operis alicuius die festo conficiendi vt familiæ oppressæ consulatur: quia ab hac disputatione submouemus quoscumque necessitatis casus, & rem ipsam propriis meritis ac principiis metimur. Quo ergò fundamento nititur, illa persuasio picturam illicitam non esse die festo? non rectitudine voluntatis ad finem honestum, & ad pietatem propensæ, vndè diximus interdùm validè firmari iudicia prudentiæ; quia stat contrà piorum sensus & reuerentia in res sacras, vnde non superest aliud cui innitatur, certa illa persuasio pictoris, quam propositio generalis hæc, non est illicita pictura die festo; quæ ad summum supponitur probabilis, non indubitata, atqui ex illâ non potest deduci certa conclusio prudentiæ: quia manifestè repugnat regulis logicæ, certiorem esse propositionem particularem, generali, cui subordinatur, & innititur, vel firmiorem conclusionem qualibet præmissarum, cum debiliorem sequi debeat: ergo nullâ ratione fingi potest, iudiciũ prudentiæ certum, hauriri à propositione generali dubia probabili.

Hanc certitudinem necessariam ad humanarum actionum honestatem, prudentiæ singularem, & ab ea alienam esse opinionem, vt stat pro libertate, seu solitariè sumptam, seu pugnantem cum aduersâ pro lege, probat D. Fagnanus. Primum quidem de opinione probabili solitariè sumpta, à numero 44. ad 124. viginti sex argumentis, & solutionibus nouem objectionum; opinioni vero pugnanti cum aduersâ, repugnare certitudinem moralem, conuincit septemdecim argumentis 125. vsque ad 171. prioris vero quæstionis statum; & quo omnia eius argumenta colliment, egregie declarat numero 110. eam à se impugnari opinionem pro libertate, quam vbi quis nactus fuerit suis affectibus indulgentem, & inseruientem commodis, illi mordicus adhæret, nec quidquam curat inquirere contrariam, vel illam moratur, quamuis probabilior sit & tutior; sic apud se reputans vt prudenter agam, vel saltem errorem & peccatum euitem, satis mihi est, opinionem quam sequor probabilem esse, aduersam nec inquiro, nec curo. Quisquis ita adhæret probabilibus, assumit probabilitatem in finem & regulam suarum operationum, quod illicitum esse multis probat. Sed omnia argumen-

ta continentur his verbis Eccles. 32. *Ante omnia opera verbum verax præcedat te, & ante omnem actum consilium stabile.* Quæ egregiè conueniunt prudentiæ moralium virtutum primæ; repugnare vero opinioni, probat numero III. octo differentiis constitutis prudentiam inter & opinionem, quod illa virtutum forma, ad rectum & verum non qualecumque, sed stabile, certum, inuariabile ferratur. Opinio vero indifferens sit ad verum, falsum, rectum & obliquum, & si quando ad verum tendat, illud cum formidine attingat, ideoque est extra genus virtutum.

Paragraphvs Tertivs.

Duplex Responsio ad argumentum 1. reijcitur; 2. explicatur.

HÆc probatio adeo visa est efficax & aperta Vasquesio, vt maluerit asserere, formidinem non repugnare iudicio prudentiæ, quam adeò euidentem consecutionem negare. Ac si ita sit, licebit etiam dubiâ cõscientiâ agere, quę propemodum nihil differt à judicio formidoloso, ne quod verum aut rectum apparet, falsum & prohibitum sit. Vnde reliqui probabilitatum patroni, aliam defensionem tentant. Volunt igitur adjuncta reflexione supra probabilitatem tanquam motiuo & principio vniuersali certissimo, quo ratum & compertum habeat, qui sequitur doctrinam probabilem esse, se rectè operari, siue illa probabilis doctrina stet pro libertate, siue pro præcepto, vel habeat contrariam æque ac magis probabilem. Hac responsione continetur tota aduersariorum causa: illa reflexio est illis loco teli & clypei, qua lacessunt aduersarios, aut illorum impetus repellunt. Atque vt iste probabilitatum vsus, sit illis in promptu & ad manum, quasi quidam gladius habilis & versatilis; duo maximè obtendunt, primo nostræ facultatis esse & arbitrij, probabilibus assentiri: sicut enim è pluribus mediis, potest voluntas minus conueniens & vtile eligere, ita etiam è multis probabilibus, potest ea quæ sunt paris, aut maioris probabilitatis, postponere minus probabili. Imò hanc licentiam eo promouent, vt putent posse nos vtrique parti contradictoriarum, simul

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [255] - 175
PUBLIC DOMAIN

assensum præbere; nec minus licitam censent, quam liberam & vagam huiusmodi probabilem electionem, nec quicquam mali aut periculi putant, si æquè aut minus probabilia, quæ libertati fauent, anteponas his quæ paris, aut maioris sunt probabilitatis, & conformiora sunt legi, seu, quod perinde est, appetitui recto hominis probi. Hæc sunt præcipua fundamenta, & arma, quibus probabilitatum defensores fidunt. Sed contra stant, qui tutiora & viciniora saluti sectanda esse docent, & contendunt validissimis argumentis, nec possibilem, nec licitam esse huiusmodi probabilium electionem, siuè solitariè sumantur, vt stant pro libertate contra præceptum, siue conferantur cum aliis æque probabilibus, quæ legem & honestum in tuto ponunt.

PARAGRAPHVS QVARTVS.

Impugnatur communis responsio recentiorum, ex reflexione supra probabilitatem, falsò asciscens certitudinem conscientiæ.

ATQVE vt paucis summam totius disputationis hinc & inde acerrimæ, oculis lectorũ subijciamus, id maximè obseruandum est, mentis statum quadruplici gradu distingui: vel enim in errore & ignorantia versatur, vel dubia est, & anceps hæret verum inter & falsum, nec in vnam magis inclinat partem, quam in alteram, propter inopiam rationum, vt contingit in problematicis ex Diuo Thoma quæst. 14. art. 1. de verit. vel propter paria momenta rationum, quæ animum perindè suspensum, & fluctuantem, inter duas partes contradictionis, distinent, sicut paria pondera stateram in æquilibrio ponunt. Tertius mentis gradus est, cum in vnam partem ita inclinat, vt positiuam formidinem & certè negatiuam adjunctam habeat, ne fortè altera contradictionis pars vera sit. Quartus & vltimus mentis gradus, & quasi culmen, est cum semoto falsi metu, certo assensu aut iudicio adhæret veritati. Omnes quotquot de conscientia scripserunt Theologi, conueniunt, hunc vltimum gradum esse tutissimum, secundum vero animi dubij, esse periculosum, & ad casum & ad peccatũ pronum & præcipitem: tertius animi opinãtis, medius est inter

secundum

secundum & vltimum, sed vicinior secundo quam quarto. Ac proinde nihilo ferè minus est periculosus quam dubius, & anceps, inter verum & falsum fluctuans. His quatuor gradibus, animi, ab inscitiâ & errore ad veri studium assurgeris, secundum propriam cuiusque rationem constitutis, facile est duo aduersariorum fundamenta conuellere, & argumentis inde petitis, demonstrare illum probabilium quem fingunt assensum, omninò impossibilem & commentitium: & quamuis admittatur fieri posse, semper esse illicitum, nec magis peccato carere quam operationem ex dubiâ conscientiâ.

Paragraphvs Qvintvs.

Repugnat assensus opinatiuus vtriusque partis simul.

Imprimis quod Sanches & Paschaligus nimio probabilitatum affectu asserunt, posse intellectum ad arbitrium voluntatis vtrique parti contradictoriæ simul assentiri, merito vt incredibile reiiciunt Layman & Brezerus, & contradictorium demonstrat Mercorus partis secundæ duobus prioribus articulis. Quid enim est opinari, nisi quod Diuus Thomas definit, intellectum vnam partem approbare, & illi, spretâ alterâ adhærere? Id vero fieri repugnat, si vtramque approbet: ergo implicat simul de vtraque opinari. Quod euidentius est alterâ assensus opinatiui, Diui Thomæ definitione. Is enim dicitur assensus opinatiuus, qui intellectum ab vtrâque contradictionis parte, suspensum & indifferentem ad alteram determinat: si ergo vtrique per assensum opinatiuum adhæreret, non solueretur eius suspensio ad vtramque partem, sed partim esset determinatus, partim indifferens. Propterea nihil certius hoc principio, si vna pars contradictionis est vera, alteram esse falsam: Atqui is qui opinatur de vnâ parte contradictionis, censet veram esse, ac subinde contrariam falsam esse, si ergo illi etiam adhæreat opinatiuè, censebit falsam esse simul & veram, quo nihil potest dici absurdius. Sed qui hanc de probabilibus contradictoriis, versatilem opinandi libertatem, nobis asserunt, manifestâ

æquiuocatione decepti sunt, vt monet Cardinalis de Lugo disputatione 10. de Fide 1. nec aduerterunt, hæc duo diuersissima esse, credere conclusionem aliquam esse probabilem, & illi probabiliter assentiri, prima enim propositio est modalis, secunda est de inesse, & qui propositionem inter probabiles accenset, potest contrariam probabilem iudicare, non tamen credit veram esse assensu probabili, alioquin haberet assensus duos probabiles de objectis contradictoriis: vnde nihil prohibet iudicare vtramque contradictoriarum probabilem esse, seu probabilem videri, & defendi probabiliter à suis authoribus. Sed ille sensus ad hanc quæstionem nihil pertinet, quæ id maximè inquirit, an idem intellectus, possit vtrique parti, simul assentiri vt veræ, quod manifestam præ se fert repugnantiam. Quæ nos paucis perstrinximus, D. Fagnanus quæst. 2. parte 1. locupletauit tanta vbertate doctrinæ & subtilitate, vt mirum sit, Caramuelem illi obijcere insciti am rerum Theologicarum, cum hoc vno loco prouocare possit subtilissimos quosque Philosophos ac Theologos: ex Aristotele variis locis, probat differre judiciũ de probabilitate, & veritate opinionũ sibi contradicentium, quatuor potissimũ differentiis, quod iudicium de probabilitate sit euidens, de veritate sit formidolosum & obscurum; illud quisquis habet etiam de vtrâque contradictoriâ neutram sequi potest, aliud enim est, iudicare vtrique parti vim inesse, qua possit ad sui assensum deducere ignarum, aliud reipsâ finere se duci. Primum significat, vt cum Capreolo loquar, simultatem potentiæ, impulsiuæ ad assensum, quam inesse cuique parti quid vetat? Dari vero assensum de veritate vtriusque partis, perinde repugnat, ac contradictoria simul esse vera, & assensum dissensumque, eâdem de re jungi simultate actus. Hinc aperit deceptionem illorum, qui hæc duo iudicia confundunt, & valide refellit Sanchem, & Vasquem, quorum primus contendit assensum de vtriusque partis veritate formidolosum, per principia intrinseca admitti posse, alter vero id negat, licet concedat haberi posse per principia extrinseca. Sed egregie Gregorius Ariminensis Propositiones contradictorias, non posse veras fieri, etiam à diuersis causis, inde probat, quod alias ego & tu efficeremus duo contradictoria esse vera, quod fieri etiam à Deo repugnat. Hæc omnia complexus est Aristoteles 2. de

Anima text. 153. constituta hac differentia inter imaginationem, & opinionem, quod illa instar pictoris ad libitum pingentis, possit quidquid volumus fingere, & *opinari autem*, inquit, *non est in nobis*, necesse est enim, verum, aut falsum dicere, instar pictoris formantis archetypium, cuius si assequatur similitudinem, verus est, si ab eâ recedat falsus. Ita de opinione statuendum ex Aristotele qui concludit non esse in nobis opinari, quid necesse est aut verum aut falsum, non ad libitum, sed secundum rei merita.

Paragraphvs Sextvs.

Impossibilis est assensus certus vnius partis, si altera sit majoris aut paris probabilitatis.

Sed paulo difficilior est, altera pars huius disputationis, an ita nostræ sit facultatis probabilibus assentiri, vt liberum sit ex his quæ paris sunt probabilitatis, eligere quod libuerit, vel minus probabilia, probabilioribus anteponere. Ita sentiunt probabilitatum defensores, & probant insinuato exemplo voluntatis, quæ è pluribus bonis & mediis paribus, potest quod placuerit, vel ex inæqualibus, minus conueniens bonum eligere. Displicet etiam ipsis exemplum stateræ, quâ mens librata paribus rationum momentis, in neutram possit se flectere; sicut nec statera cum ex vtrâque lance par vrget pondus. Quæ enim, inquit Spinula, conuentio facultatis liberæ & animatæ ad rem inanimem & libertatis expertem? Sed contra aduersarios hæc eadem exempla & argumenta intorquentur.

Nam primo quod spectat ad exemplum de voluntate, Diuus Thomas apertè negat, eius esse facultatis & libertatis, electionem ex omninò paribus & eiusdem conueniẽtiæ mediis, facere. Ita docet 1. 2. quæst. 13. art. 6. ad 3 quem præter discipulos omnes sequitur Vasques. Sed quidquid sit de voluntate, longè diuersa est ratio probabilium, & assensus intellectus. Ideo namque voluntas potest liberè eligere alterum objectorum, seu mediorum paris bonitatis & conuenientiæ; quia adeo sunt disparata seu diuersa, vt ex bonitate vnius nihil pereat bonitatis alterius. Et si probabilia ita se habeant, vt sint omninò diffita seu

disparata, integrum est voluntati, cui libuerit assentiri. At controuersia nostra est de opinionibus sic oppositis, vt veritas vnius, argumento sit falsitatis alterius: & inter se adeò pugnent, vt eodem gradu, assensus vtriusque nequeat in eodem intellectu stare. Vnde triplex est hic pugna & quæstio: prima parium probabilium, an mutuò sui assensum impediant: secunda disparium, an probabilior impedimento sit, ne minus probabili assentiamur, vel è contra minus probabilis, ita vrgere possit contra probabiliorem, vt illi vicem reponat, id est intercedat, & obex sit eius assensui.

Ad hanc triplicem quæstionem grauissimam, probabilitatum Patroni respondent, nostræ facultatis esse vt libuerit, vel æque probabilibus, vel minus probabilibus assentiri, idque multo apertius est apud illos, de probabilioribus. At contra Mercorus & Fagnanus, acerrimè contendunt horum trium nihil esse nostri merè arbitrij: sed opiniones pares, sibi mutuò esse impedimento ad assensum: & hæc est prima trium subjectarum propositionum, quam satis apertè indicat S. Doctor quæstione citata 14. de veritate, vbi dubium & suspensum dicit intellectum esse vel inopiâ rationum, quæ ad aliquam partem moueant, vel ob apparentem æqualitatem rationum, quæ mouent ad alterutram partem: & ista est dubitantis dispositio, qui fluctuat inter duas partes contradictionis. Vnde sicut intellectus non est dubius liberè, sed rationum momentis paribus, quæ illum quasi inæquilibrio detinent; eodem prorsus modo quo æqualia pondera impedimento sunt, ne statera in vllam partem declinet: ita intellectus non potest liberè se vni opinioni addicere, quandiu paribus alterius rationibus vrgetur. Sicut enim opinio solitariè sumpta, est assensus intellectus vni parti adhærens, cum aliqua hæsitatione, ortâ ex inefficaciâ motiui, quod non omnino vincit: si aduersa opinio pugnet paribus probabilitatis viribus, non solum habebit formidinem adjunctam ex inefficaciâ proprij motiui, sed eius falsitatem suspectam etiam & dubiam habebit, ex efficaciâ argumentorum oppositæ opinionis: ergo eo statu non opinatur, sed dubitat: nisi velis opinari simul & dubitare: quod perinde implicat, ac inclinare in vnam partem, & ab illa assensum cohibere. Quid enim est assentiri vtrique parti, quatenus

ſunt æqualis probabilitatis ? Hoc idem eſt ac iudicare vtramque partem, non minus apparere veram quam falſam ; nam quælibet ex ſuo motiuo apparet vera, & ex motiuo aduerſæ opinionis æque probabilis cenſetur eodem gradu falſa, quo vera. Atqui manifeſtè repugnat, aſſentiri eidem propoſitioni vt veræ, & ab illâ diſſentire eodem certitudinis gradu, vt à falsâ : ergo repugnat, aſſentiri ſimul duabus propoſitionibus paris probabilitatis : hoc enim perinde eſt ac ſi iudex in causâ, quâ litigantes æquo iure contendunt, in gratiam vnius, altero damnato iuſtam ferret ſententiam. Si iura vtriuſque partis ſint in hoc paria, vt ambæ habeant eamdem veriſimilitudinem, certè intellectus qui Iudicis loco ſedet, malè pronuntiabit, vnam partem veriorem eſſe altera : aut quod deterius, veram vnam, alteram dicat eſſe falſam. Hoc idem confirmat, ac penè euincit exemplum ſtateræ, cuius comparationem ad intellectum immerito reijcit Spinula, & optimè defendit Mercorus. Sicut enim ſtatera dum vrgetur pondere vtrique lanci appoſito, non poteſt vim illius non ſentire aut contemnere ; ita nec intellectus poteſt diſſimulare vim argumentorum, quæ vtrimque vrgent. Hinc etiam fit, vt ſicut ſtatera, quamdiù deſtinetur ponderibus, paris grauitatis, in neutram partem vergat ; ita nec intellectus, quamdiu oppoſitæ opiniones, æquo marte pugnant, poteſt ſe vlli parti addicere. Hoc ſolum diſcrimen eſt, inter ſtateram inanimem & mentem liberam, quod hæc poſſit aſſenſum cohibere à probabilibus ; non tamen vim argumentorum contemnere, aut diſſimulare : quibus ſi det locum ad iudicium & ad examen, ſuſpenſus hærebit, dum altera pars vincat, ſeu maiorem veri ſpeciem præferat. In hoc etiam intellectus ad exemplum propius accedit, quod ſicut ſtatera in æquilibrio poſita, digito depreſſa ſponte redit ad æquilibrium ; ita intellectus inter opiniones paris probabilitatis poſitus, hæret anceps ; & ſi voluntate in vnam propellatur, vim patitur : nec fortè poteſt ab illo æquilibrio recedere, quamdiu opiniones oppoſitæ pari probabilitate ſibi veritatem, & aduerſæ parti falſitatem ineſſe probant.

Nec valet ſi dicas, poſſe voluntatem pro ſuo, vel affectu, vel imperio, intellectui præcipere aſſenſum partis æquè, aut minus probabilis : quia imperium voluntatis in cæte-

ras potentias politicum est, non despoticum, nec tyrannum agit, sed principem: ac proinde cuiusque potentiæ bonum curat & promouet. Quare cum intellectui conueniat iudicare de rebus, ex proprio cuiusque merito, non potest minus probabilibus assentiri, postpositis probabilioribus. Vel de his, quæ pari iure gaudent, ad arbitrium statuere, nullo veritatis aut æqui respectu habito. Inde S. Doctor loco citato 1. 2. ait: Voluntatem à paribus mediis seu bonis non moueri, nisi ab altero illorum quod magis probetur, aliquid singulare emineat, quo affectus & intellectus alliciantur. Verum est igitur stante pari opinionum probabilitate, vel etiam bonorum conuenientiâ, nulli partium mentem aut voluntatem assensuram.

PARAGRAPHVS SEPTIMVS.

Impossibilis est etiam assensus certus vnius partis, alterâ paulo minus probabili contra stante.

PROPLIGATA 1. controuersiæ parte de opinionibus oppositis probabilitate paribus, facile est statuere de alterâ, an possit intellectus relicta, & contempta parte, quam videt probabiliorem, minus probabili adhærere: ea namque pars quæstionis, apertiorem habet repugnantiam, quam superior. Vbi enim semel constitutum est, mentem paribus rationum momentis libratam, in neutram posse partem se flectere, nulla ratione fingi potest, etiam relicta probabiliori minus probabilem amplecti. Namqui censet partem vnam probabiliorem, iudicat alteram minus probabilem, falso propiùs abesse: ergo si istam alteri anteponat, adhærebit parti quam iudicat magis falsam, quo nihil potest absurdius dici: addo etiam ad huius sententiæ confirmationem quamlibet potentiam, innato pondere ad suum obiectum, tanquam ad bonum congenitum ferri, & à contrario abhorrere. Sic aqua rectò cursu fluit ad mare, & ambages aut aluei circuitus fugit. Ergo cum intellectus obiectum sit verum, id tanquam vnicum bonum quærit: & illi parti adhæret, quæ sibi plus veri habere visa fuerit: ergo non potest adhærere minus probabili relictâ probabiliori, id est quæ magis ad veritatem

accedit. Neque enim intellectus, in opinionum delectu, à voluntatis regulis in deligendis mediis, vel latum vnguem recedit; ac proinde sicut ex mente sancti Doctoris electio appetitus quamdam collationem importat, quatenus est acceptio vnius præ alterâ, quæ nequit fieri nisi medio quod eligitur, maior insit aut certè appareat conuenientia ad finem, maximè si efficaciter intendatur; ergo idem de intellectu sentiendum cum efficaciter veritatem appetat, & in eâ inquirendâ totus sit, atque ad eius consecutionem conferat probabilioribus adhærere, ac proinde non potest, nisi vim sibi inferat, minus probabilia anteponere. Sed, inquies, minùs probabile collatione probabilioris non desinit esse probabile; ergo potest illi intellectus assentiri; deinde in hoc probabilia à necessariis differunt, quod illorum non minus assensus, quam voluntatis delectus liberior sit. Respondeo ad primum, has opiniones probabiles dici, aptitudine potius quam actu; quatenus possunt ingenerare sui assensum intellectui, nisi probabilioris & oppositæ assensu fuerit præpeditus, vel nisi pares probabilitate pugnent, & sibi sint impedimento. Differt autem probabilium & necessariorum assensus, quod istis vbi semel obiecta sunt animo, non possit non assentiri; à probabilibus autem abstinere possit omninò: si autem velit de illis opinari, non potest habere ita versatilem assensum, vt discrimen statuat inter paria, vel minus probabilia anteponat: imò (quæ erat tertia controuersiæ pars) si minùs probabile verè probabile sit, collatum probabiliori grauia habeat rationum momenta, & vno verbo parum distet à gradu probabiliori, ita suspensum & ancipitem distinebit intellectum, vt ipsâ contemptâ nequeat adhærere parti paululùm probabiliori: atque hoc fortè discrimen intercedit intellectum inter & stateræ exemplum toties repetitum, quod cum huius æquilibrium indiuisibile sit, vel minimo millii grano appositio in eam partem vergat: at paulo latior est intellectus dubii suspensio; experimur enim, interdùm nos hærere dubios, non solum paria inter vtrinque rationum momenta, quod raro contingit, cum tamen dubia sint frequentissima: sed etiam cum partes parum viribus aut probabilitate distant. Sed dices nonne potest probabilior eligi, cum conuenientior videatur ad veri consecutionem, sicut eâdem de causâ dictum est parte

ſecunda huius quæſtionis, non poſſe eligi minus probabilem, quia nihil confert ad veri notitiam?

Reſpondeo, eam probationem ſatis validè conuincere propoſitionem negatiuam, ſed non habere ſatis virium ad aſtruendam affirmatiuam; probabilius qualecumque eſſe opinabile, quia non poteſt tale cenſeri quandiu vtrimque vrgent motiua grauia: ratio diſcriminis eſt quia bonum ad quod ſpectat affirmatiua eſt ex integrâ causâ, malum autem ex ſingulis defectibus.

ARTICVLVS TERTIVS.

Demonſtratur illicitum eſſe aſſenſum certum opinionis pro libertate, contra opinionem pro lege maioris, paris, aut paulo minoris probabilitatis.

EVASIMVS tandem huius quæſtionis metaphyſicæ partem difficillimam, quæ plus vtilitatis habet, quam delectationis, ſed quæ nihilo minoris ſit fructus, quam ſubtilitatis. Quidquid tandem ſit, etiamſi gratis concedamus aduerſariis, liberum & verſatilem eſſe probabilium aſſenſum: negamus licitum, ſi minus aut æquè probabilis vel etiam paulo probabilior, quæ pro libertate pugnat, oppoſitæ, quæ legem commendat, & conformis eſt appetitui recto, anteponatur.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Ex ſuperioribus deducitur illicitum eſſe aſſenſum certum opinionis pro libertate, contra opinionem pro lege maioris aut paris probabilitatis.

ATQVE hoc validiſſimis argumentis conuincimus, 1. ex illa triplici collatione ſeu colliſione probabilium, quæ mutuo ſui aſſenſum impediunt, manet omninò dubius & ſuſpenſus intellectus: ergo non poteſt rectè agere, immo nec quidquam determinatè: Conſequentia euidens eſt ex communi omnium ſententia: Antecedens verò ſatis

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [264] - 184
PUBLIC DOMAIN

probatũ est ex superioribus. Licet enim intellectus inclinet in obiectum quod apparet verum simpliciter, & cum formidine etiam in id quod est verisimile aut probabile, nullo vero modo assentiri potest illi obiecto, quod licet aliquam veri speciem habeat, ex motiuo partis oppositæ, æquè, vel magis apparet falsum. In eo statu sunt probabilia de quibus disputamus: ergo suspensus omninò manet intellectus. Inde facilè solui possunt vnicâ responsione quæcumque congerunt aduersarii argumenta. Probabilis, inquiunt, ratio, potest esse recta & certa regula agibilium: ergo possumus ex probabilibus sectari æquè vel minus probabile. Dato gratis antecedente negatur consequentia, vel melius distinguendum antecedens, probabile quod infert sui assensum, potest esse regula agibilium transeat antecedens; probabile impeditum, seu quod ex motiuo partis aduersæ, æquè, vel magis falsum apparet, quam ex proprio verum, nego antecedens: in eo autem gradu sunt probabilia de quibus disputamus, vnde apertum sophisma subest omnibus illorum argumentis, non dissimile isti, omne astrum lucidum potest hemispherium illuminare, atqui etiam sol, dum est apud Antipodes, est astrum lucidum: vel etiam istud clarius. Omnis homo potest saluus fieri, Iudas cum peccato est homo, ergo Iudas cum peccato potest saluus fieri: idem prorsus est paralogismus, cum dicunt aduersarij, opinio probabilis est honesta & sufficiens regula morum: atqui opinio minus probabilis etiam collata probabiliori est opinio probabilis, ergo est regula morum; fit enim transitus à probabilitate absolutè, ad probabilitatem impeditam concursu oppositæ opinionis, æquè vel magis probabilis. Atque vt vno vero omnia quæ latè & acutè prosequitur argumenta Mercorus, complectar; quis credat Deum hanc regulam hominibus statuisse vel permisisse, vt possint ad libitum sectari probabilia, etiam dum æquè aut magis falsa ipsis videntur quam vera? Hoc verbum abbreuiatum, est veluti fax, aut sol lucem affundens toti huic disputationi, si hoc solum addamus, dubio & suspenso animo inter æque probabilia, patere viam regiam, ac certam & indubitatam morum regulam, si ex æque probabilibus eam partem eligat, quæ conformior est legi & appetitui recto, & nullum habeat peccati aut salutis periculum, vnde tantùm abest vt qui hunc probabilium vsum

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [265] - 185
PUBLIC DOMAIN

docent, conſcientias ſcrupulis torqueant; quin potius hac conſtitutâ regulâ, animarum non ſolum ſaluti, ſed etiam tranquillitati conſulunt. Nec dicant aduerſarij, opinionum probabilium aut tutiorum, inueſtigationem infinitam, & inutilem. Immò hâc viâ nihil difficilius, aut operoſius, ad ſalutem præſcribimus, quam quæ prudentiores ſæculi, ad negotia temporalia à ſeipſis exigunt, vt captent & ſectentur meliora & tutiora: hinc ergo procul abſiſtant aduerſariorum querimoniæ, aut accuſationes, quaſi ſimus animarum tortores. Timendum magis eſt ipſis, ne dum in ſpeciem videntur indulgentiores, quod nobis obtrudunt nomen torrorum, iure commereantur. Ne quid tamen ad hanc controuerſiam omittamus, quod ſit alicuius momenti, alia argumenta perſtringamus, quæ art. 14. 1. partis & 2. 8. habentur.

Secundum argumentum, ita habet: & ſi gratis demus aduerſariis iſto probabilium parium aut diſparium conflictu, animum ex innata libertate, aut vi rationum poſſe vni partium aſſentiri, nunquam tamen poterunt euincere, illum aſſenſum ſoluto dubio, poſſe in iudicium certum euadere, & formidinem aut ſuſpicionem illam diſpellere, ex proprii motiui debilitate, aut viribus contrariæ partis profectam, quâ nihilo minus, aut fortè magis falſa, quam vera, appareat opinio cui adhæret; atqui ille aſſenſus, nullâ ratione, poteſt eſſe certum prudentiæ iudicium ſeu regula, ergo non eſt licita & tuta æque aut minus probabilium electio: Maior euidentiſſima eſt etiam peruicacibus, & Minor ſuperius probata eſt, & conceditur ab aduerſariis. Sed in ſubſidium aduocant reflexam illam probabilitatem, quâ firmari dicunt aſſenſum dubium, depulſo omni metu peccati, aut damnationis, licet mihi ſequi ſententiam probabilem tanquam certam regulam, tum quia non eſt falſa, & habet ſpeciem veri, tum quia dubio legis ſenſu, poſſum ſequi quamlibet interpretationem probabilem, tum denique, quia incerto legis & legiſlatoris ſenſu, ſtat poſſeſſio pro libertate; his ergo potiſſimum tribus argumentis confirmata probabilitas reflexa, aſſenſum partis æque aut minus probabilis reddit omninò certum. Hoc vnicum eſt aduerſariorum propugnaculum quod validiſſimè his argumentis impugnari & fortè euerti poteſt.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [266] - 186
PUBLIC DOMAIN

Paragraphvs Secvndvs.

Dictamen conscientiæ singulare fieri nequit certum & licitum, sola propositione vniuersali, pro libertate probabili, vel solâ in illam reflexione.

Iudicium dubium aut probabile, ex proprio motiuo de propositione singulari, licet huic Clerico venari, huic pictori die festo pingere, non potest certum fieri, nisi ab aliquo extrinseco principio, sicut supra annotauimus, quarta prudentiæ & scientiæ differentiâ: sed probabilitas reflexa non est motiuum, aut principium, distinctum ab ipsomet motiuo probabilitatis; quid enim aliud est, quam assensus formidolosus rei probabilis? Vnde non potest fingi, rem incertam à seipsâ certiorem fieri, vel à re quæ sit intra seriem incertorum & probabilium. Deinde vnde potest major affulgere certitudo in iudicio particulari, licet huic, & illi Clerico venari, quam insit iudicio vniuersali, licet cuilibet Clerico venari, si certæ sint omnes particulares, non potest negari eadem certitudo propositioni vniuersali, licet omnibus Clericis venari. Vnde mirum est Candidum Philalethum qui primus huius sæculi nostri libertatem de moralibus opinandi compescuit, admittere certas moraliter esse posse singulares propositiones, & vniuersalem dubiam aut ad summum probabilem. Confirmatur primo argumentum, si opinio minus probabilis est certa moraliter, ergo opposita probabilior, erit certior & verior, ac proinde eodem momento intellectus vtrique adhærebit contradictoriarum simul vt veræ & falsæ: imo probabiliori, quam postponit, adhærebit, vt veriori, quam sit minus probabilis, quæ alteri præfertur. Hinc soluitur primum & præcipuum argumentorum, quo nituntur aduersarij, opinio, inquiunt, probabilis est consona rectæ rationi, alias si esset dissona non esset probabilis, sed falsa moraliter. Respondeo opinionem probabilem, licet non sit apertè falsa, non esse tamen rectam rationem morum, ex adjunctâ formidine falsi, sicut dubium positiuè est dissonum rationi, quamuis non sit determinatè falsum. Confirma-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [267] - 187
PUBLIC DOMAIN

tur ſecundo ſuperius argumentum: ſi probabilitas reflexa excluderet metum peccati, & falſi, & periculum ſalutis, nullus vnquam peccaret, aut operaretur conſcientiâ dubiâ, conſequens eſt apertè contra ſenſum Theologorum & contra experientiam: ſequela probatur, quia vix vnquam animus hæret anceps & dubius, quin vtrinque occurrant rationes probabiles; ſi ergo ad euitanda dubiæ conſcientiæ peccata, ſatis ſit reflecti ſupra cuiuſque partis probabilitatem; cum ea reflexio ſit in promptu & arbitraria, nullus niſi ineptus aut imprudens laborabit aut peccabit conſcientiâ dubiâ, cum remedium ſit ad manum, non minus tutum quam facile; ſi fides habenda ſit aduerſariis; ſed contra reclamat Sanctus Doctor quodlibeto nono art. 15. vbi docet quæſtionem de habendis pluribus præbendis abſque diſpenſatione periculosè determinari; quia anceps eſt, hinc, & inde Theologiæ & Iuris-conſultis in diuerſas partes abeuntibus. Et ſi authoritati nolis acquieſcere, ratio periculum demonſtrat. Error nunquam excuſatur niſi ex inuincibili ignorantiâ, aut neceſſitate ineuitabili; ſed qui dubius eſt, aut qui vni parti adhæret, vt æquè aut minus contraria probabili, non laborat inuincibili ignorantiâ, cum dubius ſit, neque vrgetur ineuitabili neceſſitate; quia poteſt abſtinere ab operatione, ſeu ab opinione quæ fauet libertati, & ſectari contrariam, quæ legi & rectitudini appetitus conformior eſt. Confirmari poteſt idem argumentum vltimò, ratione ſæpiùs inſinuatâ: non poteſt certo aſſentiri intellectus propoſitioni particulari; *Mihi pictori licet hoc die feſto pingere*, ſi dubia tantum ſit & probabilis propoſitio vniuerſalis, *licitus eſt pictura labor diebus feſtis*. Nec ſatis eſt quod reſpondet Bardi: Illam certitudinem moralem conſtare propoſitione ſingulari, dummodò intellectus iudicet certo propoſitionem vniuerſalem non carere probabilitate: laborat enim reſponſio æquiuocatione quam ſuperius deteximus; aliud enim eſt cenſere vtramque partem probabilem, cum quâ ſtat dubium de vtrâque, aliud eſt adhærere alteri parti probabiliter, quo ſoluitur animi dubij ſuſpenſio: ergo iudicium de probabilitate vtriuſque vel alterius partis, non poteſt conferre certitudinem moralem neceſſariam ad honeſtatem operationis.

Paragraphvs Tertivs.

Repugnat legi æternæ, & prouidentiæ diuinæ, arbitrarius probabilitatis vſus.

Tertio impugnatur validè eadem reflexa probabilitas: vel poteſt vt prima regula actionum humanarum, vel vt ſecunda regula primæ ſubordinata, certum facere iudicium prudentiæ, atqui nec primi, nec ſecundi ordinis regula eſt non primi, hoc enim legi æternæ eximium & ſingulare eſt, ſicuti motus cœli inuariabilis; eſt prima omnium motuum menſura. Nec eſt etiam ſecunda regula primæ, ſeu legi æternæ ſubordinata, ſicuti apud nos Horologium, quod motus cœli inuariatum tenorem imitatur, eſt ſecunda temporis, & motuum menſura; nam regulæ ſecundæ tota ratio ſita eſt, in acceſſu ſeu conformitate ad primam regulam, quam vbique imitatur; ſed longiſſimè abeſt probabilitas illa reflexa ab ordine legis æternæ, quæ veritatis & rectitudinis eſt immutabilis: at probabilitas reflexa confirmat iudicia, quæ perinde falſis ac veris aſſentiuntur, ergo alieniſſima eſt à lege æterna, huiuſmodi regula minor euidens eſt ex ſuperius dictis, probabilem enim aſſenſum ab illâ reflexione confirmandum, in eo ponunt quod æquè, aut interdum minus probabile, id eſt quod indifferens ſit ad falſum, & ad verum, & interdùm falſo propiùs accedat. Quis dicat hanc ſecundam legem & regulam ſubordinatam legi æternæ? Certè ſi velis hanc probabilitatem eſſe regulam, neceſſe illam abſoluas ab ordine legis æternæ, & primam ſuo loco conſtituas; & Mercorus ſolita eruditione & pietate, demonſtrat id diuinæ ſapientiæ & potentiæ repugnare? Quare nobis indulgentiores ſunt moderni Theologi, conceſsâ hac verſatili probabilitate in morum regulam, quam Deus ipſe nequeat nobis permittere; præſcripſit enim nobis lege æternâ, ne vnquam à virtute & honeſto recedamus. Vt hanc regulam nobis ſubijceret aſpectabilem carne humanâ indutus eſt. Huius legis notitiam perpetuis precibus & gemitibus à Deo Iuſti efflagitant, nec ſibi tantum comparant, ſed alios credunt, ſe debere docere, & eos qui inuin-

cibili eius ignorantiâ laborant curare. At fruſtra eſſent hæc omnia, ſi licitus ſit probabilium vſus, quæ æquè à vero & à falſo remota apparent, & quæ interdum minus probabilia ſunt, quod perinde eſt ac propius à legis æternæ diſcrepantiâ, quam à conuenientiâ abeſſe. Certè ſi id nobis Deus indulgeret, liceret reputare illum virtutem & actiones honeſtas parum, aut nihil curare; quod hoc exemplo egregiè demonſtrat Mercorus, ſi, inquit, dux exercitus jubeat ſuos milites nocte intempeſtâ horâ circitèr decimâ, aggredi ciuitatem obſeſſam, aut caſtra hoſtium; & ad horam dignoſcendam velit illos regi horologio inordinatiſſimo, quod horam ſextam pulſaturum ſit eo momento, quo futura eſt decima, manifeſtè demonſtraret ſe nihil curare expugnationem vrbis, aut hoſtium; ita, inquit, impij poſſent de Deo cenſere, ſi nobis permitteret, aut ſtatueret in regulam morum illud probabilium dictamen, quod verum & honeſtum minus certo, quam inordinatum horologium horam deſignat. Inde etiam vltimo ad hominem argumento, vrgeri poſſunt aduerſarij; ita enim ferè ſemper arguunt, qui operatur quod ſibi probabiliter videtur honeſtum, non peccat; at is qui ſequitur opinionem minus probabilem, agit quod ſibi apparet honeſtum; ergo nihil peccat, ſi ſequatur opinionem minus probabilem collatam probabiliori. At nos contra idem argumentum in aduerſarios retorquemus, ſi immunis eſt à peccato, qui agit quod ſibi apparet probabiliter honeſtum, ſine dubio reus erit peccati, qui aget quod æquè, aut magis ipſi turpe & illicitum apparet; atqui ita affectus eſt, qui ſequitur opinionem minus probabilem collatam probabiliori: neque enim videtur ille magis à turpi abeſſe quam ab honeſto, immo probabilius turpe eſt, quam honeſtum; ergo non poteſt ſe excuſare à peccato, quiſquis non abſtinet ab actione, quam verius aut probabilius turpem credit quam honeſtam: ſicut non poſſet ſe excuſare apud Regem, Dux ab ipſo præfectus exercitui, adjunctis ſeptem inferioribus ducibus, quibus inuitis aut inconſultis nollet vnquam aleam belli tentare, ſi igitur iis Ducibus, ad Concilium vocatis, an cum hoſte ſigna eſſent conferenda, & tribus horum pugnam ſuadentibus, aliis vero quatuor improbantibus toto exercitu certaret, & vinceretur; atque ad iudicium à Rege vocatus, vt pœnas ignauiæ aut temeritatis

lueret, cauſaretur, duces ſibi datos in conſiliarios, fuiſſe authores vt certamen iniret; nonne merito poſſet illi Rex reponere; cur poſtpoſitis & contemptis quatuor Conſiliariis, qui certandum eſſe negabant, tribus adhæſiſti? Capite ergo culpam hanc lues. Quis Ducem illum dicat iniuſtè fuiſſe à Rege damnatum? Eadem eſt planè cauſa probabilitatum, dum contemptâ probabiliore, & tutiore opinione, minus probabilem ſectamur. Neque enim Deus permiſit nobis, ita probabilitati indulgere, vt tutiora deſeramus, & obijciamus nos periculis legis æternæ violandæ.

Hinc facile refelluntur duo poſteriora argumenta aduerſariorum: falſo enim ſibi perſuadent, dubio ſenſu legis, liberum eſſe cuilibet dare, aut ſequi interpretationem vtcumque probabilem: neque enim Legiſlatoris ea mens eſt & indulgentia, cuique ſubditorum licere interpretari legem à ſe latam; aliàs aperiret viam latiſſimam ad pericula & peccata, quibus lex violaretur: & ideo ſtudent in condendâ lege vti verbis clariſſimis; & ſi quando lex variis intepretationibus pateat, & obnoxia ſit, ea ſeligenda eſt præ cæteris, quæ ſtat pro lege, & pro mente Legiſlatoris, qui præcipuè ſpectat, ne vllus, ſi dubium emergat, contra legem agat. Ergo dubia aut interpretationes probabiles magis fauent legi, quam libertati ſubditorum.

Si dicas, vſum regulæ de ſectandâ minus probabili opinione inductum eſſe à tot annis, vt jus legitimæ poſſeſſionis ſit penes fideles: ac proinde hic valere regulam juris apud omnes receptam, de rebus ad iuſtitiam commutatiuam ſpectantibus, nempe ſtandum pro poſſeſſione; maximè cum Eccleſia videatur hunc probabilitatis vſum ſilentio comprobare nec credibile eſt tot piis & doctis hominibus probatum iri, ſi eſſet improbabile & periculoſum.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [271] - 191
PUBLIC DOMAIN

PARAGRAPHVS VLTIMVS.

Arbitrario probabilitatum delectui pro libertate; repugnant Patres & Theologi, nec quicquam fauet regula in dubijs standum pro jure possidentis.

SED vt ab hoc postremo incipiam retorqueri potest argumentum, minus esse verisimile, tot Patres & Theologos Antiquos Modernis nihilo inferiores, ne dicam sanctitate & scientia superiores, tandiu in contrariâ sententiâ, id est in errore fuisse, quem à triginta tantùm annis emendatum volunt? Quis hoc credat? nec Ecclesiæ silentium & tolerantia hanc regulam certam facit, quasi probauerit, quod ab eius damnatione videatur hactenus abstinuisse. Nam præter quod Prælatorum plurimi reclamant, & si Concilium Oecumenicum haberetur, credibile est damnationem non euasurum: Addunt alij Ecclesiam à censurâ abstinuisse, quod res dubia sit, & permittantur res dubiæ Theologorum disputationibus.

Vltimo tandem dici potest, quamcumque Ecclesiæ tolerantiam non probare mala quæ legi naturali aduersantur: atque his accusemus istum probabilitatis vsum. Nec verum est, quod primo argumento obijciebatur, à triginta annis esse comparatum jus fidelibus possessionis contra legem: quia nullus comparari potest titulus à possessione, nisi pacifica fuerit: huiusmodi vero regulæ seu possessioni plures Doctores interceserunt.

Respondent alij secundo, hanc juris regulam, quæ vindicat rem possidenti, valere tantum de rebus externis, quarum possessio ita definitur, est rei corporalis detentio, corporis & animi iurisque adminiculo. Immerito autem Sanches, Diana, & pauciſſimi Theologi, contra mentem reliquorum Theologorum, & omnium consultorum juris, hanc regulam ad alias virtutes porrigunt, quia possessio in materiâ huiusmodi virtutum, nullam præsumptionem veritatis ingerit in gratiam possessoris, sicut in materiâ iustitiæ, qui possidet aliquod bonum externum fortunæ, censetur re suâ potiri & frui, nam qui rem suam abdicat, solet tradere vero domino, in quem per huiusmodi abdicationem,

tionem, transfertur dominium : ergo si quis rem possideat, argumento est, eam non abdicasse à se, ac proindè verum ipsius dominium seruasse : atqui ex possessione rerum, quæ ad alias virtutes pertinent, nulla nascitur huiusmodi præsumptio veritatis aut juris, ergo extra ordinem & forum iustitiæ immerito ad cæteras virtutes hæc regula extenditur. Et si quando Theologi eâ regulâ vtantur, vt de rebus dubiis statuant, loco possessionis præsumptione vtendum est. Vt si quis dubitet an infirmus emiserit votum jejunandi, eximendus est ab illo onere ; non ex illâ regulâ, quod possessio stet pro libertate contra votum incertum ; sed ex ista præsumptione quod cum votum sit res grauis quæ serio agitur, si emissum fuisset ; non ita facile excidisset memoriâ. Ergo est iusta suspicio minimè fuisse emissum ; ac proinde illud onus voti amouendum est. Ex eâdem præsumptione, non ex vllo iure possessionis subditus debet militare Regi, etiam dubio iure belli ; non ex possessione ; quia nullum inde jus injusta præcipiendi potest Principi obuenire ; sed quia Principi & Consiliariis sapientibus notiores sunt quam subditis Reipublicæ, rationes & causæ, ac proinde potest illis constare jus belli, subditis ignotum. Cum certa est lex, sed dubia promulgatio, quamuis possessio stet pro lege, tamen ab illâ eximunt subditum plurimi Theologi ; ergo non habet hic locum regula illa juris.

Quamuis quæ hactenùs diximus omninò aduersariorum argumentum conuellant, ad vberiorem doctrinam, addimus possessiones libertatis humanæ, nullam ingerere præsumptionem, quod lex diuina aut humana in re dubiâ absit, quia potestas condendi leges, quâ Deus vel etiam Princeps pollet, nullâ ratione pendet à libertate, ergo possessio libertatis nihil confert ad præsentem disputationem, cum etiam intrà fines iustitiæ contineatur. Deindè quamuis admittatur, in aliis virtutibus, limitari solet ad dubia facti, ergo est extrà subjectam materiam, quæ ad dubia juris & opinionum spectat. Præterea etsi gratis demus, hanc regulam posse etiam ad dubia juris pertinere, indè nostra sententia confirmatur : quia cùm opinio communis, seu probabilior fauens præcepto, sit vsu recepta, possessio stat pro obseruantiâ ipsius legis, quam minùs probabilis opinio, fauens libertati, non potest abrogare, aut

minuere, quin semper jus possessionis, stet pro libertate morali, seu pro præcepto operandi, secundùm dictamen rectæ rationis, quo in dubiis tutior pars est eligenda. Sed dices si judex dubitet an venatio sit prohibita, non potest ferre sententiam contra venatorem, ergo nec venator tenetur abstinere à venatione si dubitet an venatio sit prohibita. Sed validè dispar est conditio judicis & venatoris. Hic sine dubio debet à venatione abstinere, si illi suspicetur aut formidet subesse periculum offendendi Principis, Iudex vero si dubius sit, an culpabilis sit venatio, non debet damnare venatorem: quia minùs mali est relinquere inultam hanc injuriam publicam incertam, quam injustè insontem damnare, & ex duobus malis quæ hic impendent, minus est prius malum quàm hoc secundum: venatori verò si venetur imminet periculum lædendi Principis; si abstineat, nullum aut leue impendet malum. Vrget lex eadem de tutiori parte eligendâ quæ venatori jubet abstinere à venatione, & Iudici à sententiâ in illum ferendâ. Et hæc satis de primo genere argumentorum.

SECTIO TERTIA.

Secunda Classis Argumentorum pro delectu tutæ opinionis ex diuersis vitæ humanæ & Christianæ officijs.

APERTE (ni fallor) & valide, à causis humanarum actionum altissimis quatuor, à rectâ ratione, à conscientiâ, à prudentiâ, & à lege æternâ probauimus, necessarium esse delectum opinionis, quæ in tuto ponit præceptum & salutem, præ minus aut æque probabili, quæ fauet libertati. Hoc ipsum probauimus, compendiariâ huius rei tractatione Dissertationis primæ, 2. Sectione, Argumento ad sensum forte efficaciori, à variis vitæ humanæ & Christianæ officiis, collectum fere ex D. Fagnano & P. Mercoro, quod hic paulo fusius prosequar, & totum hâc formâ perstringo in antecessum singulas seorsim partes probaturus.

Qui profitentur vitæ humanæ & Christianæ instituta, qualia sunt Religiosi, Amici, Iudicis, Principis, Medici,

Confessarij, & Consultoris animarum, Lectoris & Magistri in Scholis, candidati Religionis; hi omnes reputant sibi necessarium, probabilioris & tutioris opinionis pro officio & lege stantis, delectum (seu quod perinde est, licet Pater Fabri distinguat pag. 9. & in eo ponat suæ causæ præsidium) materiæ tutioris & probabilioris vsum, eumque præstant non difficulter, neque huius regulæ rigorem nimium causantur, vt ab illa se eximant: ergo idem delectus necessarius est, nec admodum difficilis, in quâcunque re ad honestatem morum, vel ad salutem ex præcepto spectante. Antecedens pessimè habet aduersarios, illosque incertos scindit in contrarias & dissidentes opiniones.

Pauci audent illud negare in totum nullâ adhibitâ exceptione, nisi forte Caramuel, Sanctius, Diana, & Tamburinus, qui laxissimum probabilitatum vsum inducunt: Reliqui fere omnes restringunt; nec ijs omnibus officiis enumeratis, permittunt vagum, & nullâ metâ cohibitum, probabilitatis vsum; quasi illos pœniteret, adeo latam aperuisse viam, quam non immerito timent ne, ducat ad damnationem. Imprimis Sanches præcipuus probabilitatum defensor, negat illum arbitrarium opinionum vsum, Consiliariis & Consultoribus animarum, contra Vasquem & Salas. Apponunt etiam metas Iudicibus, eosque volunt sententiam ferre magis legibus consentaneam, relictis probabilibus, idem Sanches, Villalobos, Layman, aliique plures (licet permittant aduocatis jus defendendi causas dubias) contra Lorcam, Vasques, Ledesman, pluresque alios, qui idem de Iudicibus, quod de Aduocatis statuunt, posse in rebus dubiis, cui visum fuerit opinioni adhærere. Medicis etiam licere negant, relictâ tutâ opinione, sequi probabilem, & qui hâc licentiâ vsus fuerit, damnant peccati mortalis Soto, Suares, Villalobos, contra Valentiam. Negant Vasques, aliique plures, posse Reges bellum indicere, ex probabili opinione, contra probabilem & tutiorem, licet Sanctius hoc illis indulgeat, restringunt etiam Medina, Henriquez, aliis in rebus laxiores, delectum opinionum in re Sacramentariâ, ad quam prætermitti tutam & certam, & eligi tantum probabilem, statuunt fere omnes Theologi excepto Lorca, & Ludouico à Cruce peccatum esse. Laxiores Probabilistarum opinionis, videri possunt apud Fagnanum, à numero 26. vt va-

riæ ab illis additæ restrictiones, à numero 354. Dicere hos omnes Authores, nostro argumento impetitos esse veluti classem violentâ tempestate dejectam, & conquassatam, vel arcem tormentis bellicis labefactatam, & euersam: vnde vim nostri Enthymematis facile est colligere. Licet vero dissentiant hi Theologi, quoad antecedens; nonnulli in totum negent, alij concedant, alij denique varias apponant restrictiones, omnes fere tamen negant consequentiam, si disputatio sit de actibus humanis, ex solo præcepto ad salutem necessariis; nempe amouendo peccato, quod possit saluti esse impedimento; illud enim tolli putant, non solum obedientiâ, quâ lex impletur, sed etiam legis ignorantiâ, aut probabili opinione, quæ aliquâ ratione incertam faciat legem, eiusque vim putant non solum infirmari, sed omnnò auferri, vt nullum sit peccati periculum. Nos argumentis à singulis officiorum antecedens stabiliemus, contra vsum effrenem probabilitatum, & ex antecedenti confirmabimus consequentiam, contra exceptionem Suaris, & aliorum de rebus ex solo præcepto ad salutem necessariis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Probatur delectus opinionis tutioris à Religiosorum Instituto.

NECESSE est iudicium incipiat à domo Domini, primum ergo quo antecedens probamus argumentum, repetitur à religiosorum professione. E Franciscanis Patres grauissimi suæ salutis & perfectionis studiosiores, variis & grauibus dubiis, ex incerto suæ regulæ sensu anxij, consuluerunt Clementem V. qui hac vnâ responsione eorum postulatis satisfecit, *In dubijs tutiorem partem esse eligendam.* Atque hac vnâ lege constitutâ, videtur omnes difficultates profligasse, quas probabilitatum patroni, ad hanc regulam juris naturalis debilitandam, ac pene corrumpendam comminiscuntur. Quid enim ineptius, aut magis alienum à mente Pontificis, quam quod dicunt nonnulli, hanc juris regulam, locum habere, cum dubium fuerit æquilibre (quod fere nunquam contingit) vt inde

probent rarum, aut nullum esse huius regulæ vsum : & si qua illis fides sit, videatur Pontifex illusisse grauissimis Patribus, constitutâ illis regulâ, quæ vix vnquam vsurpari possit. Nec satis est illos à summi Pontificis mente recedere, à seipsis etiam dissentiunt, suamque causam, hâc primâ solutione euertunt. Si tum necessario in dubiis ad tutiorem partem est confugiendum, cum res est in æquilibrio posita; ergo multo magis vrgebit regula, si dubium & formido augeatur, de actu illicito; quia inde maius impendet periculum peccati & damnationis : ac subinde maior incumbet necessitas eligendi partem tutiorem, quam cum res est paris vtrinque probabilitatis, & malitia actus fugiendi magis est dubia, minusque certa.

Non est verisimilius, quod alij asserunt, regulam inutilem ad conscientiæ forum, necessariam tantum ad forum exterius; cum Clemens aperte dicat à se præscriptam hanc regulam, ad vitandos graues remorsus conscientiæ. Addit etiam Mercorus (qui hæc omnia effugia validè præcludit), à iudicio conscientiæ, non differre iudicium fori, nisi errore sit vitiatum, quod longè abest à nostrâ regulâ, ergo in vtroque foro regnat. Alij dicunt regulam obtinere, si dubia sit tantum, & non probabilis quæ libertati fauet sententia : sed hoc aperte pugnat contra mentem Pontificis, qui hanc regulam præscribit Patribus Franciscanis se consulentibus, de sua salute anxiis, qui proinde grauibus hinc inde rationibus distenti, & anxij, hærebant & torquebantur, & ex hoc verbo *præcipere* Minorum regulæ pluries inserto, timebant ne incurrerent reatum peccati mortalis, si secùs, quam scriptum est, agerent. Quid vero opus fuerat, Sedem Apostolicam adire de re nihili, ludicrâ, quam potuissent imperiti dirimere, quæ nihil difficultatis aut periculi haberet?

Inde tamen excluditur communior solutio, consilium esse non præceptum, sequi partem tutiorem, sicut inquiunt, si quis vitam religiosam, & cælibatum, anteponit matrimonio, quorum vtrumque licitum est, ita censent recentiorum plures. Sed contra aperte pugnant verba Pontificis, qui hanc regulam, non tam statuit iure positiuo, quam diuino, declarat esse sequendam, ad euitandos graues remorsus conscientiæ, ac proinde ad damnationem & peccata mortalia effugienda. Deinde vt optime notat Pater

Fabri pag. 71. (vbi omnia ſoluit argumenta contra noſtram ſententiam, præter illa quæ deſumit ex ſua definitione ſuperius refutatâ) probabiles vtrinque propoſitiones contrariæ, aut contradictoriæ, non verſantur vt plurimum, circa duo, quorum vtrumque bonum ſit, & vnum melius altero, ſicut cœlibatus & matrimonium, quorum vtrumque honeſtum eſt, & eligi poteſt, licet ex conſilio cœlibatus anteponatur matrimonio : opiniones vero de quibus diſputamus oppoſitæ vt plurimum, verſantur circa actus morales, & tota diſſentio eſt, honeſti ne ſint, an turpes ; ac proinde electio vnius præ alio, id eſt certo liciti & honeſti, præ altero probabiliter malo, & lege prohibito, non eſt maioris boni, aut conſilij, ſed eſt præcepti, quo non ſolum peccatum, ſed etiam periculum peccati fugiendum præſcribitur.

Hinc valide refelli poteſt, reſponſio aduerſariorum, ſubtili argumentatione Mercori. Cum dicis tutiorem partem eligi ex conſilio, non ex præcepto ; nomine tutioris, vel intelligis eam opinionem, quæ ſemouet omne verum peccati periculum ; vel eam, quæ auferat etiam omnem imaginarium offenſæ Dei, & damnationis metum, quali ſe cruciant quidam anxiè religioſi, ac pœne ſuperſtitioſi. Primo ſenſu præceptum eſt, ſequi tutiorem ſententiam, id eſt quæ arceat omne peccati periculum. Secundo vero ſenſu approbo dictum Caramuelis & Sanctij, qui nec præcepti, nec conſilij eſſe volunt, ſequi opinionem tutiorem, quæ imaginaria etiam ſuperſtitioſorum terriculamenta abigat. Sed quis audeat aſſerere, huius generis fuiſſe pericula, quæ Franciſcani timebant, & cauenda eſſe monebat ſummus Pontifex electione partis tutioris ? Quod vero vrgent aduerſarij, ſi probabilior opinio ſit tutior, tutam fore probabilem, ex comparatiuorum lege, quæ ſecum afferunt poſitiuum, ſed non aduertunt, comparatiua explicari interdum aliâ lege, alioque ſenſu quaſi aduerſatiuè, vt cum dicimus melius eſſe mori, quam peccare ; licet neutrum bonum ſit, ſed vnum altero grauius malum.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [278] - 198
PUBLIC DOMAIN

Paragraphvs Primvs.

Valet hæc Regula de vtroque Dubio Iuris & Facti.

Respondent tandem aduersarij, hanc regulam habere locum in dubiis facti, maxime cum impendet periculum proximo, si opinio æque, aut minus probabilis, ad praxim reuocetur. Secus autem est de dubio iuris, si spectet tantum ad nos ipsos, & debeat tantum cautelâ adhiberi, ad peccatum euitandum. Sed contra est apertè Clementina, quæ hanc regulam statuit, de dubiis quæ circa constitutiones Patrum Minorum emergebant. Deinde contra hanc interpretationem est argumentum, quod iam sæpius repetiuimus, tanquam fundamentum totius controuersiæ; conclusio deducta ex duabus præmissis, quarum vna est generalis & iuris, altera facti & particularis, debet sequi partem debiliorem; & esse dubia, si incerta sit vlla præmissarum, siue iuris, siue facti, atqui supponitur dubia esse proposito iuris; ergo non potest ex illâ, etiamsi jungatur cum præmissâ facti, certa deduci conclusio, seu iudicium practicum certum conscientiæ. Vnde falsum est, illam dubitationem speculatiuam esse tantum, de quâ possit in Scholis disputari; sed etiam dubium illud iudicium practicum debilius facit.

Secundo, reijcitur illa interpretatio efficacius; quia eadem ratio, quæ præscribit hanc regulam, in dubio facti (quale est illud venatoris probabiliter reputantis hominem qui sibi occurrit, feram esse) habet etiam locum in dubio iuris, quod aliquod peccatum minatur. Venator enim reus sit homicidij, si hominem interficiat, quem probabiliter putabat feram; quod ex lege charitatis deberet diligentiam adhibere, ne læderet proximum: atqui idem imminet periculum lædendi legem charitatis, vt ad Deum pertinet, quando est dubium iuris. Ergo vtrinque imminet periculum, & multo grauius ex lege charitatis, vt Deum respicit. Confirmatur hæc ratio, sicut ignorantia inuincibilis excusat ab errore, quem sequitur damnum proximi, ita ignorantia probabilis, si ex se posset excusare à culpâ in Deum, posset etiam ijs casibus, quibus læditur

proximus: ergo si non excusatur offensa proximi, ita nec Dei.

Si dicas ignorantiam probabilem, non excusare à reatu homicidij; quia præuidetur damnum futurum, quod potest caueri: atque etiam cum minus probabilis fauens libertati opinio anteponitur magis probabili, quæ stat pro præcepto, non minus offensa in Deum præuidetur, quam homicidium proximi, cum dubium est facti, ergo vtrumque malum cauendum est, & nisi id feceris vtriusque reus eris. Argumentum ex hâc regulâ petitum prosequitur Mercorus articulo 9. 10. & 11.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Valet eadem Regula ex lege Amicitiæ cum Deo.

ALIVD argumentum petitur, à lege amicitiæ erga Deum, quæ vt docet D. Thomas & Cajetanus 2. 2. quæst. 23. art. 1. non solum percipit gaudium de infinitâ perfectione Dei, sed etiam bona externa gloriam, honorem, obedientiam, pro virili curat, & auget, & maxime cauet pericula amicitiam violandi; atqui huic officio, aut legi, male conuenit electio minus probabilis, pro libertate opinionis, postpositâ tutiori, quæ fauet legi. Nam etiam apud homines, is censeretur male defungi officio amici, qui vt suo commodo, aut genio, indulgeret, nihil curaret ea agere, ex quibus probabilius censeret, amicum offensum iri: certè ea negligentia esset contemptus amicitiæ. Vnde licet forte actus ille qui probabiliùs illicitus est, non lædat præceptum particulare, v. g. iustitiæ aut temperantiæ, certe lædit præceptum charitatis, quo cauetur ne quis se exponat adeo aperto periculo, violandi honorem, aut mandatum diuinum, Vide Merc. art. 12. qui solita pietate, & eruditione, hoc argumentum tractat, & monet nos ad minus æque attentos esse debere diuino obsequio, ac Deus ipse nostris commodis, & precibus.

Articvlvs Secvndvs.

De Religionis candidato & Christiano, in delectu eorum quæ ad salutem credenda sunt, Dogmatum.

Secvndvm argumentum repetimus à candidato veræ religionis, anxio, & suspenso, in eligenda fide, religione, aut Ecclesiâ, cui debeat, aut possit, tuto adhærere ad salutem comparandam. Et contendimus post Chrysostomum homilia 4. in Matth. & D. August. cap. 8. lib. 2. de Doctrinâ Christianâ, sequendam religionem digniorem Deo, perfectiorem, & quæ denique grauioribus, & probabilioribus argumentis, muniatur. Hoc argumentum prosequitur Mercorus 2. partis art. 22. & duobus sequentibus. Ex probabilitatum patronis Spinula negat adhærendum dogmati, & religioni probabiliori, hoc vero concedit Bardi, sed negat eandem cautelam adhibendam esse, in delectu opinionis, quæ ad mores pertinet; tum quia Augustinus illam exigit tantum in delectu religionis, tum quia grauius impendet periculum, si aberres à verâ religione, quam ab opinione de agendis. Sed contra est aperte Augustinus, qui expresse agit, de his quæ continent fidem, moresque viuendi; deinde eadem ratio, quæ ad institutionem religionis, & fidei, exigit, vt tutiora & probabiliora sectemur vim & locum habet, in delectu opinionum, quæ ad mores pertinent: Ergo vbique, nullâ exceptâ materiâ, aut nullibi (quod impium & sacrilegum est) tutiora sequenda sunt. Antecedens probatur. Sicut lege naturali præcipitur homini, ne se obijciat periculo aberrandi ab vltimo fine, & à verâ religione ad salutem necessariâ; ita illi præscriptum est, ne subeat periculum violandi amicitiam Dei, iura ipsius & præcepta quæcumque: ergo vbique, aut nullibi, acriora & viciniora saluti debet eligere. Hanc rationem prosequitur Merc. partis 2. art. 22. &c. Hac regulâ facillime defendi potest, non dari ignorantiam inuincibilem Dei, iuris naturalis &c. quia omnium hominum mentibus, innata est notio huiusmodi veritatum, quæ ad minus, ingerit dubitationem & opinio-

nem; & cum in dubiis iuxta ius naturale, tutior pars sit eligenda; quisquis diuinitatem abnegat, aut iuri naturali parere renuit, impietatis reus est. Videant ergo probabilitatum artifices, si hoc principium negent, omnia vitæ humanæ & Christianæ officia nutare, ac pene euerti; vbi enim semel data est licentia probabilitatibus abutendi, vix cohiberi potest, quin in apertam impietatem erumpat.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Refellitur solutio Fabri & Stubrochij.

NEC P. Fabri potest hanc licentiam cohibere suâ distinctione de certo probabili, & de probabiliter probabili, quorum primum, vult posse confirmare dictamen prudentiæ, & ad vsum reuocari, secus alterum: verum hæc distinctio probabilium, non videtur definitione ab illo datâ melior, & ad has controuersias dirimendas opportunior; quod hoc argumento demonstro. Certo probabile, non potest magis ingenerare assensum de re faciendâ prudentem, & ab omni culpâ immunem, quam euidens probabile; quandoquidem certitudo est minor euidentia. Atqui euidenter probabile, non potest facere assensum, aut iudicium de agendis certum, ergo nec certo probabile, quo vnico præsidio causam suam defendit. Minor probatur probabile vt superius insinuauimus, nihil est aliud quã verisimile, seu quod ita ad verum accedit, vt non censeatur, omnino non posse non esse falsum; & ideo probabile, seu probabilis assensus, non habet locum, nisi intellectus careat cognitione euidenti rei, quâ positâ, nihil illum mouent probabilia, licet cognoscat vim posse exercere in intellectum, huiusmodi cognitionis rei euidentis expertem, & in hoc posita est probabilitas, nempe in notâ vi rationum, quæ possunt flectere intellectum, cui non est comperta euidenter rei veritas. Quo fortius illum difficultates & rationes flectunt, eo censentur esse probabiliores, sed cognita illa vtriusque propositionis par aut æqualis probabilitas non habet vllâ ratione, assensum de re certum, sed quo magis penetratur, & certior, aut euidentior, est probabilitas vtriusque partis, eo magis suspensus, & dubius, ma-

net animus : ergo omnino falsum est, quod supponit aduersarius ; quasi vnicum sui tractatus fundamentum P. Fabri, certo probabile facere certum prudentiæ iudicium. Nec verius est, quod addit 2. quidquid speculatiue probabile est, esse tantum probabiliter probabile, si in vsum & praxim nequeat tuto vsurpari. Alia est enim prorsus causa probabilis, & tutæ opinionis, hæc petitur ex eo, quod longè absit à periculo violandæ legis, & diuinæ offensionis, quod potest competere opinioni minimæ aut nullius probabilitatis, vt cum quis sibi persuadet, se peccare, si accedat ad Sacramentum non perfectè contritus, vel si post peccatum admissum conteri differat aliquo momento, hæc opinio tutissima est & minus probabilis. Probabilitas vero petitur è rationum vi & difficultatum quæ vrgent ad assensum vnius partis interdum falsę, qualia sunt argumenta impiorum contra prouidentiam, & in mysteria fidei, quæ sunt tantum speculatiuè probabiliora, quanto magis vrgent : hæc ergo probabilitas, licet certo & euidenter nota, periculosissima est, nec potest assensum extorquere sine noxâ fidei, & salutis, ergo potest, certo & euidenter probabile, esse periculosum, ac proinde vix stare potest, distinctio allata, cui tota tractatio de huius authoris probabilitate innititur.

Hinc etiam refellitur, quod Stubrochius, notis ad notas, in quintam Epistolam de probabilitate refert, ex Sanctio & Escobario infidelem cui proponitur nostra fides vt magis credibilis, dum eius secta probabiliter adhuc credibilis appareat, non teneri ad nostram fidem recipiendam, extra mortis articulum. Sed hanc postremam exceptionem, remouent Sanctius & Diana efficacissimo ad hominem argumento, quod mortis articulus, haud nouam regulam operationum moralium inducat : & consequenquenter asserunt, infidelem illum, nec in mortis articulo obligari ad credendum. Ad hæc respondet Stubrochius in gratiam Sanches, illum eo loci adductum, aliud nihil docere, nisi hæreticum inculpabili ignorantiâ laborantem, non teneri mutare religionem. Sed difficultatem argumenti dissimulat aut eludit, vel male defendit dictum Sanches : Illud enim quærimus, an quisquis habet aliquam probabilitatem licet multis partibus minorem, eâ quæ illi affulget, ex Christianâ & Catholicâ, possit illi per totam

vitam adhærere, & immori, prætermissâ verâ & Catholicâ, quámlibet illi tutior & probabilior videatur. Si id neges, conuellis tuæ Theologiæ fundamenta, in eo posita, quamlibet opinionem, aut religionem, tutam esse, dummodo illi sit probabilis: cui vero religio quâ imbutus est à puero, quam profitetur, & à suis maioribus recepit, non sit probabilis? Dum vnam Iansenismi hæresim, perpetuo improperat VVendrochio Stubrochius, quod neget ignorantiam iuris naturalis excusare à peccato, videtur omnes Hæreticos innoxios & tutos facere: quia paucissimi, aut nulli errores, carent apud suos patronos aliqua probabilitate, saltem tenuissimâ, quâ vnâ omnes in tuto ponunt Sanches, Diana, Caramuel. Deinde ponit tanquam certum Stubrochius, quod nos falsissimum dicimus, non deesse ignorantiam inuincibilem illi, cui probabilior, & tutior, videtur religio Christiana & Catholica, hæresi quâ imbutus est, & innutritus, illique immori constitutum habet. Hinc enim probabilitas, quæ Caramueli est veritas virtualis, ex ignorantia inuincibili, ab omni excusat peccato, & eximit à periculo damnationis. Certè qui nolit hanc hæreticorum excusationem admittere, durior & iniquior est censor si hæreticos pronuntiet. Sed esto inculpabilis sit ignorantia iuris naturalis, nego illam patrocinari hæreticis, quibus religio Christiana, & Catholica, probabilior, & tutior suâ sectâ apparet, quod tamen apertè asserunt Sanches & Bilius, quorum Stubrochius defensionem suscepit. Sed causæ diffisus, quasi hoc falsum aut temerarium præsentiens; aliam tentat huius nodi solutionem. Respondet Stubrochius, aliud esse probabile, aliud videri probabile: nec probabile dicitur, per respectum ab intellectum vnius, sed multorum: alioquin idem esset probabile & improbabile, quod vel dictu ridiculum est. Verùm præter quod recedit à suâ primâ responsione, & quos propugnandos susceperat, deserit, leuior est & debilior, hæc responsio, præ tantæ causæ magnitudine, quâ de salute & de totâ religione agitur: male enim hic distinguit esse & videri, quia hoc singulare est probabilibus, vt cum in veri specie & similitudine posita sint, quidquid videtur tibi, aut multis probabile, reuera ita sit; & quod habet pro ridiculo Stubrochius, passim pro certo statuit Caramuel, quod tibi & aliis videtur probabile, aliis esse posse

improbabile, immo tibi ipsi, si solum mutes: quare defendit vt solidum, & omnibus doctis probandum, quod nonnullus respondit, Parisiis se opinari, nihil iuris esse Pontificibus in imperia Regum, sed hoc Romæ sibi futurum improbabile, idque etiam ex probabilistarum principiis necessariâ consecutione deducitur. Nam si rationes quibus moueris ad assensum tuæ religionis, & opinionis, graues sentis, ergo rem faciunt probabilem, & tutam, si leues tibi appareant, tum nec tibi res videtur probabilis, nec reuera est: ergo malè hæc duo distinguis in re subjectâ. Nec dicas, improbabilem esse opinionem, aut sectam, etsi videatur probabilis vni; quia probabile, non dicitur per respectum ad intellectum vnius, sed multorum; quasi illud probabilitatis genus, repetitum ab assensu multorum, desit illis qui alias religiones profitentur, careantque magnæ authoritatis viris, qui probi, sapientes, ac pene sancti, apud illos habeantur; ergo quilibet ex suis principiis, certus est suæ salutis, quamcumque tandem religionem sequatur, quæ sit (vt Tamburini verbis vtar) tenuissimæ probabilitatis, dummodo non exeat fines probabilitatum.

Et ita sentit Caramuel, quidquid fingat aut dissimulet: hæc enim omnia vt ipse loquitur, *debent transglutire, vel à principali opinione discedere*, quâ falsum probabile à peccato excusat, relictâ religione, vel opinione tutiori & probabiliori, & suæ Theologiæ fundamentalis p. 472. dicit ad solamen illorum qui in Germaniâ habitant, & multos viros aliàs probos, infectos dolet hæresi, aliquas periodos se scribere, & verius ex selectissimis Scriptoribus exscribere. Eo vero loci, Apologiam facit omnium Hæreticorum, Turcarum, Ethnicorum, ac penè Idololatrarum, quibus non deest probabilis opinio, de suâ religione. Miratus sum stylum Caramuelis, & methodum scribendi, non ausim dicere (nec forte possem nisi temere) fraudem & artes: validissima pro arbitrario, & securo quacunque de re probabilitatum delectu, argumenta subijcit, quibus omnia probitatis, & religionis, repagula & claustra videntur abrumpi: ipse tamen ad illa aut tacet omnino, vel aliquareponit, ne videatur assentiri, & vtcumque respondet: sed adeo debiles, ieiunas & impares infringendis argumentis solutiones, adhibet, etsi ista prudens & sciens agat (quod nolim

iudicare, vt dicas præuaricari causæ religionis: vbi totis eloquentiæ & ingenij, quibus valet viribus, Lutheranorum, aliorumque omnium sectariorum, qui in sua religione consenuerunt, Apologiam scripsit; contendit nullâ ibi adhibitâ probatione, sed alio loco indigitatâ, Lutheranorum sectam (& idem de quâcunque aliâ statuendum est) omnino improbabiles, & vnicam Romanam, non iam probabiliter, sed argumentis moraliter; aut etiam realiter euidentibus, & indubitatis, vnicam & veram teneri. Hoc quidem nos vltro agnoscimus, sed male tuis dictis ac principiis conuenit: & ne longius te reuocem: quid sentis, dum eodem loci dicis te illa scripsisse, in gratiam & solatium illorum, quos vt ais, capit & torquet commiseratio Hæreticorum, eosque certo credunt, extra Ecclesiam Romanam perire, censes ne quod timent, falsum an verum? Si falsum, cur illos decipis? cur vanis lenociniis illorum dolorem conaris tollere aut mitigare? si vera sunt, quam dolent Hæreticos manere damnationem: ergo à teipso dissentis, aut imponis nobis, dum jactas te vni Religioni Catholicæ, certitudinem asseruisse, & omnibus aliis abstuliſſe etiam probabilitatem, quæ plane principiis repugnant, & resipiunt Plautini militis gloriationem. Sed quamlibet valida sint argumenta quibus pugnasti pro vnica religione, non potes negare suppetere heterodoxis pro se & contra mysteria quæ credimus, rationes dubitandi non leues, idque experiuntur non solum ipsi qui obijciunt Hæretici, sed etiam nostri qui contra stant Theologi. Nec ipse abnuet Bellarminus: vnde inualuit contra virum doctissimum & iuxta piissimum atrox calumnia, plus nocuisse Ecclesiæ suis libris quam profecerit; quod argumenta Hæreticorum apud ipsum extent validiora, & euidentiora, responsis quibus ea nititur infringere; ergo ne Bellarmino quidem. Quid de ipsis Hæreticis censendum? Deerat ijs erroribus sua probabilitas, id est iuxta tua principia, graues rationes, & difficilis solutionis, ac subinde securitas salutis, ignorantia inuincibilis, veritas virtualis? hæc enim omnia apud te, indiuidua sunt.

Sed alio loco huius Apologematis, quod refutauimus, refert aduersarius, fidei certitudinem, præ aliis sectis & opinionibus, in priuatas reuelationes, quibus dignatus est Deus sanctas Brigittam & Theresiam. Verùm non fa-

cile assentient Hæretici huiusmodi regulis, & principiis; immo ridebunt Catholicos, si Apologema illud legerint, & criminabuntur, ex Caramuelis mente, id est fortissimi Athletæ, qui triginta millia suorum ab hæresi Ecclesiæ adjunxit, nos præ illis, certiores esse veræ religionis, mulierc ularum reuelationibus, id est, vt illi interpretantur anilibus fabulis. Abstinendum planè esset ab huiusmodi argumentis, impiorum & hæreticorum causâ, vel fortioribus, & euidentioribus responsis essent infringenda, quam quæ opponit Caramuel: atque hoc genere disputandi, multò verisimiliorem se calumniandi causam, quam Bellarminus æmulis præbuit, male suis scriptis, consuluisse Ecclesiæ Catholicæ, & religioni Christianæ.

Paragraphvs Tertivs.

Melior & efficacior methodus cum Hæreticis & Impijs pugnandi, eosque ad fidem reuocandi.

Sed ne videar imitari quod damno, difficultatesque aperire, & vix extremis labiis delibare, huius nodi, ex principiis aduersariorum, fere indissolubilis solutionem; tentabo ex nostris regulis ostendere, in delectu religionis, nullum excusari, qui relicta probabiliori, quæ efficacius saluti videtur consulere, minus probabili adhæret. Id vt euincam, ex Tractatu de Fide, vnum assumo apud omnes certum; rationem ingeneratæ, & infusæ à Deo in animos nostros fidei, conuenire cum formâ naturali in materiam inductâ à generante. Vtriusque progressus duabus partibus constat, ipsa fidei aut formæ generatione, & ad illam præuio apparatu. Neque enim imbui fide magis potest animus, quàm materia formas excipere, nisi multis ad assensum rerum diuinarum impellatur argumentis, quæ non veras quidem (hoc enim fieri nec potest, nec est necesse.) Sed prudenter & euidenter dignas, quæ credantur, immo quibuscunque aliis fide digniores probentur. Nam *qui citò credit leuis est corde*: & ea est fidei Christianæ maiestas, vt in captiuitatem omnem creatam mentem redigat, suoque obsequio subiiciat, nec vllibi recipi velit, nisi regnet, & primo ac supremo loco sedeat, eoque assensu

sit amplectenda, vt nullam imposterum repulsam ab hu-
manâ mente, nullum ferre possit diuortium, citrà impie-
tatem & sacrilegium: ad illud verò humani cordis cum fide
conjugium æternum, quod nullâ vi argumentorum infrin-
gi & dissolui possit, opus est vinculis multo firmioribus,
illâ versatili in vtramque partem probabilitate, quâ liceret
non minus fidem, quam opinionum probabilium reli-
quas, ad arbitrium mutare; necesse est ergo immotis om-
nino principiis inniti, quale est istud in religionis delectu,
ad salutem ex vtroque capite præcepti & medij necessariæ,
adhærendum illi vnicè & immutabiliter quæ probabilior
& securior, pluráque habeat testimonia diuinitatis. Ad-
dendum aliud non minus immotum fundamentum, his
argumentis, quibus euidenter & prudenter credenda de-
monstratur, abundare religionem Christianam præ Iu-
daicâ, Ethnicâ, aut vllis; inter Christianas, Catholicæ &
Romanæ præ reliquis, idem nominis præferentibus exi-
miè conuenire; ergo illi vnicè & æternum adhærere opor-
tet, neque vlla dubitatio admittenda est, post hoc, quod
vocant, credibilitatis indicium. Quid isto fundamento
firmius? Quid hoc dictamine prudentius? Quid hac re-
gulâ tutius? Quid hâc doctrinâ, ad religionem aduer-
sus portas Inferni, muniendam efficacius, vt post ista cre-
dibilitatis, & diuinæ veritatis, testimonia, fas sit dicere
cum Richardo Victorino: *Domine, si error est quod fide*
Christianâ credimus, à te decepti sumus &c. Hæc vero
principia, quibus salua est religio, vnde depromemus?
Non ex officinâ arbitrariæ ad vtrumlibet probabilitatis, sed
ex Sanctis Patribus & melioris notæ Theologis, quorum
vestigia sequitur D. Fagnanus, traditamque ab illis doctri-
nam luculenter illustrat, ac valide propugnat: quid habet
simile Caramuel, quo consulat religionis Christianæ &
Catholicæ veritati, cùm securitatem salutis promittat,
secutis quamcumque aliam minus probabilem; cum quis-
que suam probabiliorem esse reputet & defendat. Cœcus
plane sit, qui hinc ex Caramuele impendentia Religioni pe-
ricula, inde ex D. Fagnani regulis, inuicta parata præsi-
dia, non videat. Certè non aliunde id sperari potest, be-
neficium, cuius causâ fundamenta Ecclesiæ posita, datos
illi Apostolos, Pastores vsque ad consummationem sæculi,
docet Apostolus, ne scilicet circumferamur omni vento
doctrinæ,

doctrinæ: quid vero aliud expectes, ab illo versatili probabilitatis vsu, quam Academicorum in opinionum delectu inconstantiam? Temerarius plane sit, & seuerè castigandus, qui exactâ ad has regulas Lesbias, totâ vitâ, ad iudicium Dei vocatus, verbis Richardi se excuset, *Domine si error est*, arbitrarius probabilitatum vsus pro commodo, contra probabiliorem à lege tuâ stantem, à te decepti sumus. Timeo ne hæc defensio reliquas vitæ præteritæ culpas, noua grauiori cumularet & augeret.

Vanus omnino & falsus essem, si me paria in reuocandis ad fidem Hæreticis, facturum putarem cum Caramuele, qui triginta millibus Lutheranis Ecclesiæ adjunctis, Angelis gaudium peperit maximum, quandoquidem super vno peccatore dies in cœlis festos & solemnes agunt. Vtinam possem gloriari meâ operâ, triginta aut decem ab hæresi ab Ecclesiam rediisse, verum si plus profecisse vltro agnoscam, forte non concedam, plus & diutius, quamuis felicius me laborasse. In eo autem genere Ecclesiastici muneris & disputationum, quo viuâ voce regnare Caramuelem licet ex fructibus conijcere, timeo ne scriptis euertat quæ concionibus aut colloquiis promouit. Sane si obtineat, quam vbique obtrudit, assertio ad securitatem conscientię, in materiâ fidei, sufficere opinionem probabilem, non capio, quâ ratione persuadeat hæreticis, suos errores abijcere, quos vix possit ita apertè refellere, quin ad minus aliqua illis superfit tenuissima probabilitas, quæ ex Tamburino securos faciat suæ salutis, abjectâ opinione & subinde religione tutiori, & probabiliori, etiam in articulo mortis.

Quamuis igitur infinitis partibus me Caramueli inferiorem agnoscam, in lacessendis, conuertendisque hæreticis, non dubito tamen me disputandi methodum sequi tutiorem, & longe efficaciorem. Vbi primum controuersias attigi concionibus ad populum habitis in ciuitatibus Galliæ hæresi infectis, sensi optandam rem, magis quam sperandam, posse omnem probabilitatis speciem eripi, erroribus tot libris, non mediocri eloquentiâ scriptis, tot argumentis eâ vi contortis, vt quidam putent, interdum è nostris Doctores, ea debilius excipi & depelli. Itaque aliam iniui viam, & artem pugnandi, rudis adhuc huius disputationis de probabilitate, quam in Scholis, nec exceperam à

Magistris, nec prælegeram, in illam concessi sententiam disputationis superioris 2. Sectione explicatam, quam postmodum comperi à Suare traditam, quamuis tum, nec scirem, an illud argumentum tractasset. Demus probabiliatem etiam minorem, pro libertate contra legem, eximere à peccato, eos qui rem solo præcepto ad salutem necessariam prætermittunt: id tamen periculosissimum censebam, & subinde illicitum,& contra Charitatis & prudentiæ leges, quæ nostro bono jubent nos consulere, si eâ laxissimâ probabilitate arbitrariâ vtamur, cum de Ecclesiæ & de religionis electione cogitamus, quæ necessitate medij ad salutem exigitur: ac proinde si à verâ recedamus per errorem, & si velis etiam ignorantiam inuincibilem, esto demus id fieri sine peccato, non tamen sine grauissimâ jacturâ mediorum & auxiliorum, nempe Sacramentorum quibus vera Ecclesia abundat, curandis nostris morbis, promouendis ad bonum nostris conatibus, quæ si desine, eaquè repellas, contentus minus securâ religione, minus probabili & efficaci, esto probabilitas te à peccato malæ electionis excuset, non tamen ab aliis, neque à damnatione, quam ineuitabiliter incurres relictâ religione, quæ peccatorum veniam conferre poterat, & contra lapsum in noua te munire. His vero præsidiis destitutus es, quia relictâ tutiori religione, quæ tibi hæc remedia, & auxilia, parauerat, minus tutæ tuam salutem credidisti: ergo nisi perire, & saluum fieri, nihil pensi habeas, ea sectanda est religio, quæ te meliora, & perfectiora doceat, quæ tuis malis curandis efficaciora adhibeat remedia, quæ te muniat auxiliis, & Sacramentis validioribus. At quæ religionum, quæ sectarum vlla, certare possit cum Catholicâ & Romanâ his dotibus à me enumeratis? Et ne singula controuersiarum capita decurram, hâc maioris securitatis collatione, ad percellendos Hæreticorum animos efficaciissimâ, inde multo certius, de religionis delectu, iudicium depromebam, quam quod Salomonis sapientiam omnium gentium, & sæculorum laudibus, & admiratione, celeberrimam fecit. Quo ille argumento legitimam matrem infantis (de quo lis sub ipso erat) cognouit, possumus veram religionem à falsâ secernere, illique adhærere, quod spuria inclamet, diuidatur. Quamuis Hæretici ambiant sectatorum multitudinem, & glorientur

populorum turmis, antiquiora tamen sunt illis præ hominum salute dogmata, & illis tutandis quamlibet incertis, & falsis, nihil dubitant apertissimis periculis, se suosque objectare. Hæretici ex Luthero variarum sectarum, quasi innumera muscarum examina è tauri cadauere orti, vnâ fide nos iustos & saluos fieri, quasi quâdam conspiratione consentiunt: atque vt errorem hunc deterrimum tutentur, quid non tentant & moliuntur? Paruulis quod vnum supereſt salutis præsidium, baptismum negant moribundis, nisi adsit minister, & ad Synagogam deferri possint. Adultis Sacramentum Pœnitentiæ auferunt, iustos suis meritis, defunctos suffragiis viuorum, cœlites religioso cultu, totam Ecclesiam vnico Missæ sacrificio fraudant, omnia denique sus deque miscent, suis insomniis confirmandis. Esto de his omnibus, æquo marte pugnemus, demus probabilia esse, quæ falsissima docent; nec baptismo paruulos ab originali labe, nec absolutione sacramentali adultos à peccatis mundari, nec mortuis solatio esse suffragia Ecclesiæ, non possunt negare quámlibet pertinacissimi, quin ex totius Ecclesiæ perpetuâ traditione, ad minus probabilissimè, his Sacramentis subsit vis aliqua purgandis peccatis. Quid igitur mali fuerit, illa adhibuisse paruulis & adultis, cum grauissima damna timeri iustè possint, si remoueantur. Quid vero ex hac in hæreticos indulgentiâ nobis perit? nihil omnino: sed his omnibus gratis concessis inuictum habemus argumentum, certissimumque de eligendâ religione iudicium. Hinc Ecclesia Catholica, vera Mater nostra Ierusalem, inde hæreticorum Synagoga adultera & meretrix contendunt, vtraque se Sponsam Christi prædicat, & electorum Matrem, quos Christus lauacro aquæ & verbo vitæ, suáque vitali morte generat: qua vero ratione, hanc litem grauissimam dirimemus; vnâ voce *diuidatur*, quæ Synagogam hæreticorum, meretricem, non Sponsam Christi, & nouercam, aut carnificem, non Matrem demonstrat: Fidelium salutem nihil pensi habet, & suorum errorum causâ, nihil dubitat suos filios jugulare, paruulis morituris baptismi, adultis pœnitentiæ Sacramenta negat: Ergo quærenda est aliò nostra salus, esto, non exeant huiusmodi sectæ probabilitatis fines, atque hæc argumenta indubitatum prudentiæ iudicium sanciant, quæ

certus fiat veræ religionis delectus. Ne igitur salutem nostram in adeo apertum discrimen vocemus, ne religionem, perinde ac vestes, ac mores in diem mutemus, hæc immota sedeat sententia, nunquam licere minus probabili adhærere, relictâ tutiore & probabili. Quod de religione euicimus, nisi velimus esse quasi Cothurni, & omnium religionum idest nullius, negari nequit, nisi per summam proteruiam, valere de opinione, quæ stat pro lege contra libertatem, tutiorem quærendam esse & sectandam.

PARAGRAPHVS TERTIVS.

Eodem argumento refellitur resolutio secunda & decima.

SED contra instat Caramuel, & duabus resolutionibus citatis, contendit ad securitatem conscientiæ, etiam de rebus Fidei, sufficere opinionem probabilem; nec dubitat addere, se demonstraturum D. Fagnanum, qui secus sentit, sibi passim contradicere; & quia rem non capit, & nodum difficultatis non penetrat, eadem ipsa interdum affirmare & negare. Miror ausum ita præfari. Hominis candidi, & ab omni dolo & fraude alieni est (qualem se passim prædicat Caramuel, nec puto nos fallere) abstinere à culpis, insonti improperandis, à quibus ipse propius absit. Iam non vno loco demonstratum est, Caramuelem suis de probabilitate principiis, pessime consulere fidei rebus, & vix aliquid reliquum certitudinis Ecclesiæ facere, dum omnes ad vnam, opiniones probabiles, vult tutas & securas esse. Post ista nihil dubitat D. Fagnanum criminari, quasi fidem euertat, & constitutionem Pontificum de Conceptione postremam, sceleris & nullitatis accuset. Sed vt breui ac validè has accusationes depellam, & regeram in Authoris caput; ex Tractatu de Fide documentum apponam; summè obseruandum, & omnium consensu receptum; nempe res quæ fidei ac religionis ambitu continentur, & aliquâ ad illam ratione pertinent, in tres quasi classes diuidi, supremam, mediam & infimam. Prima habet res à Deo reuelatas, quas fide diuinâ eius Scripturâ & Traditione excepimus; secunda huic proximè accedit, &

res complectitur reuelatis mysteriis necessario connexas, atque inde consecutione euidenti deductas, vt cum duas Christo inesse voluntates infertur, quod vnitate personæ duas naturas, diuinam & humanam jungat, quarum cuique suus intellectus, & propria voluntas conueniat: Tertium genus ab vtroque remotum est, eorum quæ nec juncta reuelatis necessariâ consecutione, sed conjecturis & probabilibus argumentis inde deducuntur. Atque hoc vltimo loco reponimus controuersiarum plures, quibus Scholæ perstrepunt, an Angeli intelligant speciebus receptis à Deo, an haustis à rebus: vtrum suâ operatione, vel suâ substantiâ sint in loco. Eo pertinet (quidquid dicat Caramuel) quæstio celebris inter Diuum Thomam & Scotum, vtrum Adamo innocentiam sibi suisque filiis seruante, Verbum carnem assumpsisset: licet enim magis consentaneum sit Scripturæ interpreti decretorum diuinorum, Verbum carnem non assumpturum, Adami stante innocentiâ, nullus tamen Theologorum id necessariò ex Scripturâ consequi censet: ergo inter probabiles reponi debet hæc sententia. Eiusdem generis, vltrò agnoscit Caramuel, esse de immaculata Conceptione disputationem, quam multi dicunt quoddam consectarium ad superiorem, & provt de hac statueris, Adamo non peccante Verbum incarnandum, aut carnem non assumpturum, conuenientius & probabilius de Conceptione immaculatâ statuendum videtur: & ideò Scotus & Suares acutissime obseruarunt, de Incarnatione Verbi explendâ etiam Adamo non peccante, sententiam fauere plurimùm immaculatæ Conceptioni; & huius opinionis causâ priori adhæsere: certum itaque est vtramque ad hoc postremum genus pertinere.

Primi ordinis dogmata, omnium consensu, pertinent ad vnius fidei subsellium, quæ assentitur ijs quæ subsunt immediatæ Dei reuelationi. De secundo genere dogmatum, quæ non tam reuelata sunt, quam reuelatis necessario connexa, adeò discordes sunt Theologorum, etiam Societatis opiniones, vt Vasques contendat, ad primum genus, id est ad fidei assensum, pertinere conclusiones Theologicas, ex duabus præmissis, seu articulis fidei, euidenti consecutione deductas: Negant id Suares, De Lugo, & alij, nisi accedat Ecclesiæ definitio: neque hoc

etiam admittit Molina, & contendit, nullâ Pontificiâ, aut Conciliorum definitione, res secundi ordinis ad primum fidei articulorum promoueri. Sed quidquid sit, de hâc satis graui contentione: de tertio ordine omnes consentiunt, longè remotiores à certitudine primi ordinis. Addunt etiam quidam eo non posse vllâ authoritate prouehi, nisi noua reuelatio diuina adueniat.

Si Caramuelis Apologema, aliosque libros inspiciamus, conijcere licet, hæc trium generum dogmata, eodem loco apud ipsum haberi: quia nihil distinguit, & omnia videntur illi probabilia, nihil necessarium: vellem apertius suam mentem explicaret: sed quidquid ipse censeat, non potest à nobis exigere, vt eius opinioni assentiamur, aut sequamur methodum. Dicimus itaque, primi & secundi generis dogmatum, assensum minimè arbitrarium esse, ex probabilitatum licentiâ, sed necessarium ex fidei, vel Theologiæ demonstratiuæ principiis, quæ res à Deo reuelatas, vel illi necessariò junctas, pro indubitatis habent. Rerum tertij generis probabilium, si ad speculationem non ad mores attineant, & ad disputationes magis quam ad bonam mentem conferant, concedimus Caramueli arbitrarium esse consensum, licet lege Ecclesiasticâ prohiberi possit ne euulgetur.

His itaque ex saniori Theologorum sententiâ constitutis, facile est refellere secundam & decimam resolutionem, quibus magno verborum strepitu, potius quam argumentis, agit contra D. Fagnanum, quasi sibi ipsi & summis Pontificibus repugnet. Quæcumque assumit illâ resolutione x. apertè falsa sunt; vel ad rem nihil faciunt. Sic enim arguit impossibile est, simul veras esse doctrinas contradictorias, nihil verius: At Sanctissimi D. N. & D. Fagnani resolutiones sunt contradictoriæ: nihil magis falsum. Quâ vero id ratione probes non video; nisi illo assumpto quod apponis, At Bulla non est dubiè, incertè, & probabiliter admittenda, sed certo tenenda. Nihil certius. Ergo D. Fagnani opinio certo & euidenter est reijcienda, nihil illâ consecutione magis inconsequens, & pejus probatum; atque vt has omnes argutationes, quibus tria pene folia implet vno verbo refellamus, superiori ex Tractatu de Fide documento, de triplici Religionis rerum ordine.

Addendum: Ecclesiæ à Christo collatam facultatem, sin nouos articulos condendi (quod Theologorum multi negant) certe quod apud omnes est in confesso, definiendi, quo loco sint constituendæ, quo assensu sint excipiendæ; & si quis negaret, non solum reuelata, aut necessario reuelatis connexa, sed etiam probabilia, ita se habere, sicut statuit Ecclesiæ definitio, ille non modo contumax esset, sed erroris suspectus, aut compertus, quod parere detrectaret Ecclesiæ, quasi de potestate collatâ à Christo definiendi, quo loco sint res religionis, censeretur dubitare, quod Hæreticum est. Ergo parendum est definitioni, statuenti Conceptionem immaculatam esse probabilem, & ex illâ probabilitate posse coli citra vllum peccatum; ita censet D. Fagnanus, ita omnes pij. Falsò igitur criminatur, nos eleuare, & irritam, aut falsam velle, postremam de Conceptione constitutionem, cui nos subijcimus. Ergo inquit aduersarius, certum est in materiâ fidei, ad securitatem conscientiæ sufficere opinionem probabilem: ergo si stet D. Fagnani doctrina, ad nihilum redigit bullam sanctissimi: accusat veritatem quam Theologi asserunt esse de fide. Videtur vt seruus Euangelij, D. Fagnanum suffocaturus tenere, tot consecutionibus obruendum, quibus rem confectam putat, & triumphum agit. Paulo ante dixerat: *Optarem hic respondentem D. Fagnanum audire, rogo iterum cur sanctissimus noster bullam hanc expediuit.*

Sed has triumphales lauros, non admodum difficile est, in cupressos mutare. Aduersarii voto satisfactum est: sed vt plenius impleam, respondeo semotis tricis de duplici terræ motu, ex Galilæo, quibus facilem quæstionem implicat, hanc constitutionem expediuisse Pontificem, quod prudenter & certo reputaret; suorum decessorum vestigia secutus, hanc quæstionem de Conceptione immaculatâ, ad tertium Religionis tribunal pertinere, de probabilibus; & posse tuto suâ probabilitate frui, quamuis alia non suppeterent argumenta, quam hæc duo, de lege in seruos latâ, vt omnes post parentis lapsum nascantur infecti labe geniali, à qua conueniens & probabile est, Legislatoris & Iudicis matrem exemptam: & de immunitate à peccato veniali, qua Deiparam donat Augustinus, vnde probabilissime similem ab originali peccato munditiam Scotus,

aliique Theologi confirmant; ergo hæc de Conceptione immaculatâ probabilis est sententia, & merito à summis Pontificibus confirmata. Nec aliò spectant definitiones Pontificiæ, quàm vt sua illi constet pia probabilitas, indicto aliud sentientibus silentio, ne contra publicè intercedant. Et ne videamur à Pontificiis constitutionibus vel minimum recedere; de tertio rerum ordine (quo hæc controuersia spectat) non permittimus nobis hiscere, quod de secundo scripsit Molina, non dari vllâ authoritate Ecclesiæ inde ascensum ad primũ ordinem. Sed iam ingruunt densæ magis quam validæ consecutiones: quamlibet opinionem probabilem sufficere ad securitatem conscientiæ. Certe non melior est argumentatio, quam si quis æquare velit, veritatem de Conceptione Deiparæ cum generatione verbi; sufficit probabilitas ad res fidei in 3. ordine locandas, qui tantum probabilia continet; Ergo probabilitas sufficit ad res primo & secundo ordine constituendas, quæ reuelatæ sunt à Deo, aut reuelatis necessariò connexæ: Non aduertit aduersarius, suas consecutiones esse perpetuos paralogismos, & sophismata, quæ à sensu restricto, fiunt ad sensum latissimum & amplissimum, à specie ad genus: probabilitas sufficit, ad res fidei, reuelatis connexas verisimilibus argumentis, & quæ pertineant potius ad Theoriam, quam ad praxim; & si cultum religionis attingant, vtrinque pugnant opiniones probabiles pro officio. Ergo probabilitas sufficit, & tuta est, ad res fidei primi & secundi ordinis, ad res morales, cum pugna est, non inter diuersa officia, sed inter officium & commodum, inter honestum & vtile: pudebit sane aduersarium huiusmodi Sophismatum; ergo paralogisat totis sex paginis, quas his argutationibus implet. Atque vt omnia vltimo tandem conuellamus, hoc superioribus addo, de Conceptione immaculata opiniones aientem & negantem, exigi debere ad regulam tertiam à nobis constitutam, opinionum vtrinque pro officio pugnantium, quæ non longe absint ab eâ concertatione, cuius Persarum & Iudæorum duo custodes Angeli, præbuere exemplum. Certum est nos debere reuereri scripturam, & traditionem, vt Dei verbum, nec minus Virginem verbi Diuini matrem esse colendam: qui de Conceptione immaculata opinioni neganti adhæserunt, rationem habuere scripturæ & traditio-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [296] - 216
PUBLIC DOMAIN

nis, cui præ ſumma reuerentiâ, non ſunt auſi exceptionem addere, quam euidens eſt expreſſis verbis Scripturam non præferre: qui vero ſecuti ſunt ſententiam affirmantem, affectui in Deiparam ſe permiſerunt, & eius honori qua fieri poſſet, conſultum voluerunt. Quid ad hæc ſummi Pontifices? In hanc ſententiam propenſiores, cauerunt ne altera peccati aut erroris damnaretur. Nouerant nempe ſapientiſſimi & ſanctiſſimi Patres, vtrinque pro officio, hinc pro reuerentiâ in Verbum Dei, inde pro cultu in verbi matrem, ſi quæ fuiſſet Theologorum diſſentio, honeſtiſſimâ aut certe non damnandâ æmulatione natam, cum aliunde quæſtio ad Theoriam pertineret, vel ſi ſpectaret ad legem in ſeruos latam, obſequium in matrem & reuerentiam illi debitam, exceptionem inducere tutiſſimam. Monſtret Caramuel, quas propugnat opiniones pro libertate contra legem, & ſalutem, æque honeſtas ac tutas eſſe: & tum dabimus, quod tantâ congerie argumentorum, fruſtra probare nititur, æque omnes tutas, ſecuras, ac iſtam de Conceptione immaculatâ, Pontificiis conſtitutionibus ſancitam.

PARAGRAPHVS VLTIMVS.

Refellitur reſolutio nona.

FAM quiſquis leget meram vitilitigationem dixerit, potius quam diſſertationem Theologicam. D. Fagnanus in prima claſſe rerum fidei, diſtinguit credenda ad ſalutem ex duplici capite, aut neceſſitate medii, aut præcepti; prioris generis credenda reuocat, cum Apoſtolo ad Dei exiſtentiam & prouidentiam. *Accedentem ad Deum*, inquit Paulus, *oportet credere, quia eſt, & quia remunerator eſt*, ſi horum fides deſit, non poteſt comparari ſalus, nec inſtitui vita Chriſtiana; ad vtrumque enim neceſſe eſt, agnoſcas Deum exiſtere, & eſſe remuneratorem, id eſt bonis præmia æterna, & malis ſupplicia paraſſe. Ad hæc duas habet obiectiunculas Caramuel, quibus ad ſuam opinionem viam paret, nempe aut fidem ſaluti comparandæ, minime neceſſariam, niſi forte habitualem baptiſmo infuſam. Quid fiet, inquit, Philoſopho, qui demonſtratione nouit Deum exiſtere, quæ fidem excludat? Ergo nihil opus fide, vt medio ad ſalutem, qua quis credat Deum eſſe. Miror aduerſa-

rium dissimulasse communem Thomistarum ad illud argumentum solutionem ; esto nouerit Philosophus demonstratam Dei existentiam vt Authoris naturæ ; adhuc superesse locum fidei, quæ certos nos faciat Deum existere vt gratiæ auctorem.

Deinde carpit Fagnanum, quod suæ regulæ hic oblitus deseruerit tutiorem Theologorum opinionem, qui fidem Christi vt Redemptoris necessitate medii requirunt ad salutem. Sed nisi placuisset vitilitigare, poterat agnoscere, D. Fagnanum non excludere fidem Christi à mediis salutis, sed illam velle implicitè contineri 2. art. Dei vt remuneratoris, cuius est causas instituere, quibus felicitatem paratam consequamur, & miseriam æternam effugiamus: hoc vero causarum ordine Christus continetur, quasi præcipuus post Deum Author nostræ salutis, & libertatis assertor, ac vindex.

Iis leuioribus objectionibus depulsis, expendenda sunt quæ contra fidei actualis, ex efficaciâ medij necessitatem à Fagnano constitutam, profert, non tam argumenta, quam paradoxa aut potius monstra inaudita. Euincere se putat, fidem habitualem exclusâ actuali, & institutione vitæ studiosæ, & Christianæ, semotâ, salutem æternam comparari, exemplo pueri, qui è Christianis natus, & tinctus Baptismo, à barbaris abreptus, atheismum edoctus fuit, & omnia vitiorum genera ; post exactam vitam nullo in legem naturalem prætermisso scelere, censet integrum vitæ, scelerisque purum, cœlo recipiendum post mortem, vi fidei habitualis receptæ ex Baptismo, à qua neque à gratiâ vnquam excidit, quod quæcunque admisit in Deum scelera, excusent probabiles opiniones, & illis indiuidua iuris naturalis inuincibilis, & omnino inculpata ignorantia.

Hæc verius dixeris errorum portenta, quam argumenta, & si alia deessent pro nostra causâ, præter ea quæ pro se habent aduersarii, quis negare potest, pro nobis stare veritatem, & securitatem salutis? Id inprimis scire vellem, vnde aduersarius hanc fidem habitualem hauserit? A Leandro, inquit, nupero Authore, qui ne id quidem asserit, iis quæ refert ad minus ex illo verbis : adeo omni authoritate & argumento destituitur. Deinde nihil certius, omnium Patrum & sæculorum consensu, fide salutem comparandam. Quâ vero? an habituali? sed ea, sicut cæ-

teri virtutum habitus, vix vllo loco apud sanctos Patres extant: quod aperte testatur Clementina, cum habitus virtutum meminit ex probabiliori opinione recentiorũ receptos esse. Et reuera ita est: actualis fidei perpetua est apud sanctos Patres commemoratio, & frequentissimus vsus; fidei habitualis vnum ex Augustino locum legi, cum iustitiâ paruulos baptismo infusâ regeneratos, & saluos pronunciat: sed cum de adultis, vna commendatur actualis fides. Ergò sancti Patres ante nouam hanc Theologiam à Caramuele aut à Leandro cusam fidei ignotæ litabant, à Caramuele corrigendi. Eius interpretationi assentiar si vnum dederit ex antiquis, qui Apostolum interpretatus sit, quo sensu illum explicat; de fide habituali excluso omni actu, imo opere pietatis, & nullo scelerum genere non admisso, quæ non charitas, sed probabilitas tegat, & ignorantia inuincibilis excuset. O nouum iustificandi genus non à fide per charitatem operante, cum Catholicis, non à solâ fide actuali, exclusis quibuscunque operibus, seu bonis ad salutem, seu malis ad damnationem, inefficacibus ex hæreticorum errore, sed à fide habituali, baptismo receptâ, quam nullum impietatis aut flagitiorum genus potuit à corde adulti euellere, nouo & inaudito dogmate repetitum! Nonne forte Caramuel hoc exemplo pueri à Christianis nati, & baptisati, abrepti à barbaris, atheismo innutriti, & ad finem vitæ salui, cœloque recepti, voluit in tuto ponere, aut demereri Turcarum Tyranni prætorianas cohortes, & Ottommanici Imperij robur, milites quos vocant Ianissarios, omnes fere à teneris vnguiculis, tributo impiissimo Christianis parentibus post susceptum baptismum ereptos? his enim omnibus cælum latissime referat, vi gratiæ habitualis, quæ veluti semen incorruptum vitæ æternæ, non potuit extingui, eiuratâ Religione Christianâ, cui crudelissimum per totam vitam bellum indixerunt: excusantur enim ab his omnibus erroribus ignorantiâ inuincibili, qua sectam Mahometicam, monstrant se probabiliorem Euangelio censere, quandoquidem fere inauditum est vllum sacrilegæ militiæ cingulo & profanæ sectæ Sacramento abiecto, ad Ecclesiam rediisse, in qua fuerant Christo regenerati. Hæc prodit dogmata Caramuel, tanta assueratione, vt si quis ea in dubium reuocet Ianseniſta sit, quod nolit huius generis probabilitatem,

& ignorantiam inculpatam dari, & vim charitatis habere, quæ operit multitudinem peccatorum.

Deum immortalem ! quam alienus est Caramuel à mente diui Thomæ, qui anxie quærit quid facto opus sit, puero ad instans rationis progressò, cum illi vita humana & Christiana instituenda est, atque in eo nodo soluendo, tamdiu desudauit sanctus Doctor, & statuit, eo momento hominem se ad vltimum finem, & ad Deum, eo quo par est, amore prosequi summum bonum, idest super omnia, se referre oportere, nec posse citra peccati mortalis noxam, huic officio deesse. At Caramuel, ne quidem peccati venialis damnat, etiamsi totam vitam latro & atheus vixerit, nec dubitat in cœlum admittendum, vi gratiæ & fidei habitualis, baptismo infusæ, à qua nunquam exciderit, tot sceleribus, quæ probabilitate & ignorantiâ inuincibili excusantur. Quare existimo illum vix à risu abstinere, dum videt Diuum Thomam sollicitum, totos ingenii neruos contendere, ne quis cum originali & solo veniali peccato moriatur, ne ab altero duorum dogmatum, & communi consensu Patrum recedamus, aut quartum à Cœlo, Inferno, puerorum limbo locum & receptaculum post mortem animarum agnoscamus, quo perpetuas peccati venialis originali adiuncti, pœnas dent: vel quod perinde absurdum, peccatum vllum etiam veniale, remitti iis, qui expertes sunt gratiæ habitualis, & ab amicitiâ Dei extorres, & alieni. Hos nodos qui Diuo Thomæ videbantur vindice digni, & negotium facessebant, veluti araneārum telas, reputat Caramuel: quandoquidem statuit, cœlum patere vi baptismi, & gratiæ habitualis homini, qui consenuerit, & per totam vitam se se volutarit, in omni genere flagitiorum, nullo vnquam bono opere edito, nullo prætermisso crimine quod allibuerit aliquo probabilitatis fucatum lenocinio. Si nullum nobis aliud suppeteret argumentum, quo impugnaremus arbitrarium probabilitatis vsum, illique adhærentem ignorantiam inuincibilem, præter illud quod nobis suppeditat hæc resolutio nona, non video posse excusari illam opinionem Caramuelis, quæ omne genus peccatorum excusat, inuincibilis ignorantiæ nomine.

Quæ Fagnanus, aliique Theologi addunt, fide credenda ad salutem, præter duo ex Paulo Capita, Dei vt autho-

iis gratiæ, & remuneratoris bonorum operum, ac malorum vindicis, pertinent ad aliud genus neceſſitatis à præcepto, quâ exigitur ab adultis diſtinctior articulorum ſymboli fides. Vitilitigat hic etiam Caramuel, & contendit, ex Fagnano poſſe citra noxam erroris, adultum credere Patrem filio vt Deo majorem; Ergo ſi error ex ignorantiâ, nihil noceat circa res fidei, ſufficiet ad ſecuritatem conſcientiæ, quæcunque de rebus fidei probabilis opinio: & hoc debile argumentum confirmat, inepto ad rem exemplo, à controuerſiâ, vtrum Adami ſtante innocentiâ, verbum carnem humanam induiſſet, *quamuis*, inquit, *res ad fidem pertineat, negat Diuus Thomas, affirmat Scotus, fore incarnandum.*

Sed non aduertit, hoc differre fidem credendorum neceſſitate medii, ab iis, quæ ex præcepto credenda ſunt, quod in iis errare poſſis, ex ignorantiâ inuincibili, citra noxam ſalutis, aut peccati reatum; illa vero ſi neſcias, licet ignorantia inuincibilis excuſet à peccato, non tamen poteſt obire vices & munus fidei, tu & ſaluus ex ignorantiâ fieri, ſicuti fide, omnes electi felicitatem æternam conſequuntur. At, inquis, ſi ignorantia excuſet ab errore, rerum fide credendarum, ſufficiet ad ſalutem quæcumque probabilis opinio in materia fidei, ſed quæro à te, quibus de rebus agas, vel de credendis neceſſitate medii, & horum fidem nulla ignorantia aut probabilitas ſupplere poteſt: aut agis de rebus credendis ex præcepto, quas antecedunt res creditæ neceſſitate medii, & in his licet ab errore ignorantia inuincibilis excuſet, non tamen opinio quæcunque probabilis, relicta probabiliore & tutiore; quod vnum obtendis & male probas argumento ad hominem contra Fagnanum: nec efficacius eſt exemplum à controuerſia de Verbo incarnando, ſtante innocentia primi hominis quæ ad quæſtiones Theologicas, non ad deffinitiones fidei pertinet, de quibus hic diſputamus.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [301] - 221
PUBLIC DOMAIN

ARTICVLVS TERTIVS.

Probatur opinionis pro lege delectus ab officio Professorum in Scholis, Consultorum, Confessarij, & Medici.

HÆc omnia jungimus rerum cognatione, & isto argumento quæ dicturi sumus perstringimus. Professoribus Scientiarum incumbit ex officio docere probabiliora & similiora vero, animarum consultoribus de tutioribus monere opinionibus, easque subiicere se consulentibus. Ministri etiam Sacramentorum & Confessarij debent adhibere certiora, efficaciora remedia purgandis peccatis animorum, sicut Medici sanandis morbis corporum, ergo cum de rebus moralibus dubitatio emergit, & pugna opinionum, eligenda est verior euitandæ deceptionis causa, & tutior ad effugiendum peccati periculum, & certior ne à spe boni comparandi excidamus.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Explicatur fusius argumentum propositum, & triplex gradus aut caput distinguitur deligendæ verioris & tutioris opinionis.

RETRACTANDA est iterum toties explicata, & nondum exhausta, notio opinionis. Cuiuscunque sit generis, seu ad speculationem, & veritatis indaginem, seu ad mores, & ad vitam probe instituendam, ac felicitatem consequendam, pertineat, ex communi ratione assensus incerti, & formidilosi, res verisimilis, cui falsum subesse possit, habet periculum deceptionis necessario sibi annexum, quod auelli nequeat, nisi desinat esse opinio. Hinc omnes consentiunt Theologi, opinatiuum assensum Deo repugnare: licet enim cognoscat, rei vel opinionis probabilitatem, quia euidens & certa esse potest incertæ veritatis: non tamen potest illi assentiri opinatiuo iudicio, id est infirmo, debili & cum formidine, ne decipiatur. Hinc

etiam, vt alias obseruatum est, Stoici semouebant facultatem opinandi à sapiente, quòd Deo pene parem facerent, nec paterentur obnoxium esse deceptioni, quæ nequeat ita ab opinione semoueri, quin nesciens & imprudens, interdum falsus sis, dum opinaris.

Sed præter communem hunc omnibus opinionibus ingenitum defectum, aut periculum deceptionis & falsi; opiniones rerum moralium, quæ stant pro libertate contra legem, aliud habent vitium singulare, quo speculatiuæ omnes, & morales etiam opiniones, pro lege pugnantes carent, nempe periculum mali & peccati, ne reuera quibus fauent, actus, illegitimi & lege prohibiti sint. Vnde necessario consequitur (quamuis id negent Caramuel, aliique probabilitatum patroni) maiorem cautelam adhibendam esse, ad delectum opinionum quæ agenda docent, quam quæ ad meram disputationẽ referuntur. Ratio discriminis est aperta, quod in istis, dum minus probabilis probabiliori postponitur, periculum sit vnius mali minus grauis, nempe falsi aut erroris, qui tamen saluti ac bonis moribus nihil noceat; illis duplicis mali, erroris nempe & peccati, periculum subsit, maxime, si non solum minus tuta tutiori, sed etiam minus probabilis, veriori præferatur.

Quod ad opiniones speculatiuas attinet, quamuis ex illarum delectu arbitrario minus, quam moralium existere potest mali; & si vbique timendum & cauendum esset, anxios nos haberet, & grauissimas molestias, modico fructu & interdum nullo redimeremus, opinionis speculatiue probabiles ita de veritate certant, vt nulla brauium capiat, quia neutra vincit aperta assecutione veritatis, sed ad illam vtraque accedit aliquando eodem gradu, interdum dispari distant interuallo. Si æque sint probabiles, libera est vtriusuis electio, nisi voto aut præcepto, vni sis addictus, & in alicuius Magistri verba iuraueris. Arbitrario huic delectui fauet, quod neutra illarum opinionum veritatem assequatur, neutra careat periculo falsi, vtraque absit ab omni specie peccati: ergo parum refert vtri illarum assentias, nisi intra probabilitatis fines, altera multis partibus vincat. Innato enim desiderio ad verum ferimur: & si id assequi certo non datur, propius ab illo abesse optamus; & vix à veri contemptu excusari posset, is qui nihil curaret,

longius ab illo abscedere, minus probabilium assensu. Hinc fit Lectoribus, & Scientiarum quarumcunque Professoribus, male conuenire, vagum illum delectum opinionum, quamlibet disparis probabilitatis; quod illis incumbat onus veritatis diligentius inquirendæ, vt alios doceant: & si assequi omnino nequeant, enitendum est vt quâ fieri potest, à falsi periculo se, alioque longius abducant; neque enim solum sui causa, sed etiam discipulorum, ijs arcendis malis, & bonis promouendis debent adlaborare: & male omnino responderent expectationi publicæ, stipendiumque, & Reipublicæ bonis, constitutum, viderentur furari, magis quam lucrari, si negligerent inquirere, & docere veriora, si captarent ingenij gloriam in defendendis difficilioribus, minusque verisimilibus sententiis.

Excusari possunt à graui culpâ, Pomi vnius aut Teruntij furta, si rara sint, nec fiant animo ea iterandi: at si quotidiana & frequentia sint, ingentem pecuniæ vim inde colligendi causâ; certum est excrescere in crimen, & posse latrocinia æquare. Si quis priuatim, & raro, opinionibus paulo minus probabilibus adhæreat, nihil, aut parum, & sibi tantum peccat, & ad summum reus est veluti cuiusdam furti minutioris: at qui publicè scientias profitentur, eâque abutuntur licentiâ, nec morantur dispares probabilitatis gradus, grauius peccant, quam institores, aut cusores monetarum, qui non enormiter falsis, sed tamen non omnino iustis lancibus, & ponderibus, appendunt merces & pecunias, atque his modicis & minutis furtis, breui gazam sibi regiam comparant.

Id tamen obseruari velim, opinionum quæ ad speculationem spectant, probabilitatem, præter rationes & causas quas congenitas habent, ex aliis multis capitibus repeti posse: sed Professori Christiano id esse præcipuum debere, si fidei regulis conuenientiores sint, & ad religionis explicanda, ac defenda dogmata, magis idoneæ sententiæ. Si lumen naturale tantum attendas, forte minus probabile videbitur, existentiam realiter distingui ab essentiâ, suppositum à naturâ, potentias à substantiâ, quantitatem à materiâ, & hanc carere actu Metaphysico, & propriâ existentiâ, verbum mentis ab actu intellectus esse quid diuersum, vt objectum & terminum intellectionis, aliaque id genus placita, quæ tamen sanctus Doctor elegit,

git, quasi magis consentanea, ijs quæ nos docet fides de Creatione Mundi, de Generatione Verbi, & præcipuis Eucharistiæ, Incarnationis, & Trinitatis dogmatibus. Hoc itaque constitutum sit, ex mente Suaris, aliorumque grauium Theologorum, male Lectores, & Magistros in Scholis, suo fungi munere, nisi probabiliora & fidei diuinæ, humanæque Societati, accommodatiora inquirant diligenter, eruditione illustrent, & valide defendant.

Si id iure requiras, ab ijs qui docent eas scientias, quæ nihil fere conferant ad bonam mentem, sed ingenia acuant, sane non video, quâ ratione eximere possimus à probabilioribus & tutioribus sectandis, Medicos, Confessarios, eosque omnes, qui de iure consultantibus respondent: Neque enim dubium est, quin his omnibus, grauius incumbat onus, tuta & probabiliora sectandi, quo opinionibus de re morali, & sacramentariâ, præter falsi periculum, commune omnis generis opinionibus, immineat etiam mali, peccati, & ab æternâ salute, atque vltimo fine excidendi. Certe si eâ esset lex, & conditio opinionum, quæ ad speculationem referuntur, vt vna tantùm esset obnoxia deceptioni, à quâ altera esset immunis; quis dubitaret isti semper adhærendum, illa prætermissa? Atqui ita habet in re morali, quoties hinc pro libertate, inde pro lege pugnatur, vt peccati periculum omne, ab istâ pro honesto opinione abscedat, etiam si aberret à vero, vt cum quis prorumpit in actum perfectæ contritionis, dum accedit ad Sacramentum Confessionis, quasi hoc vnico medio putet posse veniam se consequi, licet erret, nihil sane peccat; sed opinio pro libertate perinde, mala ac falsa esse potest, & sicut à deceptionis, ita neque à peccati omnimodâ formidine, immunem fieri, contendunt sapientissimi Theologi, & grauissimis rationibus probant. Qui ergo fieri potest vt rei incertissimæ, quod summum & pretiosissimum habemus, salutem æternam credamus? ergo grauissimè contra officium peccant, Theologi, Confessarij, qui de rebus ad mores, & ad salutem spectantibus, suadent suis Consultoribus, minus probabilia, quæ proinde longius à vero absunt, propius falso accedunt, qui minus tuta, id est, minus conformia legi, & conuenientia saluti, aut certe minus efficacia, consulunt, & adhibent remedia.

Itaque vt paucis complectamur, quæ vtrâque dissertatione fusius dicta sunt; vagus probabilitatum vsus ad certos limites contrahi debet, ex triplici capite, nempe vniùs veritatis studio, & odio falsi, probabiliora, id est vero similiora anteponenda sunt minùs probabilibus, quod longius à vero, propius ab errore absint. Deinde cohibendus est ille effrænis vsus, honesti amore & metu peccati, vnde diximus, de rebus moralibus, tutiora semper esse, quæ stant pro lege, non solum veriora & probabiliora, sed etiam quæ paris aut minoris sunt probabilitatis: licet enim interdum opinio pro commodo certet quasi ancipiti marte, probabilitatis viribus, & aliquando vincat, nunquam potest æquare securitate, aut immunitate à peccato.

Cohibendus est etiam, ille probabilitatum vsus, ex 3. capite, si periculum sit, ne ex delectu opinionis minus certæ & probabilis, sibi damnum aut aliis creet, & à salute æternâ, vel à fine, quem honeste obtendis, excidas, quod cum posses, neglexeris adhibere securiora remedia: atque hoc nomine Medicos, & Confessarios damnamus, qui morbis animi, & corporis curandis, omissis certioribus, debilioribus vsi sunt remediis.

Si hos tres gradus conferas, quibus metas damus laxissimæ probabilitati, omnium minimus ille est, quem constituimus ex veritatis assequendæ studio, longe altior est alter, ex metu mali & peccati, quem in totum submouet opinio pro lege. Nam altera pro libertate, non magis potest, mali quam falsi periculum arcere: & ideo si opinio quæ legi fauet, sit probabilior vtroque nomine, anteponenda est, studio veri & recti, seu metu falsi & peccati: si æqualis, aut paulo minoris sit probabilitatis, semper præferenda est, ratione immunitatis à malo, & à peccati formidine, quâ carere non potest altera, quandiu hæc, quæ pro lege pugnat, restiterit majoribus, aut paribus, vel paulo minoribus, probabilitatum momentis.

Tertius denique gradus, superiores, sicut numerus maior minores ambit, additque efficaciam mediorum, quæ certam nostram vocationem faciant, & salutem operentur. A quâ excidimus, etiamsi delectus medij incerti, ignorantiâ & opinionis probabilitate, posset à peccato excusari: atque ex hoc capite, probauimus necessarium esse,

probabilioris & efficacioris ad ſalutem religionis delectum: eodem principio demonſtrabimus §. ſequenti, Confeſſariis, & Medicis, adhibenda eſſe remedia efficaciora.

Sane ſi vni veritati ſtudeamus, neceſſe eſt probabiliorâ quærere, quæ vero viciniora, & à falſo remotiora ſunt. Si peccatum, pejus angue odio habendum, tutiora pro lege ſunt ſectanda, quæ carent omni metu peccati, & ſpecie mali. Denique ſi certam ſalutem nos facere oporteat, deligenda ſunt media efficaciora, quæ ſi per ignorantiam omittas, nihil habent, quod illorum vicem & vim impleat, neque forte, quod te apud Deum excuſet, & à damnatione eximat. Immotum ergo ſit principium & Theologiæ moralis fundamentum, nos triplici quaſi vinculo, adſtringi ad probabiliores pro lege opiniones, quod veriores præ aliis, quod ſecuræ, & ab omni peccato immunes, quod efficaces ad ſalutem conſequendam. Si opiniones aduerſas, pro libertate attendamus, totidem vitiis, ijs tribus dotibus infeſtis, laborant; quatenus minus probabiles, propiores ſunt falſo, quam vero: deinde obnoxiæ ſunt peccato: & quamuis nullum apponant impedimentum ad ſalutem, & excuſent à peccato, nihil tamen conferunt, ad illam conſequendam, & interdum ſemouent media, quibus ſalus conſtare poteſt, & comparari. Tria omnino neceſſaria ſunt, ad felicitatem comparandam, veritas, quæ aperiat quo ſit eundum, bonitas, quæ peccati impedimenta ſubmoueat, & viam ſternat, qua ſit eundum, virtus, vireſque quibus curſum intendamus, & conſummemus: hæc tria, à Chriſto ſunt haurienda, & accipienda, & ſe daturum pollicetur his verbis: *Ego ſum via, veritas & vita*, quâ veritas, docet nos ad quid ſimus nati, quæ ſit noſtra felicitas, & quo tendere nos oporteat: quâ via, ſemouet peccata, & ſcandala, quæ noſtrum ad cœlum curſum præpediunt, quâ vita dat vires efficaciſſimas, confert gratiam, & virtutes infuſas, Sacramenta inſtituit, quibus muniti, curſum perficimus, & vitam æternam conſequimur. Qui docent delectum laxiorum opinionum, etiam cum agitur de mediis ad ſalutem, & de religionis delectu, putantque, ſine noxâ poſſe nos ſequi quamlibet opinionem, aut religionem, quæ probabilitate non careat, tria nobis grauiſſima vulnera infligunt inſanabilia, veritatis quærendæ ſtudium reſtinguunt, & lucem obſcurant, licentiâ illâ minus

probabilium, quæ à vero remotiora sunt quam à falso offendicula apponunt, viæ qua itur ad cœlum, dum opinionibus fauent, quæ legi aduersantur: denique dum medijs efficacioribus, sufficiunt quæcunque libuerit, vitam auferunt, cuius conferendæ abundantioris, Christus dicit se in mundum venisse, *Veni vt vitam habeant & abundantius habeant*. Esto, demus illos posse suâ authoritate, & argumentis ita munire, quas inuehunt opiniones, vt qui illis adhærent, asseclas non abducant à veritate per errorem apertum, neque à viâ qua itur ad cœlum, manifesto peccato: esto hæc duo vulnera curare possit, & mala excusare probabilitas, sed reuera instar Magorum Ægypti deficiunt in tertio signo, pessime consulunt nostræ saluti, dum permittunt abstinere à certis, quæ si desint, excidimus à gratiâ, & à salute, etiamsi nouum peccatum non admitteremus. Sed nos contra, ex hoc vltimo, duo superiora inferimus, quæcunque sunt necessaria ad salutem, necessitate & efficaciâ medij, adjunctum habent præceptum, quo eligenda præscribuntur, nec possunt prætermitti secura, & alia probabilia assumi, sine peccato, nec consuli sine errore: atqui ad salutem opus est medijs certis, & efficacibus, qualia sunt Fides, religio Christiana, Ecclesia Catholica munita Sacramentis à Christo institutis, non vero quæcunque probabilis opinio, aut religio, vel quæcunque media, ad hoc efficacia sunt; ergo ex præcepto, eligenda sunt tutiora certiora, nec prætermitti possunt sine peccato; huius vis argumenti confirmabitur §. sequenti.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Probatur delectus opinionis pro lege, argumento à Ministris Sacramentorum, & à Medicis.

QVIDQVID hactenus diximus, illustrari potest exemplo Medici animæ, & corporum, quod vrget Mercorus parte 2. art. 13. & duobus sequentibus; vnde sic ad rem nostram potest argui: Ministri Sacramentorum ex officio, debent sectari semper probabiliora, & tutiora, seu facti, seu juris, & opinionum, quæ ad vim & efficaciam Sacramentorum requiruntur; alias si sequantur opinio-

nem minus probabilem, aut tutam, non ſolum peccant contra conſuetudinem & præceptum Eccleſiæ (quod omnes admittunt, ne excepto quidem Medina) ſed etiam contra charitatem, & iuſtitiam; quod non adhibeant remedia certiora, iis qui petunt Sacramenta, & contra religionem, ac reuerentiam Sacramentis debitam, quod periculum ſubeant illa irrita faciendi: ergo non immunis erit à peccato, quiſquis in qualibet aliâ re, minus probabilem pro libertate opinionem, anteponet tutiori, & probabiliori, pro ſalute & præcepto. Ad hoc argumentum reſpondent Spinula & alij, negando conſequentiam. Probatur: igitur conſequentia: Confeſſarius, qui conſulit minus probabilem opinionem pœnitenti, nihil afferre poteſt ad illud conſilium excuſandum, quod non poſſit vſurpare ad excuſationem materiæ, aut formæ minus probabilis, in adminiſtratione Sacramentorum; ergo ſi rationes illæ, non poſſunt vſum Sacramentorum, à culpâ vindicare, contra Charitatem, Iuſtitiam, & Religionem; ita etiam neque illud conſilium poſſunt defendere: quamuis enim, inquit Mercorus art. 14. pœnitens ſecutus conſilium Confeſſarij, poſſit vtcumque immunis eſſe à culpâ, tamen, multa inde grauia mala illi contingunt, maximè, quod priuetur illo bono ſpirituali ſummè optando, vt ſecundum virtutem viuat, & ab erroribus purgetur: vnde certum eſt ignorantiam, quamuis à culpa eximat, graue eſſe vulnus animæ, quo ſanari, continuis precibus, debemus à Deo efflagitare, & ex charitate etiam proximum errantem ad viam virtutis deducere. Ergo contra Iuſtitiam peccat Confeſſarius, qui ſuis conſiliis, pœnitentem per minus tuta deducit, & obijcit periculis peccati & errorum.

Aliud argumentum deducitur, ex officio Medici, ad quem ex Ariſtotele Rhetoric. 1. cap. 1. pertinet, vt tentet quidquid poſſibile eſt, ad ſanitatem inducendam, ac proinde non præſcribat ægro remedia, quæ probabilius illi nocitura, quam profutura ſunt, ergo eadem neceſſitas incumbit Confeſſariis, vt ſunt Medici animarum, aut nobis ipſis, quatenus animæ ſalus curanda eſt, vt à minus tutis caueamus, & ſectemur tutiora. Ad hoc argumentum, Sanctius, & Diana, negant antecedens, ſed illis obijcienda eſt regula communis, *quod tibi non vis fieri: &*

quærendum, an vellent ita à ſuis Medicis tractari, vt minus certa remedia ipſis adhiberentur. Vnde alij, dato antecedente, negant conſequentiam, quia inquiunt, ratione ſtipendij, tenetur Medicus eligere remedia efficaciora: ſed præter quod, Curati habent etiam ſua ſtipendia, quis credat, hanc cautelam, aut diligentiam, officio Medici, aut Parochi conuenientiſſimam, exigi potius ratione ſtipendij, aut mercedis, quam ex charitate, aut iuſtitia? Alij dicunt, Medicum debere efficacioribus vti, quia aliàs eius error redundaret in damnum infirmi, quod non eſt timendum Sacerdoti, quia error non imputatur ad culpam, ratione probabilitatis, quæ omnino excuſat Confeſſarium, & Pœnitentem. Sed præter quod reſponſio eſt, aperta petitio principij, reijcitur hoc argumento: conſilium illud, graue damnum infert pœnitenti, vt iam demonſtratum eſt, hoc ipſo, quod à viâ virtutis, in errorem, aut in erroris periculum inducit. Præterea, illa indulgentia quæ v. g. pœnitentem eximit à jejunio, ab attentione in recitando officio, fouet magis concupiſcentiam, quam febrem à Medico vinum ægro propinatum: inijcit etiam graues conſcientiæ remorſus; vbi enim primùm agnouerit, in minus probabilem, & tutam opinionem, ſe fuiſſe inductum, vix poterit conſcientiæ tranquillitate frui; ergo periculoſi ſunt illi animarum Medici.

Hoc vltimum argumentum, eruditè proſequitur D. Fagnanus numero 293. contra Azor, Aragonium, & Salas; qui ex lege probabilitatum, permittunt Medico, cum ãn promptu habet remedium certius, adhibere illud, quod probabilius eſt nociturum, magis quam profuturum, id eſt magis occiſurum quam ſanaturum: *Hoc*, inquit, *non eſt curare, ſed ſi dicere verum volumus, occidere.* Acriter etiam vrget Suares, & Sanches; qui cum negent, Medicis licere, relictis efficacioribus, & certioribus, minus probabilia remedia conſulere, id permittunt animarum Medicis, nec putant adſtringi eâdem lege charitatis, ad animarum ſalutem curandam, quâ Medicos ad ſananda corpora. Certe inquit, ſi cauendum ſit à Medico, qui propinat medicinam probabilius occiſuram, quam ſanaturam; quis ferat Medicos animarum, qui pernicioſo conſilio, inferant potius mortem, quam vitam ſeruent?

Numero 313. vrget prius argumentum, de Miniſtris

Sacramentorum generatim, illis adhibendam esse semper materiam certam, relictâ probabili, ex quâ posset irritum fieri Sacramentum, & ex illius vsu, probat contra Vasquem, & Sanches, peccari contra reuerentiam in Sacramenta; nec posse excusari, nisi sit necessarius incertæ materiæ vsus, vt consulatur saluti hominum, cuius causâ, instituta sunt Sacramenta. De quo tota Dissertatione primâ satis dictum est.

Articvlvs Qvartvs.

Probatur delectus opinionis pro lege, ab officio Iudicis, & Principis bellum indicentis.

Argvmentvm petitur ab officio Iudicis, qui in controuersiis juris, aut facti, debet ferre sententiam, iuxta probabiliorem & tutiorem opinionem: ergo etiam quisque nostrum, debet in vitæ institutione, sectari partem tutiorem. Antecedens negant Medina, Sanches, & alij. Sed probatur ratione ex D. Thoma 2. 2. quæst. 60. art. 2. ad iustam iudicis sententiam, tria sunt necessaria, authoritas, affectus iustitiæ, & rectum prudentiæ dictamen; & hæc tertia conditio deficit, si desit certitudo rationis; quod contingit, si iudex statuat de his, quæ sunt dubia. Atqui maxime dubium vrget, cum opiniones iuris & facti, sunt æque probabiles, vel cum minus probabilis, anteponitur probabiliori. Ergo non potest iudicare ex æquitate, in gratiam opinionis minus probabilis; tunc enim dictamen deductum ex propositione generali iuris, & particulari facti, esset certius qualibet præmissarum. Quare sicut omnium Theologorum consensu, iudex peccat, si ferat sententiam in gratiam litigantis, cuius causâ patitur maiora dubia facti, ita etiam ab officio iudicis, omnino aberrabit, si damnet illum, qui vincit probabilitate iuris: Nec dicas discrimen esse inter hæc duo dubia, quòd leges statuant, iudicandum secundum allegata & probata, ac proinde probationes facti, debere esse luce meridianâ clariores; de notitiâ autem iuris, cum leges nihil præscribant, censentur reliquisse arbitrio iudicis. Sed vix tolerari potest hæc responsio: cum enim leges iubeant, in iudices deligi

iuris consultissimos, certe præsumendum est illis præcipere, vt iuxta rigorem iuris causas dirimant; vnde videtur principiis naturæ repugnare illa licentia iudicandi, in gratiam partis, quæ minus probabile jus habeat. Et hoc aperte est contra stylum omnium Tribunalium, quæ, si quando, suorum decretorum rationem reddant, nunquam dicunt, se ad arbitrium, sed iuxta præscripta iura pronunciasse. Hoc idem antecedens, egregiè probat D. Fagnanus numero 298. quatuor rationibus, quarum summa hæc est: sententiam debere sequi iudicium intellectus ex Baldo, quod flecti nequeat, in partem debiliorem contra potiora iura, alterius litigantium; & si tum feratur sententia, omnino iniustam esse, quia, inquit, iudicium prodire debet, de vultu Dei, qui est via, & veritas, & à vero aberraret, qui minus probabilia, id est propiora falso, sectaretur, nec vllus hominum, vellet suam causam credere, iudicibus ita comparatis, vt ad arbitrium putent, sibi licere minus probabilia sequi. Vnde Vasques, de Lugo, & alij, concedunt antecedens primi argumenti, & negant consequentiam, quod ex antecedenti probatur. Quisque nostrum, iudex est ad dubium quod occurrit, de actu licitus ne sit, an malus; ergo vnusquisque nostrum in ferendo iudicio, non magis potest sequi, opinionem minus probabilem, quam iudex in causâ publicâ. Probatur consequentia. Nullum discrimen afferri potest, inter hæc duo iudicia; quod enim dicunt, iudicem, qui adhæret opinioni minus probabili, non reddere vnicuique quod suum est, nec satisfacere reipublicæ, à qua constitutus est, vt iudicet secundum certiora, alias esset acceptor personarum: atqui in hæc eadem mala, incurrit quisque nostrum, hæc tria admittit, priuato iudicio cui præest, Deum inter & hominem, seu eius concupiscentiam. Interdum Deus ad iudicium sinit se vocari, iuxta illud Psalmi 50. *Vt iustificeris in sermonibus tuis*, cum Dauid promissam à Propheta Nathan Dei nomine, sui peccati veniam repetit; aliquando vero Deus est actor, & ab homine exigit, vel obedientiam baptismo promissam, vel pœnam, si desit officio. Cur ergo iniustam negabis rationis sententiam, si pronunciet in gratiam hominis, contra ius Dei, & eximat ab obsequio præstando, quà homo est, & quà Christianus? Deinde si judex à Republicâ constitutus sit, vt causas dirimat, ex stricto, &

probabiliori iure, gratis & periculosè omnino dicitur, rationem à Deo datam in iudicem, eâ licentiâ, aut libertate, vt ad arbitrium potius, quam ex rigore iuris, ſtatuat, de negotiis animæ longè grauioribus, & periculoſioribus, iis de quibus ſæcularium Tribunalia perſtrepunt. Nec verius, aut tutius eſt, eo conſcientiæ iudicio, quo habetur ratio partis minus probabilis, non admitti iniquitatem illi ſimilem, quæ acceptio perſonarum dicitur: immo, inquit D. Fagnanus ex D. Thoma, multo atrocior, rerum ſpiritualium, quam temporalium adminiſtratione perpetratur.

Vltimum argumentum, à iure belli indicendi, vrget D. Fagnanus numero 306. & tribus ſequentibus, Mercorus 3. p. art. 18. & poteſt hac forma proponi: princeps, & Reſpublica, in bello indicendo, iudicis perſonam induunt, & funguntur officio, idque velut in iudicio capitis, ſi vindicanda ſit iniuria, ab aduerſario Principe illata, aut quaſi actione recuperatoria, ſi aliquod bonum repetendum ſit, in quod belli author ius obtendit: At neutrum genus belli iuſtum eſſe poteſt, ſuſceptum ex regulâ probabilitatis, quâ licet æque, aut minus probabilem, ſtantem pro commodo opinionem, contra honeſtum, & officium ſequi: Ergo bellum iuſtum, debet iniri, ſecundum probabiliorem, & tutiorem, pro iuſtitiâ, & æquitate, opinionem: De prima ſpecie belli ſuſcepti, vindicandæ iniuriæ causâ; omnes Theologi concedunt, magis iniuſtum eſſe, quam ſententiam in reum latam, nec confeſſum, nec legitimis teſtibus conuictum; quia in causâ capitis, probationes criminis, oportet eſſe ſole meridiano clariores; quid de bello cenſendum? ergo illicitum eſt, niſi aperte conſtet illatam eſſe iniuriam eamque grauiſſimam.

Hoc argumento Ioannes à S. Thoma, de Lugo, & alij putant demonſtrari illicitum eſſe bellum, causâ recuperandi quod ſuum putat eſſe, qui illud indicit, niſi potiora & euidentiora ſint, quam aduerſarij iura; quia bellum quacunque ex causâ geratur, habet adjuncta mala infinita, vindictam, mortem innocentum, rapinam bonorum, pluraque alia grauiora, quam quæ in iudicio capitis, infliguntur reo. Sed Ioannes Sanctius, & alij, non putant hâc ratione refelli ſuam opinionem; ſed ex probabilitatum regulis, iuſtum ſuſcipi bellum, paris, aut minoris probabilita-

tis jure; quia is qui rem suam repetit, hoc vnum tantum obtendit, nempe rem suam vindicare: si aduersarius nolit restituere, agit in illum, quasi in contumacem, sicut in iudicio recuperatorio, si is qui causâ cecidit, nolit cedere, potest vi cogi. Sed inde satis colligere est, quam periculosa, quam pernicioſa sit probabilitatum opinio, quæ leuissimis de causis iusta, vt asserit, vtrinque bella accendit: quandonam de futura sunt bella, si idonea ad id causa sit, vel tenuissima probabilitas? Sanctius scripsit de iure belli Grotius hæreticus, quam hi Theologi Catholici. Sed de hoc fusius sectione sequenti, quâ prosequemur mala quæ inde nascuntur.

SECTIO QVARTA.

Tertia Classis argumentorum à posteriori, seu à malis quæ ex probabilitatis regulâ, contra delectum opinionis pro lege, nascuntur.

TImendum erat Caramueli, ne Sophistæ notam incurreret, aut quod peius est, sycophantæ inuidiam sibi crearet, dum nullâ specie veri, accusat resolutione tertiâ D. Fagnanum Iansenisimi, quod in re sacramentariâ, non permittat dubiæ materiæ vsum, cum periculo irritum faciendi Sacramentum, nisi vrgeat & excuset necessitas succurrendi, de salute æternâ periclitantibus, ex regula eligendi minus è duobus malis: dum resolutione quinta dicit, omnia tribunalia iniquitatis accusare, quod velit iudicia exigi, iuxta tenorem legum, & secundum probabiliores, & tutiores opiniones: quod resolutione quinta neget, inferri posse iustum bellum illi, qui paria, aut potiora iura habet: resolutione septimâ, quod damnet Medicum, qui omissis efficacioribus remediis, vtatur minus probabilibus. Certè si ea accusatio obtineat, omnia vitæ humanæ, & Christianę, officia euertuntur; neque enim vlla salua esse possunt, si ex Caramuelis sententia, ita liceat esse comparatos, vt cum primùm, probabilem aliquam sententiam nacti sumus, de rebus moralibus, & ad salutem pertinen-

tibus, nihil curemus, inquirere momenta rationum aduersæ sententiæ, nec moremur eas, quæ etiam inuitis & auersantibus, huiusmodi cogitationes in animum incurrunt, & probant tutiorem esse & probabiliorem; rati cui adhæremus, vtcunque probabilem opinionem, in tuto ponere salutem nostram, & nos eximere ab omni specie peccati. Nam qui hoc in animum induxerunt, habent ipsam probabilitatem pro regulâ, vt egregiè explicat D. Fagnanus quæstione prima num. 110. Et nullum est genus, impietatis & scelerum, quod inde securum & honestum non efficiatur. Idque probat D. Fagnanus à numero 290. vsque ad numerum 340. duodecim absurdis, quæ inde infert. Idem genus argumenti à posteriori, fuse prosequitur, & modeste P. Mercorus tertiæ partis quinque prioribus articulis: illud paulo acrius, vrget Vvendrochius, sex consectariis; adquæ frigide admodum, & ieiune respondet Stubrochius. Nos à longiori probatione, aut insectatione abstinebimus, quia Caramuel has omnes pene consecutiones admittit: deinde, nos illas sparsim variis locis attigimus, vt hic tantum paucis sint colligendæ.

Articvlvs Primvs.

Explicatur natura probabilitatis, vnde repetitur generatim vis huius tertij argumenti.

Licet Stubrochius, Caramuel, & alii, negent aut variis artibus eludant, consectaria & absurda quæ in illos deducuntur, omnia tamen necessario ex eorum opinione consequi, euidentissimum est; & eorum responsiones refelluntur, inspectâ probabilitatis naturâ. Quid ergo est probabilitas? pluries explicata est, sed nunc forte apertius. Probabilitas est vis quædam obiectiua insita rebus, vel aduentitia, à testimoniis extrinsecis, ad earum assensum formidolosum, vrgens & impellens mentem, quæ ipsarum veritatem aut falsitatem, nondum consecuta est, euidenti & necessariâ cognitione: vnde fit probabilitatem (vt sic loquar verbo Caietani efficaci magis quam eleganti) exercitam, seu actum quo mouet, dici relatè ad facultatem, cui non est euidenter comperta, rei probabilis veritas?

nam vbi certâ & necessariâ notitia veram esse percepit, hac luce veritatis, omnem formidinem dispellit, contemnit quascunque difficultates, & aduersæ opinionis rationes, quæ ab eius assensu dimouere possunt mentem, huiusmodi cognitionis euidentis expertem. Inde etiam manifestum fit, Deum cognoscere hanc vim obiectorum, seu probabilitatem; non tamen posse eâ notitiâ deduci in assensum illius opinatiuum, vnde dici potest Deum cognoscere probabilitatem, eiusque vim, quam tamen experiri nequeat, seu vt scholæ verbis vtar, nosse probabilitatem in actu signato, non in actu exercito. Atque hic locum habet quod Logici dicunt ex Theologiâ, Deum cognoscere entia rationis, non facere; ita probabilitatem vtriusque opinionis nouit, non tamen illâ mouetur, aut trahitur in assensum vtriusque, vel alterius partis, opinatiuum, qui nedum Deo repugnat, sed vix etiam conuenit perfecto sapienti, & ideo plures malunt suspendere assensum, quam de re opinari, cum erroris & peccati periculo, eâ maximè parte, quâ timendum est ne à lege & officio discedant.

Explicata notio probabilitatis, mire illustrat totam hanc controuersiam, inde enim euidens est, toto genere differre, hæc duo, quæ videtur confundere Caramuel; iudicare de rei probabilitate, & de re probabili: quam distinctionem, egregie, & eruditissime declarat, & confirmat D. Fagnanus num. 130. Primum iudicium, est de probabilitate ipsa, alterum, est de veritate, illud certum est & euidens, nec Deo indignum, istud incertum, formidolosum: nihil repugnat, primo iudicij genere, vtrique parti contradictoriæ, suam probabilitatem asserere, id est, videre vtrique vim insitam, ad inducendam, in sui assensum mentem, cui falsitas, & veritas neutrius partis euidenter comperta est, sed omnino repugnat, vtrique parti contradictoriæ, simul assensum opinatiuum præbere, quod multis argumentis, demonstrat D. Fagnanus, eodem loci, & id euidenter asserit Aristoteles secundo de Anima & 4. Metaphysicæ. Nunc ad rem nostram.

Certum est, ex ipso Caramuele paucis, & forte nulli hominum, post peccati originalis corruptelam, fuisse concessam, aut comparatam euidentem cognitionem, de diuinitate, prouidentia, immortalitate animæ, de vltimo fine, vera religione aliisque huiusmodi rebus, ad salutem

omnino neceſſariis, quæ tamen grauiſſimas ac pene inſuperabiles patiuntur difficultates: ac proinde contra illas ſtant, & ab earum aſſenſu, remouent, rationes probabiliſſimæ, id eſt fortiſſimæ, quæ nos euidentis cognitionis expertes vrgent, & penè cogunt ad diſſentiendum. Ergo ſi ratio probabilis, idem ſit cum ratione rectâ, prudente & tutâ, & ſi liceat illam ſequi, ſalua conſcientiâ, nulli peccato, aut periculo erit obnoxius, quiſquis diuinitatem, prouidentiam, negauerit: nec poteſt quidquam huic argumento opponi euidentius aut firmius, regulâ à nobis conſtitutâ, nempe, è duabus opinionibus, paris, aut inæqualis probabilitatis, eam ſequendam eſſe, quæ honeſto, & officio faueat, quæ magis conſentanea ſit, recto appetitui, quæ longius abſit à periculo peccati. Si hanc regulam tollas, vt ſolent Probabiliſtæ, nihil in vitâ humanâ, aut Chriſtianâ, ſupereſt certum, omnia licent, quod euidentius demonſtrabo, refutatis aduerſariorum ſolutionibus.

Paragraphvs Primvs.

Refelluntur tres aduerſariorum reſponſiones.

SI hæc argumenta, contra prouidentiam, religionem, &c. Quamlibet difficilia, dicas cum Stubrochio, probabiliora videri, non eſſe; vel cum P. Fabri, eſſe probabilia probabiliter, & ſpeculatiuè, non certo & prudenter, vel cum Caramuele, nec probabilia quidem eſſe, ſed ad ſummum dubia, ex leuibus coniecturis; reuera hi omnes authores ludunt verbis, & euidentiſſimam, negant, explicatam à nobis rationem probabilitatis, quæ nec certius, nec verius deffiniri poteſt, quam per vim illam impulſiuam, ad rei ſibi ſubſtratæ, aſſenſum formidoloſum, mentis notitiæ euidentis expertis. Eâ vero admiſſa probabilitatis deffinitione, tres aduerſariorum reſponſiones, à nobis adhiberi poſſunt, poſito noſtro principio inconcuſſo, ex opinionibus probabilibus, tutiorem eſſe eligendam, & probabilitatem toto genere diuerſam à ſecuritate; iis duobus conſtitutis reuerâ, bonæ & ſanæ menti, leuia ſunt, & in ſpeciem non re ipſa, multo minus prudenter & tuto, probabilia, quæcunque nos dimouent, à ſaniori pro ſalute, pro officio, opinione. Sed Caramueli, Stubrochio, & illis,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [317] - 237
PUBLIC DOMAIN

qui hæc duo principia negant, non possunt non esse, ne dicam probabilia, sed etiam insuperabilia, huiusmodi argumenta: quia probabile, vt demonstratum est, positum est, in vi impellente, ad sui assensum, mentem, quæ illius veritatem, non est assecuta cognitione euidenti: ea vero carent fere omnes, & illi maxime, qui probabilitatem idem putant, ac securitatem, & veritatem virtualem. Quo igitur eos deducit hæc regula? Vt asserant, licita esse, quæcunque genera scelerum, ex illa virtuali, quam vocant, veritate profecta; vel præter probabilitatem, aut præter euidentiam rerum (quam sibi inconcessam fatentur) debent aliquod principium immobile statuere, quo sistant, huiusmodi colluuiem impietatum & criminum; quale est nostrum, vel dent aliud, quo tot, & tantis malis, mederi possint.

Vim huius argumenti, & nostræ regulæ inconcussam veritatem illustrare placet, exemplo erudito, recenti, & vt mihi videtur ad rem nostram aptiore, quod à contrario repetatur. Cum omnium hominum, communis de libertate notio, ita indifferentiæ, seu facultati ad vtrumlibet, connexa sit, vt nulla censeatur libertas voluntatis, nisi sit, aut semper compos fuerit potestatis, in vtramque partem, ad libitum flexilis; hinc factum est, vt antiqui & recentiores Theologi, nostris actibus, vt suam libertatem vindicent, vel singulis, hanc necessariam indifferentiam, contendant inesse, vel confugiant ad statum innocentiæ, quo plena, etiam ex Caluino, voluntas, huiusmodi facultate pollebat: alii vero rati hoc perfugium remotius esse, nec commode posse repeti, à principio adeo longe posito, nostrorum actuum libertatem, seu indifferentiam, statuerunt, gratiam ad orandum in vtranque partem versatilem, seu sufficientem, qua possimus diligentiores esse, aut negligentiores, ad gratiam efficacem petendam naturâ suâ, quam putant ex Augustino, necessariam ad singulos, vitæ Christianæ actus.

Ista à me relata sunt, non vt meum, de hac controuersia grauissima, sensum aperiam (opportunior ad hoc alias locus erit) sed vt quæstionem subiectam, nihilo minus alterâ grauem, & difficilem, illustrarem. Neque enim puto, minus anxiâ indagine, opus esse, ad sistendum, & cohibendum, vagum & laxissimum, probabilitatis vsum,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [318] - 238
PUBLIC DOMAIN

ne in omnia scelerum genera, & in apertum atheismum prorumpat, quam ea quæ olim sanctos Patres, sollicitos habuit, & hodie etiam Theologos exercet, in vindicandâ voluntati libertate, & libertati indifferentiâ ad vtrumlibet. Hoc meliori forte consilio & animo, quam felici euentu, à multis tentatum est. Quidam volunt, cohibendum esse vsum probabilitatis, cum imminet damnum alienum, vel nostrum, quod ineuitabile putant, ex laxiori opinione, cum agitur de rebus, necessitate medii ad finem vltimum, vel quemcunque honestum consequendum. Sed vix potest occludi, quam Probabilistæ latissimam reserarunt, ad omne impietatum, & scelerum genus, via & porta, nisi opinionum vsui, aut potius licentiæ, tres præscribamus metas, tria opponamus claustra, à veri studio, vt veriores; à metu peccati, vt tutiores quæ legi fauent; à desiderio vitæ æternæ, vt seligamus, quæ efficaciora, & certiora præbent media, quibus finem vltimum, qua homines, & Christiani, vel proprium, & singularem, iuxta diuersa vitæ humanæ officia, qua Iudices, quà Medici, &c. Consequenter quisquis ab immoto illo cardine, & fundamento recedet, circumferatur necesse est, omni vento probabilitatis, id est, falsæ & periculosæ doctrinæ.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Refellitur altera Caramuelis responsio, ad idem argumentum.

EODEM argumento, aliud refellitur Caramuelis responsum, quod singulis paginis repetit, & in eo ponit suæ causę præsidium. Distinguit certitudinem formalem mentis, ab obiectiuâ; & licet nihil certi habeat res, de quâ opinamur, (& hoc vocat defectum certitudinis obiectiuæ) possum tamen mihi ascisscere, certitudinem formalem, seu iudicium hoc ratum, apud me constituere; integrum mihi est, saluâ conscientiâ, & tutâ salute, quamlibet opinionem probabilem sequi, eamque in vitæ regulam, mihi assumere. Sed ea reflexio mentis supra probabilitatem, vnde aduersarii repetunt prudentiæ dictamen certum, ad quascumque actiones humanas, pluribus argumentis impugnatum

est: & ex modo dictis potest euidentius, & validius conuinci, commentitia esse illa certitudo formalis, cui nulla obiectiua respondeat, nihilque differre à spiritu priuato hæreticorum, vnde omnes huius sæculi hæreses promanarunt. Vtrumque breui demonstro.

Et primum quidem, hoc argumento, ex superioribus repetito, de re probabili possumus duos conceptus formales distinguere, seu duo iudicia efformare, vnum de probabilitate, alterum de veritate rei, ipsius probabilitati subiectæ. Primum iudicium certum est, & euidens, nec Deo repugnat: quandoquidem videt probabilitatem rei, id est vim, quâ mouere potest ad sui assensum, mentem ignorantiâ laborantem; alterum iudicium formidolosum est. Primum attingit, & quasi lambit probabilitatem, nec quidquam repugnat, eam agnoscere in vtraque parte contradictoria; alterum illabitur in rem, & assentitur vni parti contradictoriæ; repugnat autem vtramque opinari veram, sicut pluribus elegantissime demonstrat D. Fagnanus numero 130. sed quidquid sit de alterutro iudicio, seu probabilitatis, seu veritatis rei, vtrique respondet conceptus obiectiuus: Ego merum figmentum est Caramuelis, dari certitudinem formalem, quæ ad nullam obiectiuam referatur.

Probatur secunda pars argumenti, seu minor: probabilitas obiectiua nihil aliud est, quam vis rei, de quâ opinandum est, impellens mentem sui ignaram, ad assensum de se formidolosum, & si eliciatur hic assensus, habet veritatem obiectiuam sibi conuenientem, nempe rei naturam, quatenus cognoscibilis est, per media non necessaria. Ergo vterque conceptus, seu certitudo formalis, siue de probabilitate, siue de veritate rei, habet obiectiuam, quæ illi ex aduerso respondeat: ac proinde, commentitia est huiusmodi certitudo formalis, quæ ad obiectiuam non referatur. Illustrari potest argumentum, exemplo luculentissimo. Negabis ne Deo, quod homini concedis? vel quod ipsi repugnat tibi assumes? at ne Deus quidem, de re opinabili iudicium certum habet, nisi ex euidenti, & certâ, rei probabilitate, seu ex vi, quam potest exerere, non quidem in Deum, sed in intellectum ignorantia laborantem. Vnde vero ea repugnantia existit, nisi quod iudicium nullum stare possit, nisi suo obiecto assentiat?

Sic

Sic enim arguo, vel illa certitudo formalis, est consona obiecto probabili, cum suis motiuis sumpto, vel est dissona & dissentanea, si primum asseras ergo vtrobique adest certitudo iudicii & obiecti, si dicas esse dissonum ab obiecto, ergo falsum est iudicium, quandoquidem vera certitudo non potest stare, dissentiente iudicio, à re de quâ iudicamus. Sed quid opus, tempus terere, in probandâ re communi, omnium sensu compertissima? Quid enim certius, aut euidentius, quam veritatem positam esse in conuenientiâ iudicij cum re cognita?

Sed instat Caramuel, nihil vetat de re probabili dari Iudicium certum, quale est istud: licitum est, & pium colere, & credere immaculatam Conceptionem Deiparæ: neque enim hæc propositio sancita decretis Pontificiis, negari potest citra hæresim, licet sit de re nec reuelatâ, nec reuelatis necessariâ, sed tantum probabiliconsecutione connexâ. Addere poterat, instantiam validiorem, de dubiæ formæ, aut materiæ baptismi, indubitato vsu, si necessarius sit, ad auertendam damnationem moribundi, cui non suppetit aliud remedium, præter lauacrum aquæ dubiæ: sed huiusmodi argumentationes non minus fallaces sunt, quam ipsa falsa sit assertio. Quis enim non videat, veritatem formalem huiusmodi propositionum, *licitus est baptismus, cum aquâ dubiâ, ad salutem morituri necessarius, licita est pietas, in probabilem Conceptionem Deiparæ*, non carere suâ veritate objectiuâ, repetendâ à principiis & regulis certis, & indubitatis, qualis est de baptismo, conferendum esse, quâ fieri potest, & exigit salus hominum, quorum causâ institutus est: & quoad alteram propositionem, hæc superius explicata veritas, Ecclesiæ & summis Pontificibus, à Christo collatam facultatem, suis locis, inter reuelata, vel reuelatis necessario, aut probabiliter, connexa reponere, quæ ad illas sedes reuocant suis decretis, atqui Deiparæ Conceptionem immaculatam, ad tertiam classem reposuerunt credendorum: ergo quisquis negaret, de hæresi vehementer esset suspectus, non quod negaret, rem tantum probabilem, sed quod dubitaret, de certâ fide, nimirum de Ecclesiæ auctoritate, emergentia circa religionem dubia dirimendi, vana est igitur hæc argumentatio, & commentitia veritas formalis ad nullam objectiuam comparata.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [321] - 241
PUBLIC DOMAIN

Hinc vero concludimus, quod secundo loco demonstrandum susceperamus, Hæreticorum huius temporis, sub illâ commentitiâ certitudine, errores omnes latere, & contineri. Nam si certa, & vera iudicia sint, de quacunque re obiectiuè nec bona, nec vera, nec certa; qui tandem actus futuri sunt, mali, falsi, & prohibiti, cum illorum seu bonitas, seu malitia hauriatur, iuxta communem hominum sensum, ex conuenientiâ, ad res obiectiuè bonas, aut falsas, aut ab illis dissentione, cuius nullam, vult Caramuel, haberi rationem cum statuit, solutam certitudinem ab obiectiuâ quacumque? Nonne hæc est germanissima, Hæreticorum nostri sæculi, hæresis, aut potius omnium hæresum origo? In hoc posita, quod de suâ salute, de prædestinatione, de omnium dogmatum fidei veritatibus, certam, veramque se habere persuasionem glorientur, non à Traditione, vel Scripturâ, nec ab vllo testimonio, quod aliis pateat, sed à priuato Spiritu, vix ipsismet noto; quæ fidem indubitatam ingenerat, se, ipsamet persuasione, fieri iustos, electos in gratiâ constantes, aquâ nequeant vmquam excidere. Ergo cum Caramuelo obtendunt, certitudinem formalem, quæ careat obiectiuâ, ad quam referatur.

Hanc Hæreticorum insaniam, quamlibet obscuram & caliginosam, omnium oculis subijcio, hoc ex penitiori Philosophia repetito exemplo. Commune effatum est, Augustino & Philosopho Authoribus, ex obiecto & potentiâ, quasi ex viri, & fœminæ connubio, gigni notitiam, veluti sobolem similem obiecto, quod maris vices obit: hoc cõmune est omnium sensuum & mentis operationibus, sed apertius est de oculi visione: ad eam namque eliciendam, experimur, opus esse, duplici lumine, innato vno ipsi potentiæ visiuæ, altero rei videndæ offuso. Primum est efficiens visionis causa, non visa, sed omnino inaspectabilis, & ab obtutu oculorum subducta: aliud est res visa, & ratio videndi corpora colorata. Eodem prorsus ordine, mens ad intelligendum, duplici eget lumine, & principio, ignoto vno, efficiente tamen cognitionis; noto altero & formali, vt vocant, ratione cognoscendi. Ad primum genus luminis, seu principiorum, pertinent ipsa facultas intelligendi, species, quas vocamus impressas, habitus, seu studio comparati, seu Dei dono infusi, qualis est fides, principium

cognitionis omnino ignotum, quo tamen mens perficitur ad cognitionem: Secundo genere principiorum, quæ nota generant notitiam, continentur motiua & argumenta, quæ nos pro innatâ virtute, ad assensum rei inducunt formidolosum, si probabilia sint, vel certum & necessarium, si euidentiam habeant. Hæc vero postrema principia quis non videat à prioribus, hoc maximè differre, sicut lumen externum objecti, ab innato oculi, quod sit res visa & cognita, & simul ratio videndi; aliud vero sit, non cognita ratio cognoscendi? Hoc exemplo visendam subijcicimus deceptionem Caramuelis, & insaniam Hæreticorum huius sæculi. Neque enim diuersa vtriusque origo, inde omnino repetenda, quod illa duo genera principiorum & luminum, perinde ad mentis, sicut ad oculi operationes necessaria, non satis accurate distinxerint, eaque confuderint: & cum oporteat junctim visionem, & veram intellectionem efficere, nec possent dissentire citra errorem, aut deceptionem mentis, illi sejungunt huiusmodi lumina, principia diuidunt, vel pugnantia inter se & discordia faciunt. Quid vero ex illâ dissolutione ac dissonantiâ, non possit errorum nasci, cum huiusmodi luminum conuenientiâ, veritas constet? Sed nouo paradoxo, Caramuel dari statuit, certitudinem & veritatem formalem, quæ objectiuâ careat; nec ab vllo motiuo, aut principio, quod dicimus cognitum & rationem cognoscendi, sed à principio incognito repetatur. Reijcitur tractatu de fide, Molinæ opinio quâ objectum formale fidei, saltem ex parte, constituit ipsummet fidei lumen incognitum, idque displicet Theologis, quod accedat ad errorem Hæreticorum, qui suæ fidei certitudinem, in nulla motiua externa Scripturæ, Traditionis, sed in ipsammet fidem, quam primo generi principiorum innotorum reposuimus, in totum refundant; velim doceat nos Caramuel, quid illi discriminis intercedat à Caluinistis, dum certitudinem, & veritatem formalem à nullo medio cognito, id est à nullâ certitudine objectiuâ repetit? Quid vero non liceat, errorum & impietatum comminisci, si semel constituta sit huiusmodi certitudo, in nullum motiuum, aut principium cognitum refundenda, sed à principio vel incognito, vel quod pejus est nullo haurienda. Hic sisto cursum argumenti, quia non video, quâ parte euasurus sit

aduersarius, & qua sim prosecuturus. Quare ad alia argumenta accedo.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Colliguntur aliquot argumenta à posteriori, pro delectu tutæ opinionis.

QVOD præmisimus argumentum articulo superiori, est quasi semen copiosissimæ segetis, plurium, istius tertiæ classis, pro delectu tutæ opinionis, argumentorum: ea nos paucis perstringemus, & aliquod illis addemus robur.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Summa & vis duodecim argumentorum, ex D. Fagnano.

QVÆ ab absurdis, contra regulam Probabilistarum, colligit D. Fagnanus, argumenta duodecim à numero 292. vsque ad numerum 340. à pagina 87. vsque ad paginam 104. plura ac fere omnia attigimus, sectione superiori. Sed vt dicta illustremus, addamus etiam & aliqua magni momenti, omissa vel obscurius explicata; vno argumento complectar duodecim fundamenta D. Fagnani: Tanta necessitate astringuntur Medici, Iudices, Sacramentorum Ministri, Confessarij, Principes, & omnes vniuersim homines & Christiani, quatenus ratione, aut fide, viuunt, ad inquirendam & deligendam opinionem tutiorem, quæ vel suadet media, fini consequendo efficaciora, vel peccata amouet, quæ fini comparando sunt impedimenta; vt si hanc curam & electionem negligant, euertantur omnia vitæ humanæ, & Christianæ officia: ergo timenda est & cauenda regula illa probabilitatis, ex quâ tot mala nascuntur.

Declaratur vis huius argumenti, cum vitæ humanæ & Christianæ institutio in hoc posita sit, vt singula suum sibi finem constituant, vt homo, & Christianus Deum consequi, illoque frui, iudices authoritate publicâ, suum cuique ius seruare, Medici curare, & restituere incolumitatem cor-

poris, aliique bonum sibi aliquod assumant, veluti finem, ad quem media referant, aut potius seipsos per media, atque ad id duo curanda sint & cauenda: primùm amouenda impedimenta, & efficaciora media eligenda, quibus finem constitutum consequamur; deinde enitendum, ne noua ad consecutionem finis peccata seu obstacula apponantur: hinc sibi opiniones quæ hunc ad finem dirigunt, & intendunt cursum, tutas dici, ex duplici capite, seu respectu ad finem, vel quatenus media præscribunt necessaria, aut efficaciora fini comparando: vel secundo, quatenus cauent, ne noua peccata committantur, quæ cursum ad finem, & ad Deum præpediant. Licet rem obscuriſſimam nouo & insolito verbo explicare: opiniones quæ prohibent ne peccatum committatur, quatenus fauent legi, & rebus ex præcepto ad salutem necessariis, dicimus tutas esse negatiuè, quia scilicet amoliuntur peccata, quæ nos à Deo & à fine vltimo, longissime abducunt: opiniones verò, quæ consulunt media efficaciora ad salutem, qualis est vnio cum Ecclesiâ Catholicâ, Sacramentorum vsus, & alia id genus, vocamus tutas positiuè. Ex duplici ergo capite, singulis institutis peccari potest, si omittantur opiniones tutiores, vel negatiuè, quæ consulunt legi contra libertatem, quibus si adhæreas, vel minimæ vel etiam nullius probabilitatis, nullum incurris peccatum, nullum apponis impedimentum ad Dei consecutionem: vel si omittantur tutiores positiuè, id est quæ tradunt media efficaciora. Differunt plurimùm, hæc duo genera opinionum tutiorum; & mirum sanè est, Caramuelem, alioſque opinionum probabilium cusores, illam vel ignorasse, vel tacuisse distinctionem: & vix ab hæresi excusari potes, si neges illa duo genera tutarum opinionum, vel nullâ exceptione, asseras quamlibet probabilem, vtroque genere tutam esse: multo enim periculosior est, positiuè quam negatiuè tutarum contemptus, ac proindè plus malorum existit, & timendum est, ex repulsâ opinionum positiuè tutarum. Et hoc prudentissimè agnouit Suares, & negauit, licitam esse; atque hinc facilè intelligi potest, in remediorum delectu, peccari ex vtroque capite: ex primo quidem si dentur remedia, quæ probabilius sunt nocitura quam profutura: ex secundo etiam, si prætermissis quæ habentur in promptu, remediis efficacioribus dentur de-

biliora. Quis enim negare potest, Medicis in id vnum incumbendum, vt salutem curent, & ad hoc parent, quæ sunt aptiora remedia, & ne remorentur, redituram sanitatem? Contra primum peccant, vsu debiliorum remediorum, prætermissis validioribus, contra aliud officium agunt, si præbeant ea quæ probabilius venena futura sunt, quam remedia.

Hinc euidentius est, Ministros Sacramentorum, & Confessarios, nisi saniora dent consilia, & adhibeant formam, & materiam Sacramentorum securam, grauiter peccare, contemptu opinionum positiuè tutarum, quas ratione sui officij, sectari debent, vt docet Suares tomo 4. in tertiam partem disputatione 26. sect. 6. num. 5. nam Sacramenta sunt media, institutione diuinâ ad salutem necessaria, & interdum non suppetunt alia, vt paruulis morituris, qui solo baptismo salui esse possunt, sicut adulti, qui cum solâ attritione accedunt ad confessionem, nequeunt veniam consequi suorum peccatorum, nisi validâ absolutione Sacerdotis: plus ergo periculi, & mali est, in re sacramentariâ, timendum, ex repulsâ opinionis positiue tutioris. Atque hinc facile intelligi potest, delectu opinionum minus probabilium, in administratione sacramentorum, peccati ex vtroque capite; nec hoc videtur satis clare distinxisse Mercorus; ideo Anonymus objectione 20. 3. Nodi carpit eius responsionem, ad argumenta aduersariorum, à quibus nos facilius extricare possumus, solutione insinuatâ, de contemptu opinionis positiue tutioris, cuius vitium aut damnum, nullâ potest ignorantiâ excusari, aut euitari, vt mox dicemus.

Licet pluries huic disputationi de tutioris opinionis delectu, animum adhibuerim, multumque impenderim laboris & temporis; & iam à tribus mensibus inchoatam lucubrationem, huc vsque promouerim; fateor tamen nihil hactenus me legisse, aut occurrisse quod nodum difficultatis apertius dissolueret, distinctione opinionum negatiue, aut positiue tutarum, insinuatâ multis aliis locis. sed breuius & clarius, his verbis ad rem accommodatis, explicatâ. Eius vim inuicto exemplo & argumento, de religionum delectu, tuis Lector oculis subiiciam. Demus gratis Caramueli, quod nunquam hactenus probauit, opinionem qualemcunque probabilem pro libertate, æquare aduer-

fam pro lege, quoad vim non apponendi impedimenta ad salutem, seu excusandi à peccato; non puto tamen vnquam pares facturum, quoad efficaciam mediorum, felicitati comparandæ. Exemplo rem illustremus; inconcussum est apud omnes Christianos, fundamentum, vnam religionem & Ecclesiam Catholicam habere, suisque filiis conferre, media ad salutem necessaria. Demus Lutheranum, quem alias induxit Caramuel, pro suâ sectâ probabilibus argumentis pugnantem, contra Valerium magnum grande decus Capucinorum, ex ignorantiâ inuincibili, seu ex probabilitate in delectu Ecclesiæ errare, & rejectâ Catholicâ, Lutheranæ, cui innutritus est, adhærere & immori, hancque pertinaciam, non imputari ad peccatum, neque nouum ad salutem impedimentum apponere. Nullus tamen eo nouitatis, & audaciæ progressus est, vt hanc ignorantiam seu probabilitatem, quâ se excusauit Lutheranus, ne à suâ sectâ desciscceret dixerit, illi conferre documenta, præsidia, remedia ad veniam peccatorum, ad salutem æternam, quæ Catholici copiosissima habent, in Ecclesiâ Romanâ.

Neque enim ad securitatem salutis, satis est, à viâ iustitiæ non abduci, sed oportet illam adire, calcare, & si aberraueris, ad illam reuocari. Nec sufficit à nouo peccato abstinere, vel excusari, necesse est etiam veniam obtinere antiquorum, si quæ admiseris, eorumque reatu tenearis; parum est denique, quæ agis non esse impedimento ad salutem, allaborandum etiam est, & insudandum illi promouendæ. Concedimus gratis quod argumentis efficere, nec ab inuitis possent obtinere aduersarij, qui sequitur opinionem pro libertate probabilem, per hoc precisè non abberrare à semitâ iustitiæ, quasi nouo inducto peccato: putant ne, vel ausi sunt vnquam asserere nos sola probabilitate duce cœlum conscendere & ad Deum ferri? Quandoquidem ex Arriaga in Atheismum, ex Caramuele in Polytheismum, & in omne scelerum genus, non solum singulares homines, sed nationes totas opinio probabilis abripere potuit. Ergo quamuis à via iustitiæ non abducat opinio probabilis positiuè per se & præcisè, certe ad illam non deducit, quod tamen, nemo nisi Atheus negabit, ad securitatem aut cõsecutionem salutis non esse necessarium. Deinde, etsi concedamus, probabilitate noua peccata

impediri, quis dixerit, sufficere abolendis peccatis, quorum sis reus apud Deum? vltimo tandem, licet admitteremus hanc probabilitatem, non de se, nouo & positiuo esse impedimento, ad vltimum finem consequendum; sed à nullo audiui hactenus scriptum, aut dictum, probabilitatem pro libertate, suppeditare vires, auxilia, ad perseuerantiam in innocentiâ, vel ad comparandum finem vltimum, & merendam felicitatem: ergo nulla opinio probabilis, nec totum genus opinionum pro libertate, sufficit ad securitatem salutis, postpositâ & omissâ opinione tutâ positiue: quia nequit deducere ad viam iustitiæ, delere peccata præterita, vim conferre merendi & consequendi felicitatem æternam; quæ tamen necessaria esse contendimus, ad securitatem salutis.

Demus Caluini eruditionem, Caninam facundiam, eloquentiæ Tullianæ similem, de qua nonnullus scribit: Et *Latium Latio destruit Eloquio*, persuasisse probabiliter suis assectis & discipulis, Christianum solâ fide in Christum, quâ eius merita sibi vindicat, iustum & saluum fieri, ac proinde ad veniam peccatorum, vel iustitiæ incrementum, nihil opus esse meritis operum ex gratiâ, neque Sacrificio Missæ, neque Corpore Christi reipsâ sub speciebus recepto, neque ordinatione Ministrorum Ecclesiæ, neque Confessione aut Absolutione Sacramentali: excusentur Caluinistæ à peccato, si sacro non interfint, quod illis mera superstitio & idololatria est, si abhorreant à Chrismate Confirmationis, ab Absolutione Sacramentali, aliisque Sacramentis, tanquam à sacrilegiis, si indulgentias contemnant, quasi nundinationes prophanas: putasne ex hac ignorantiâ, aut probabilitate quacunque, eos colligere fructus, quos, pij percipiunt ex huiusmodi Sacramentis, vimque & efficaciam, apud illos supplere huiusmodi persuasionem, quâ solâ fide se saluandos credunt? Hoc tamen necessarium est ad securitatem salutis, quam solâ probabili opinione, contendit Caramuel haberi plenam. Quid ad ista responsurus sit nescio, ea tamen quæ assumo, videntur mihi adeo necessaria, vt ejuranda sit illi, quam tot libris propugnauit securitas ad salutem, ex opinione pro libertate probabili, vel concedenda falsa illa & impia quæ inde apertâ consecutione deducimus, si probabiles pro libertate opiniones, æquet negatiue & positiue tutis.

Ad confirmandum hoc postremum argumentum, confert D. Fagnan. trigesimum quartum fundamentum, mira subtilitate, & eruditione explicatum; incredibile est homini concessam à Deo licentiam, quâ placuerit sequendi duarum opinionum, inter se pugnantium. Idem argumentum de religione, non minus apertum, & efficacius quam de opinione vrgeri potest, cùm vtrique communem probabilitatis rationem concedat Caramuel, & aliunde dissideant oppositionum maxima, quam contradictoriam vocamus, necesse est, illarum vnam in se veram esse, alteram vero falsam, & à Deo distinctè cognosci, cuinam veritas aut falsitas insit, à nobis vero ex congenitâ caligine ignorari: hoc tamen, certo constare alterutram esse falsam, cum vtramque veram esse repugnet opinionem aut religionem, & ad salutem idoneam, necessario consequitur, eos qui vtramque consulunt, nullo discrimine verioris, & tutioris, falsum suadere, sicut qui è duobus poculis vnum veneno infecit, obductis oculis, aut oblitus, cuinam virus miscuerit, si vtrumque sumat, non potest dubitare quin venenum sit hausturus. Ita qui vtramque partem propositionum & opinionum contradictoriarum, putat securam, & tutam esse, certus est, falsum & malum aliquâ parte latere, licet ignoret quo loco sit: inde infert Fagnanus, non licere aduocato, vtrique parti patrocinari, quia certus est vni falsitatem inesse, ac proinde se iniquam causam defensurum si vtrique adsit. Inde etiam ex Siluestro refert nouam illam doctrinam, quæ nullo discrimine statuet, vtramque partem securam esse, quamuis altera necessariò sit falsa, alienam esse prorsus à Deo, quod non possit esse vllâ ratione author falsitatis, neque ad illam materialiter, aut formaliter inducere, cum sit ipsamet veritas. Prorsus erudita & subtilis argumentatio, non minus sapiente, & religioso, quam docto authore digna. Quid si addas huic argumento nostram obseruationem, & distinctionem, & adiungas, nunquâ pati Deum contradictorias æquo marte pugnare, vt facile agnoscunt omnes, nisi qui volunt decipi & perire; signa indubitata verioris, aut certè sanioris, quæ scilicet tuta sit altero genere opinionum tutarum, aut vtroque: etsi veriori minus probabilem, negatiue & positiue tutiori anteponas aduersam, nescio quâ ratione apud Deum, & probos, excusare possis, adeo præposterum in-

dicium, cum non ſolum de aliquâ opinione ſingulari, ſed de totâ religione agitur, quæ quamlibet probabilis ſit, defendi nequit vt tuta, niſi cum aperta pernicie veræ religionis, & cum licentiâ impune profitendi quamcunque falſam.

Eadem deducit abſurda Mercorus duobus tertiæ partis ſuperioribus articulis, quarum ſummam hic appono, in gratiam illorum, qui hunc eruditum & pium authorem non legerunt, dignum ſane qui legatur, maxime eo loci ob ſingularem doctrinam, quam nos alio genere argumentorum confirmatum imus. Aduerſarii perpetuo nobis obiiciunt Ianſeniſmum, nec vllo loco probant, nos illius conſcios eſſe. Multo magis in promptu nobis eſt, demonſtrare ex illorum principiis omnes religiones tuto, aut ſaltem licite promiſcuas eſſe, & propius, ſuâ illâ regulâ accedere ad Caluiniſtas, Euangelicæ legis corruptelâ, non diſſimili, ab eâ quam moliti ſunt hæretici; huius Chriſti ſententiæ, *Iugum meum ſuaue eſt & onus meum leue.*

Communis antiquorum Patrum interpretatio, quam luculenter proſequitur Bellarminus, controuerſia de legis & Euangelii differentiâ, habet legem à Chriſto latam, dici leue onus, & iugum ſuaue, quod non ſolum ſit lex iubens, ſed etiam iuuans (vt eleganter, & acute loquitur Auguſtinus) nec more legis antiquæ præcipiat tantum, ſed præcepto adjungat gratiam, & vires efficaciſſimas, quibus lex impleatur, per charitatem diffuſam in cordibus noſtris, &c.

Sed alio ſenſu hæc verba interpretantur, aut potiùs corrumpunt Caluiniſtæ, iugum legis quamlibet graue & intolerandum ſit, leuiſſimum eſſe Chriſtiano electo, quod, quamuis præcepta negligat, & toto vitæ curſu ab illis recedat, nihil ad culpam, multoque minus ad pœnam illi imputabitur, ſingulari meritorum Chriſti beneficio, qui peccata noſtra, nec impedit, nec tollit, ſed tegit, eorumque, noſtri causâ, pœnas dedit, vt impune nos ea admitteremus. Hæc eſt Caluiniſtarum commentatio aperte hæretica, non dico aduerſarios eadem ſentire, ſed illis non diſſimilia, & aliquâ etiam ratione nihilo meliora. Nam ad minus hæretici, quæ contra legem quâcunque ratione fiant, peccata eſſe fatentur, & ſi quas merentur, non fore daturi pœnas æternas, acceptum referunt Chriſto, & vo-

lunt in solidum, esse meritorum ejus fructum, atque ita leue effici iugum, & onus Christi, non gratiâ, qua feratur & impleatur forti animo, sed quâ, culpæ quibus violatur, quamlibet graues, non sint illis fraudi, & damnationi futuræ, idque meritis Christi imputant, cum grati animi significatione. Caramuel vero, nos simile, aut maius beneficium debere putat industriæ suæ, aliorumque Theologorum, qui nouas quotidie probabiles, & tutas opiniones inducunt, quæ nos à legis iugo, nec solum à pœnâ, sed etiam ab omni culpâ, in legem admissâ, eximunt.

Vix vlla legis pars est, cuius adeo apertus sit sensus, quin multis implexa sit difficultatibus, variis coniecturis pateat, & sit inter Theologos controuersa, ac proinde subiecta opinionibus pugnantibus, hinc pro legis authoritate, inde pro nostræ libertatis iure, vt quam placuerit, liberum sit & tutum sectari. Et hinc contendunt fieri iugum Christi leue, ex ignorantiâ sensus germani, & legitimi legis, & ex probabilitate opinionum, quæ iugum legis minuunt, immo cum nullus sit probabilitatum finis, cum singulis diebus nouæ emergant, vim legis eleuent, & parum abest, quin in totum tollant: quod igitur, ab imputatione meritorum Christi, Caluinistæ aliquâ religionis specie trahunt, leuamen legis & peccatorum, à probabilitate repetunt aduersarii, minus quidem aperto errore, nec hactenus ab Ecclesiâ damnato, sed haud scio, an minori periculo, salutis animarum, & legis contemptu. Addo, non minus hanc recentiorum Theologorum interpretationem, de iugo legis diminuto, nouam esse, quam imputationem à meritis Christi repetitam, quâ se muniunt hæretici, contra legis accusationes.

Narrat scriptor eruditus, iudicem nescio quem, inter legendum iuris libros, si quæ occurrerent dissidentes authorum sententiæ (quæ vix vllo loco desunt) solitum ad marginem libri hæc verba adscribere *nota casum pro amico*. Hunc cuilibet, conscientiæ laxioris, homini permittet Caramuel imitari, vt quod pro amico, iudex annotabat, licere sibi, saluo iure, concedat, sui, vel amicorum causâ, vt casus tulerit, vsurpanda reponere suis tabulis. Discrimen hoc solum est, inter Theologiæ & Iurisconsultos, quod & istis, vnius quamlibet doctissimi, authoritas impar sit, in commentandis hominum legibus, opinioni proba-

bili & tutæ ſtabiliendæ, ideo Papiniani, Iuriſconſultorum doctiſſimi, priuata ſententia, apud Imperatores, dubitationis, non opinionis, nomen & vim habet. At Theologi, in legem diuinam plus ſibi arrogant authoritatis, quam in Imperatorias Iuriſconſultis concedatur. Vnius ſuffragio, olim non ſolum ignota, ſed etiam damnata opinio probabilis fit & tuta: quid vero hâc regulâ ad ſanciendas opiniones conſtiturâ, ſaluum & certum ſupererit, ex legibus diuinis, cum vix vlla ſit, adeo abſona & detorta interpretatio, cui aliquot Authores non patrocinentur; & in id vnum attenti ſint plures, atque in eo induſtriam & gloriam ponant, vt nouas opiniones cudant, & inter probabiles reponant?

Hanc corruptelam legum diuinarum iam inductam, innumeris probat exemplis D. Fagnanus, aliqua etiam addit P. Mercorus art. 2. futura, vbi primum alicui Theologorum viſum fuerit. Si matrimonium indiſſolubile ſit, vnius prolis educandæ causâ, vt cum Diuo Thoma docent Theologi; quid ni dicet aliquis probabilitatum defenſor, diſſoluetur matrimonium ſterile, cui proles, vnica indiſſolubilis vinculi cauſa, deſit? ſi præfecto ſocietatis politicæ, jus ſit vitæ & mortis in ſubditos; cur idem juris neges præfecto familiæ patri in filios, viro in vxorem adulteram? Alia habet exempla P. Mercorus huiuſmodi probabilium conſecutionum, quæ ſi in opinionum tutarum ordinem referantur, vnius Doctoris ſuffragio, iugum Chriſti leuius euadet hac arte Theologorum, quam Caluiniſtarum imputatione, atque idem inde fructus exiſtet, nempe ruina, ac pene contemptus Euangelicæ legis, tum apud Chriſtianos, tam apud alienigenas & heterodoxos: neque enim induci poſſunt, huiuſmodi diſſidentes opiniones, ſine graui ſcandalo, vt multis probat D. Fagnanus fundamento 35. Quid enim vetat, inquit, cum de matrimonio rato diſſentiant Doctores, quin vxore aliquo tempore vtatur quis, legitima, ex aliquot Doctorum opinione, quandiu placuerit, & cum illius tædere eum cœperit abiiciat vt concubinam ex aliorum ſententia, & nouum ineat matrimonium? Non ita Baldus, qui diſſentionem opinionum ratus turpem Doctori, abſtinuit à quæſtione dirimenda, de quâ ſuſpicabatur olim conſultoribus ſe reſpondiſſe, nec occurrebat carta, cui ſuum conſilium inſcripſerat, vnde idem,

licet permittat reo optare iudicem propitium, non tamen patitur vnquam in vtramque partem claudicare. Plura his similia, dissidentium opinionum, exempla, profert D. Fagnanus, quæ nemo, inquit, inficiabitur esse absurda, scandalosa & vitanda,

Non dissimile superioribus est argumentum 26. fundamenti ab absurdo 8. & pernicie iurium Ecclesiæ: si quæ enim occurrat controuersia de immunitatibus Ecclesiasticis, non deerunt Theologi gratiæ secularis, quam veritatis, & salutis studiosiores, qui adulentur principibus; & quamlibet iniqua obtendant contra Ecclesiam, legitima esse, aut ad minus probabilitate non destitui, ac subinde tuto posse ambiri persuadeant.

Probabilitas nimia & effrænis, qualem, præter Caramuelem, pauci, id est ad summum, quod sciam quatuor distendunt, Tamburinus, Sancius, Pascaligus, & forte Diana; turbini similis, nulli rei parcit, & sibi ipsi noxia est, & exitialis: parit enim ignauiam & socordiam (vt 37. fundamento ab absurdo nono probat D. Fagnanus) quæ à studio omnium disciplinarum retrahit, ne exeptâ quidem ipsâmet probabilitatum arte. Nam præ ceteris scientiis, iuris & Theologiæ moralis doctrinæ contemptum, aut ignorantiam inducit; quam tamen antiqui alio longe animo, quam recentiores tractabant.

Equidem Diuus Thomas opusculi 73. de vsuris, præfatione, inuocat sapientiam, ne se errare permittat, in periculum suæ animæ, & laqueum aliorum, monetque periculi, quod impendet à controuersiis moralibus, si diuersa sentiamus, & opinemur, maxime de his quæ pertinent ad iustitiam commutatiuam.

At si obtineat regula probabilitatis, frustra improbo labore consumimur, in veritate indaganda: vel enim quæstionis facilis est & obuia enodatio, vel ardua est & grauibus hinc inde intricata difficultatibus, sed nihil opus studio, si in promptu sit solutio, multo minus necessaria est longâ indagine, si obscura & difficilis sit, quia inde constat probabilem esse vtrinque, id est, grauibus obsessam difficultatibus, & fultam argumentis, ac proinde, vtriusvis liberam, & tutam esse electionem.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [333] - 253
PUBLIC DOMAIN

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Superiorum argumentorum ſumma, quibus alia adduntur eiuſdem generis à poſteriori.

DVM plura colligimus ex P. Mercoro &, D. Fagnano, quibus defendendis, & illuſtrandis, hic labor ſuſceptus eſt, & plura è noſtris addimus; videmur hâc tertiâ argumentorum claſſe, minus expeditâ methodo, quam ſuperioribus agere: ſed facile eſt, dicta, & quæ dicenda ſuperſunt, conuenienti ordine diſponere, & in gratiam lectorum, reuocare ad tria capita, quibus lex continetur. Nam ſi Voluſiano licuit dicere, quæ Auguſtinus ignoraret, legi deeſſe; timeo ne verius ſit, quæ nimiæ, & effrænis probabilitatis, corruptelam effugiunt, in lege diuinâ deſiderari. Si conſtet ceremoniis, quæ de diuino cultu ſtatuunt, ſi moralia præcepta decalogo contenta, habeat in regulam totius vitæ humanæ, & Chriſtianæ, denique, ſi leges iudiciales complectatur, quibus ſocietatis humanæ tranquillitas, fulcitur, triplici quaſi vinculo, officiis Principum, & Iudicum in ſubditos, ſubditorum in maiores, & mutuis hominum, vltro citroque præſtandis; vix quidquam intactum, & integrum relinquit immodica illa probabilitas, atque ad hæc tria capita reuocantur, quæcunque hac ſectione diximus, & quæ habet D. Fagnanus 38. 39. & 40. fundamento, & quas multis paginis refert, opiniones nuperas, ex licentiâ probabilitatum natas, aliquam harum trium diuinæ legis partium impetunt; & iam iſta ſectione demonſtrauimus, religionem, & Euangelium labefactari, multis opinionibus probabilibus, quæ in dies emergunt, & hoc argumentum, à ruinâ religionis, nos fuſius proſecuti ſumus, quam duo noſtri authores. Nec minus infeſtæ prodeunt ſingulis diebus, contra partem moralem legis, & ad illud caput reuocantur, quas notat D. Fagnanus 38. fundamento: multi inquit à ſeuera ieiuniorum obſeruatione deſtiterunt, auditis opinionibus noſtri ſæculi Scriptorum, qui præeepta ieiunii reſoluunt. Nonnulli à ſuſcepto, occaſionem peccati proximam deſerendi, propoſito, receſſerunt, authoritate Doctorum, qui docent, nedum

licere in eâ perseuerare mali occasione, sed in illam vltro se coniicere, alicuius boni spiritualis aut temperarii causa; hinc aliqui, domi pellicem detinuerunt, Theologorum consilio, qui censent, non esse eiiciendam, si graue fastidium sis ex illius absentiâ passurus, & apud te statueris imposterum, te cum illa non peccaturum. Decurrendi essent illorum authorum libri omnes, recensendis malis, quæ importauit frequens illorum lectio, vnde ex nimiâ indulgentiâ, inducta est incredibilis morum corruptela.

Sed nulla pars diuinæ legis, grauiorem experta est, illâ quæ præcepta complectitur, quæ iudicialia vocamus, & officiis maiorum in subditos, vel subditorum in maiores, vel parium in pares, quasi tribus vinculis societatem humanam, & pacem ac tranquillitatem publicam fulsit & continet; quia hæc officia, nouis quotidie opinionibus corrumpuntur, & resoluuntur vincula, cum cuiuscunque rei ratio, integritate constet, quæ nihil alieni admittat, nihil illi desit, aut pereat sui. Vix dici potest, quam enormiter probabilitatum cusores peccauerint, suis probabilitatibus, in hæc tria genera officiorum, à nobis explicata.

Cum Regum, Iudicum, & Majorum, certa esse debeat, & intra iustas metas, contenta potestas, Authores moderni, vel præter fas, nimium amplificant & extendunt, & omnino inconcessa illi vindicant, vel legitima, & necessaria tollũt. Exempla in vtramque partem profert luculenta, Sinnichius §. 409. Concedit Regibus Sanctius ius bello repetendi, quod suum minus probabili opinione reputat, quam quæ fauet possidenti: & quamuis adeo temerariæ opinioni non audeat assentiri Tamburinus, tamen probabilem asserit suffragio bonorũ Authorum. Quinam vero illi sint, notat ad marginem, Castropalaum & Sanctium; quorum primus sententiam retractauit tom. 1. tract. 6. disp. 5. iis verbis, *Aduerto, te non posse alium, à possessione regni, deturbare, ex eo quod credas regnum ad te pertinere; nisi valeas claris probationibus conuincere.* Ergo vnus superest Sanctius, qui patrocinetur adeo pestilenti sententiæ, quæ ex minimæ probabilitatis scintilla, conflet bellorum incendia, quibus flagrent, & pereant vrbes, & nationes. Nonnulli etiam, eiusdem probabilitatis minimæ argumento, dant Principibus ius in bona subditorum; & reuera si suffi-

ciat Regibus, ad occupandas bello ditiones finitimorum Principum, quidni satis idonea sit causa, sectionis, & addictionis fisco bonorum quæ ad subditos pertinent?

Sed infida sunt dona & timenda suffragia probabilitatum, futura exitio iis, in quos conferuntur. Probabilitatis commune jus est in omnes, quod tibi ex illâ in alios, aliis in te licere volunt. Neque enim ita Regum aucupantur benevolentiam, quin popularem auram captent, & in gratiam subditorum nihilo æquiora doceant. Citatus modo Castropalaus magnâ fiduciâ scribit, licitum esse subdito, detrectare imperium Principis, si probabiliter putet, vel injustum, vel illegitimum, id est supra æquam potestatem positum: immo si Principi permittant eripere Regnum æmulo, qui præter possessionis titulum, iure par sit, aut vincat, & eodem nomine bona subditorum sibi vindicare, idem iuris concedent aduersariis & subditis, saluâ æquitate, si probabilitas similis suppetat, illum suo regno deturbandi & vsurpãdi: quod ab aliquot annis, cum omnium gentium horrore, Angli in suum Regem sæuitiæ exemplum præbuerunt. Quare, magis noxias puto, has opiniones Regibus esse, quam priuatis hominibus, quod cum plus habeant legitimæ potestatis, illis æquent subditos, immo superiores aliquâ ratione faciant; quare dum in majus augent jura Regum, funditus tollunt; & accessio illegitimæ potestatis, excidium est iustæ: nec magis in ordinem cogi possunt Principes, quam constitutâ illa probabilitatis lege, qua omnia societatis humanæ fundamenta, id est Regum in subditos, & subditorum in Reges officia conuelluntur.

Nec Sanctius habent, aut iustius, Iudicum authoritatem nonnulli Theologi, nescio, an adjectionibus, flagitiosius augeant & amplificent, an iniquis detractionibus coarctent & minuant. Exempla in vtramque partem profert deplorãda potius, quam refutanda, Sinnichius §. 410. & 413. vt ab indulgentiis, hanc corruptelam iudiciariæ potestatis primũ aperiamus permittunt Iudici, stante æquali vtrinque probabilitate, immo dispari, rem adjudicare, cui maluerit, & aliquid ab vno litigantium accipere, vt sententiam in eius gratiam ferat: Nec solum, hanc facultatem conferunt, in causis recuperatoriis, quas vulgo Ciuiles vocant, sed etiam in iudicio capitis, cum reus absoluendus est, aut damnandus. Tamburinus plenam concedit Iudici facultatem

tatem munera accipiendi, nisi ob iustam sententiam, quia cum Clienti debeatur, nequit illi vendi. Cæterum si ex probabili, non ex euidenti & necessariâ lege, pronunciandũ sit, liberum relinquit, rem in solidũ, cui maluerit adiudicare, vel inter collitigantes diuidere & vendere : & cum vnum tantum sententiæ iustæ genus, non sit venale, vendi vero possint quæ non debentur, pecuniis inhiabunt iudices, & reuocatis litibus, ac iudiciis, ad probabilitatem, omnia tribunalia vertent in mensas trapesitarum, & rempublicam Christianam, in eum deuoluent statum, in quem vrbem Ierosolymitanam delapsam lamentatur Isayas cap. 1. his verbis : *Quomodo facta est meretrix Ciuitas fidelis, plena iudicij ? Principes tui infideles, socij furum : omnes diligunt munera, sequuntur retributiones : pupillos non iudicant, & causa viduæ non ingreditur ad illos.* P. Mercorus ex Baldo refert, iudici opus esse duplici sale, scientiæ vno, ne insipidus sit, conscientiæ altero, ne diabolicus euadat : Diuus Thomas eodem sensu, aliis verbis, Iudices ait egere sapientiâ & iustitiâ. Sed nimiæ probabilitatis defensores, has duas dotes adimunt iudicibus, & scientiam ignorantiâ seu socordiâ, ad inquirendam veritatem corrumpunt, vt iam demonstratum est, & ideo D. Fagnanus ex eodem Baldo refert : *Actum argumentandi esse apud plures, conclusionem respondendi, & medicinam sanandi, apud paucos.* Quid vero de alterâ dote dicam, ad iudicis partes implendas, superiore magis necessariâ, de æquitate & conscientia? Nihil ad eam prorsus extinguendam, excogitari potest nocentius, opinione iam relatâ, quæ omnia venalia facit, præter necessario & euidenter iustam sententiam, id est, nulli obnoxiam dubitationi à contrariâ & aduersâ probabilitate intactam. Id vero vix vnquam contingit, cum nullus sit controuersiarum & opinionum in vtramque partem probabilium finis; ergo quæcunque à iudicibus fiunt, venùm prostabunt in Tribunalibus & Parlamentis, quo quid iniquius excogitari possit, non video.

Sed hæc videntur docere hi Theologi non tam gratificandi iudicibus, quam compensandi animo damna imminutæ potestatis iudiciariæ causâ : videntur enim indulgentiores in clientes & reos, quam in iudices : iniquius illorum potestatem coarctant quam amplificent, idque ex probabilitatum principiis, vnde depromunt asserta reis & litigan-

tibus commoda, pernicioſiſſima iudicibus; quale eſt iſtud, licere clienti, aut reo occidere iudicem, à quo timeat ſe iniuſtè damnandum, ad vitæ, honoris, vel fortunarum jacturam: & cum longè deterius ſit, iniuſtam ſententiam ferre, quam iniuſtè agere; ſi per eoſdem Theologos liceat, interimere raptorem vnius nummi aurei ex re familiari; quidni potiori iure eximetur ab homicidij crimine, qui occiderit iudicem, vnius nummi aurei abreptorem, ſententiâ, quam putauerit reus, aut cliens probabiliter iniuſtam.

Non dubito, erudite & pie Lector, quin ad iſta exhorreſcas; ſed ipſa probabilitas tot malorum & ſcelerum origo, vnâ re, videtur ſibi eſſe mentita: male conuenit, quod nonnulli Theologi ad commendationem reorum ſanciunt, non poſſe iuſtas dare pœnas iudicibus, accuſatum criminis, quamlibet in ſpeciem atrocis, ſi ſe muniat aliquâ probabili opinione contra legem, eamque ſecutus fuerit. Si ita ſit, cur docent licere Principi deturbare ſuo regno æmulum, qui in illud præter poſſeſſionis titulum, jus habeat probabilitatis majus, cum ad minus, bellum futurum ſit in illum iniquius, quam ſententia iudicis in reum, qui ſe aliquâ opinione probabili tutatur?

Sed finem faciamus de re omnino inexhauſtâ, ſi ex fructibus dignoſcere arborem, Chriſtus nos jubet, quod nec mala, bonos, nec bona, malos, proferre queat; quid de laxiori probabilitate ſtatuendum ſit, ſatis ſuperque demonſtrauimus, ſuperiori, & iſto articulo, recenſitâ minimâ parte malorum, quæ inde exiſtunt? Quis enim omnia enumeret? & inde plura proditura ſunt, niſi aliquo ſalutari decreto cohibeantur?

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [338] - 258
PUBLIC DOMAIN

ARTICVLVS VLTIMVS.

Responsio ad objectiones Caramuelis resolutione decimâ.

VIDETVR Caramuel Resolutione decimâ, vicem velle reponere D. Fagnano, & vlciſci quas ſibi illatas putat iniurias duodecim fundamentis, ſeu abſurdis, quæ ex probabilitate laxiori, deducta ſunt. Paria cenſet ſe illi regerere, dum objcit, ſi doctrina Fagnani obtineat de ſeueriori opinione, omnes ad vnum homines, ne excepto quidem Fagnano perturbatum iri, & mendacij accuſanda illa verba Chriſti: *Iugum meum ſuaue eſt*, niſi benigniorum opinionum ſubſidio leuetur.

Sed hæc vltima objectio, occupata eſt, comparatione benigniorum opinionum, cum imputatione extrinſecâ meritorum Chriſti, qua ſe alleuari credunt Caluiniſtæ, à jugo Chriſti; vnde par omnibus alleuamen promittunt iſti Theologi, nihilo meliore nouo inuento probabilitatum. Verum quidem eſt Prologo Conſtitutionum Ordinis Dominicani, hanc præſcribi regulam, relaxandæ quantum fieri poteſt auſteritatis in conſiliis, & benigne omnes tractandi. Neque hoc negamus fieri oportere, non laxitatibus opinionum, ſed eâ quam ſuis exemplis & ſcriptis docuerunt charitate, manſuetudine, moderatione è Dominicanis plurimi, & omnium nouiſſimus Petrus Tapia Theologiæ Moralis Scriptor luculentiſſimus Archiepiſcopus Hiſpalenſis, cui muneri ita immortuum ferunt à paucis annis. Cum ex zelo Paſtoralis officij, & Eccleſiaſticæ immunitatis, aliquot miniſtris regiis interdixiſſet, ſacro fidelium congreſſu, & nimiæ auſteritatis ac contumaciæ, ſuſpecta fuiſſet hæc cenſura viris grauioribus; vt monſtraret, ſe ex nullâ animi impotentiâ, ſententiam protuliſſe, ſuſpendit ad tempus, & morti proximus, juſſit ad ſe deferri Pontificia inſignia, quibus indutus & ornatus, ſententiam iterum in reos, inter moriendum pronuntiauit; vix eâ prolata, tribus horis ſuperſtes. Quid cenſet Caramuel? putarne virum ſapientiſſimum illâ diſciplinæ ſeueritate, à ſui Ordinis conſtitutionibus receſſiſſe, quæ pro-

hibent auſteritatem conſiliorum ? Quid de Sancto Antonino? Quid de Bartholomæo à Martyribus, aliiſque Dominicanis dicam ; quos certiſſimus ſum fuiſſe ſuarum conſtitutionum tenaciſſimos, nec minus ab hâc licentiâ probabilium opinionum alienos ? At inquit Caramuel, ſi tutior vbique ſententia ſectanda ; Authore Fagnano, ipſe futurus eſt ſcandalo, quod à regulâ quam aliis conſtituit, longe recedat, quaſi quæ ſcribit, ſint illi ad oſtentationem ſcientiæ, magis quam ad legem vitæ.

Communis Doctorum ſententia eſt, pauperi extremâ egeſtate laboranti ſubueniendum eſſe, cum diſpendio aliquo fortunarum, & erogandum illi, ex neceſſariis ad familiæ decus & ſplendorem ſeruandum. Seuerior opinio ex Leandro, docet Chriſtianos à Turcis captos, & niſi redimantur, quamprimum occidendos, pares eſſe egenis ad extremam inopiam redactis, ac proinde ab omnibus redimi oportere, cum noxâ ſuæ conditionis, maxime ab ijs, qui vbique tutiorem ſententiam ſectandam docent. Immo quamuis abſit periculum mortis, & extrema inopia, ſubueniendum, ex neceſſariis ad ſplendorem natalium & dignitatis, opinantur multi ex Leandro. Si ita ſit, *Supellex* omnis vendenda eſt D. Fagnano, in egenorum ſubſidium & captiuorum pretium : aliàs ſcandalo futurum eſſe, quod vita eius diſſentiat à doctrinâ. Plura (inquit) poſſet hic dicere ; ſed moderandum ſibi putat ſuæ orationi, & fugiendam inſectationem optimi Senis, & ſibi chari.

Si D. Fagnanus, eâdem ratione, opiniones tutas ſanciri putaret, vnius aut alterius Theologi auctoritate, quâ gigni cenſet Caramuel, opiniones benignas & ſecuras, haberet forte nonnulla argumenta ad hominem, quibus nos laceſſeret : ſed quamuis laudemus Leandrum, familiæ ni fallor ad redemptionem Captiuorum, ſub nomine Sanctiſſimæ Trinitatis inſtitutæ Authorem, quod ex ſui Ordinis lege, faueat Captiuis, & probet opinionem, quæ velut in extremâ neceſſitate poſitos, docet, cum fortunarum diſpendio, in libertatem eſſe aſſerendos ; non tamen illi omnino aſſentimur. Nam præter quod, non adeo durâ ſeruitute premuntur captiui, quin Religionis Chriſtianæ profeſſio illis tuta, nec ingrata ſit heris, quorum beneuolentiam demereantur, & ſi induſtrij & impigri ſint, plura lucrentur, quibus minus arctè viuant, & ſe poſſint redime-

re. Certe si Barbari compertum haberent, omnes Christianos ita comparatos esse, vt redimendis Captiuis, nulli rei parcerent, Gazam Regiam, pro singulorum libertate, sibi appendi juberent; & tum intra breue tempus, omnes Christiani orbis exhaurirent diuitias, atque hoc inuento, sibi Christianos omnes bello subijcerent.

Cæterum, si quæ Fidelium pietate, in Pauperum & Captiuorum subsidium, erogata sunt bona, extructa Xenodochia, relicta legata testamentis, legitimè administrarentur, commodiorem pauperes vitam, quam opulenti transigerent, solicitudine & cupiditate diuitiarum vacui. Sed negligentiâ & auaritiâ administrorum, qui curandis pauperum bonis præficiuntur, fit interdum, vt præter mentem piorum, qui ex asse hæredes, aut legatarios pauperes reliquerunt, vt illorum patrimonium in alios vsus absumatur. Et cum D. Fagnanus, iustitiæ vindex acerrimus, causam pauperum totâ vitâ egerit, & quâ valet authoritate & sapientiâ, in id incubuerit, vt sua bona & iura seruarent; vtiliorem illis operam nauauit, quam distractione suæ rei familiaris, modicæ præ tot laboribus, quos pro Ecclesiâ exantlauit. Et si permisisset sibi, quod licitum putant Probabilistæ, emungere pecunias, ab iis qui singulis diebus se conueniunt turmatim, negotiorum causâ, posset Algeri & Tuneti carceres deplere & exhaurire; sed non putauit adeo turpe lucrum quacunque causâ, etiam redemptione Captiuorum, honestari posse.

Sed probabile est, inquis, cogi posse à Principibus diuites, ad erogandas quas debent eleemosynas, vnde tamen turbatum iri agnoscis rempublicam, ergo summus Pontifex peccabit, nisi cogat nobiles ad pauperum subsidium; nisi velis excusari, quod omissâ tutiori opinione suo officio satisfaciat, secutus opinionem probabilem & tutam. Sed nihil opus est nobis illo effugio; multo æquior est, quam subjecit excusatio, perturbatum iri rempublicam, si egenorum graui, non extremæ necessitati, cogerentur subuenire, venditione prædiorum & diminutione redituum. Meminerit vero Caramuel constitutam esse à nobis regulam, licitum esse vsum opinionis probabilis, immo & dubiæ, si è duobus quæ imminent malis necessarius sit ad majus depellendum.

Addo ad huius argumenti exhauriendam difficultatem,

nihil nocentius pauperibus effusâ liberalitate, si desit acre examen & iudicium, ne dum egestati consulitur, pauperum socordia, superbia, & luxus foueantur; vt luculento exemplo comprobatum est, Lugdunensis & Parisiensis Xenodochij institutione. Antequam diuini illius consilij, veniisset in mentem, quibusdam viris summæ prudentiæ & charitatis in pauperes; Christianæ ciuitates Camerinam alebant, id est mendicorum colluuiem, quibus patrimonium opulentum erat mendicitas, à majoribus longâ serie recepta, vlceribus de industriâ ascitis, & arte insanabilibus tectâ, qui promiscua haberent matrimonia, & nullam religionem; hæc mala, & quæ inde facile intelliguntur plura, fouebat eleemosynarum abundantia, quas conueniisset collocari, vt Romæ fit in dotandis virginibus, & pueris aliquâ arte imbuendis, quâ victum sibi, & suæ familiæ compararent.

Beatum, dicit Propheta, *qui intelligit super egenum & pauperem*, sed ad eam beatitudinem comparandam, opus est duplici oculo, Fidei vno, qui sub legitimo & lacero paupere Christum latentem introspiciat, iuxta illud: *Quod vni ex his minimis feciſtis, mihi feciſtis*: prudentiæ altero, qui veram inopiam, ex impotentiâ ad comparandum victum secernat, à fictâ causâ, fugiendi labores, & vitam cum luxu per socordiam transigendi. Iterum dico nisi fucorum turba, apum mel & fauos absumeret, nisi validiores corpore, & inertes mendici, otio & socordiæ dediti, extorquerent à piis, bona in legitimos pauperes conferenda, satis esset eleemosynarum, nec quidquam egenis ad subsidium, neque captiuis ad libertatem deesset. Ego sanè non minus in Christianis desidero prudentiam, quam in pauperes charitatem.

PARAGRAPHVS VLTIMVS.

Respondetur ad 4. eiusdem resolutionis objectiones.

EADEM resolutione & notâ ad illam, quatuor mouet nobis lites Caramuel, quæ non sunt diu futuræ sub Iudice; vnam de penso officij ab omnibus Clericis recitandi, ex securiori sententiâ Casuistarum, de quâ essent monendi à Confessario: aliam de jejunij legibus, quas si ex seueriori sententiâ, interpretemur, non posse negligi citra mortale, explodent nos Germani, & aliæ Nationes Septentrionales vino & comessationibus deditæ: tertiam de osculis & manuum contactu, aut humanitatis, aut vrbanitatis causâ, olim apud antiquos & etiamnum hodie apud Gallos receptis, à quibus licet periculum peccati non absit, vix possis citra scandalum, & offensionem aliorum abstinere: quartam denique mouet litem à decisionibus Cardinalium, quas contendit in materiâ probabili pronunciatas, ex vago opinionum delectu, nullâ magis habitâ ratione officij, quam commodi, & legis quam libertatis.

Hæc habet Argumenta & Exempla, ad suæ causæ defensionem, quibus id vnum probat, se omni præsidio destitui. Quid enim debilius his quatuor objectionibus? Primam repetit ab horariis precibus, quas Clericis indixit recitandas singulis diebus, non lex diuina, aut Ecclesiastica singularis (nulla enim extat quæ id conceptis verbis præcipiat) sed consuetudo recepta ab aliquot sæculis, quæ vim legis obtinet. Ea vero quid præscribit; quid ex illâ more receptum est? Pensum illud horarium persolui oportere, à tribus generibus Clericorum, qui vel beneficio potiuntur, vel professi religionem, ex eleemosynis victitant, vel initiati sunt sacris Ordinibus, id est, Subdiaconatu aliisque maioribus. Quidquid istis adijcitur, est supra statam consuetudinem, & omni probabilitate caret. Quod attinet ad leges jejunij, bene est, quod velit interpretandas ad gustum Germanorum, Bohemorum Belgarum, quibuscum vitæ partem detriuit; & quamuis abstinentissimus,

& procul ab comessationibus & ebrietate, quibus nonnulli ex ijs nationibus ita afficiuntur, vt vix annumerent peccatis; tamen iure amicitiæ, illis hæc condonanda vitia, aut excusanda censet. Mirum est quod non scripserit probabiliter, id est, recte & prudenter à Luthero sublata fuisse quadragesimæ, & totius anni solemnia jejunia, vt hâc benigniori opinione, multis eximeret peccatis homines ingluuiei deditos, qui nihil peiùs oderant jejunio. Hinc obseruatum est hæreses, sub quo natæ sunt, cœlum resipere & referre. Et cum pingue sit, & crassum Septentrionalium regionum, sudum magis & subtile, Orientalium: hinc factum est hæreses à Græcis Orientalibus inuectas, fuisse acutissimas, de rebus altissimis, de Trinitate, Incarnatione; cœlibatum autem, jejunia, & vitæ austerioris disciplinam intactam, aut plus æquo commendatam fuisse: qui vero ab Aquilone panduntur errores, ex Cœli diffluuio, carnem & sanguinem resipere, abstinentiæ jejuniis bellum indicere. Inde vox illa Luthero excidit, inter compotationes, se nullum ex antiquis pejus odisse Hieronymo, quod semper de castitate & de jejunio loquatur. Simile forte odium, & cachinnos Germanorum timeret Caramuel, si jejuniorum disciplinam interpretaretur ad mentem Hieronymi, & antiquæ Ecclesiæ, ideo accommodandam censet moribus Germanorum.

Nescio quid compendij, & commodi ad suam causam captet, ex antiquo olim apud Christianos, & apud Gallos, seruato more, salutandi cum osculo pacis, vel à conuersatione proci cum sponsâ. Adquid enim ista pertineant non capio, nisi forte velit, ab huiusmodi consuetudine non esse abstinendum ijs, qui certi sunt se inde peccato consensuros. Si neget id se velle, aperiat suam mentem; & quid inde absurdi, in nos deducat. Neque enim conuenit agere argumentis ita implicatis, vt vix vlli pateant conjecturæ: certe nostram frustra exercebunt, nisi apertius loquatur.

Non dubito quin sapientissimi & integerrimi Cardinales Congregationum, ægre ferant, & se grauiter læsos conquerantur, quod à suis decisionibus, deploratæ causæ, pro vago probabilitatum vsu, patrocinium mutuetur Caramuel suâ vltimâ objectione ab absurdo. Quasi incorruptissimi Iudices, totius Cleri Romani, & Ecclesiastici flos &

lumen, suas decisiones exigant, ad regulas superiori articulo relatas, Iudiciorum, quorum puderet corruptissimos Iudices; sed diuersæ ab illis prodeunt, & dissidentes, inquit, Caramuel. Quid tum? Quasi non possint doctissimi & integerrimi Viri, in varias abire sententias, non quod vel minimum quodcunque probabile, tutũ censeant (quod vnum Caramuel contendit) sed quod quique illorum, sensum aliorum venerentur, suo quem probabiliorum putant, & magis legi consentaneum adhæreant. Hactenus de 3. genere argumentorum à posteriori, quæ delectum tutæ sententiæ confirmant, aut impugnant, ad quartum accedo.

SECTIO QVINTA.

Classis quarta argumentorum pro tutiori opinione, à Testimoniis Scripturæ, Patrum, vtriusque Iuris & Theologorum.

Male dignitati Theologiæ Scholasticæ consultum esse à probabilitatum artificibus, superiori dissertatione conquestus sum, & euidentioribus, quam vellem, argumentis confirmaui: quod enim supra retulimus, Suari immerito fuisse improperatum, verè in Caramuelem, Sanctium, Dianam, cadit, eorum de re morali disputationes, Scholasticam farraginem esse, nullis Theologicis fundamentis extructam, sed errabundæ rationis humanæ, excursibus compilatam. Cum enim vbique Theologi, quæ docent, accuratè soleant confirmare, testimoniis à Scripturâ, à Patribus, à Iuris vtriusque regulis, à Theologis antiquis; hæc oracula muta sunt apud illos. Et cum pudeat se damnari, silentio Scripturæ, Patrum, apud quos nec minimo quidem verbo, eorum insinuatur opinio, nisi forte vt apertis censuris profligetur; illorum testimonia ad se conantur aduocare; sed nihilo feliciori successu quam vidimus, duas Iuris regulas, vnam Canonici, quæ in dubiis præcipit tutiorem partem eligere, alteram Iuris Ciuilis, quæ statuit potius esse jus possidentis, contra Legislatorum mentem, ad suæ causæ patrocinium de-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [345] - 265
PUBLIC DOMAIN

tortis interpretationibus, ſupra demonſtratum eſt traxiſſe, & aliqua etiam hac ſectione addemus, quâ refellentur præter reſolutionem ſecundam (cuius examen huc diſtulimus) quæcunque ſuperſunt ex Epiſtolâ quarta à paginâ 99. ad finem vſque. Si quid habet virium Apologema Caramuelis, hac maximæ parte continetur ſed demonſtraturi ſumus, aduerſarium hic potiſſimùm Sophiſtam agere.

ARTICVLVS PRIMVS.

Nouitas vagæ probabilitatis, male excuſatur à Caramuele, reſponſione ad primam objectionem.

MIRA eſt ſolertia Caramuelis, cui ſunt nomina mille, mille artes fallendi incautos: nec dubium quin multos eſſet decepturus, niſi ipſemet ſuas fraudes aperiret, non diſſimiles, niſi fine & euentu, quo peiores puto, iis quarum ab illo laudatus hic Petrus de Alua mirum ſe artificem probauit, primâ & alterâ ſuorum nodorum editione, aliiſque libellis, in Diuum Thomam ſcriptis. Refert plurimum ad noſtram cauſam, vtriuſque mentem aperire, & breuem inire comparationem. Multis conueniunt, nec paucioribus differunt: gente vterque Hiſpanus natalibus diuerſi, Caramuel ex Hiſpaniâ ortus, in Belgio & Germaniâ atque Italiâ vixit; alter inde oriundus, in Indiis natus, aut certè ibi nomen Franciſcano Ordini dedit: modo totam Europam pererrat, à multis annis, more antiquorum, qui vt ait Hieronymus, toto orbe fugientes litteras proſecuti ſunt aſciti famâ philoſophorum, quos audire, & coram videre auebant. At Petrus de Alua totam Europam decurrit, bibliothecas omnes perluſtrandi cauſa, & inquirendi teſtimonia Scriptorum, quibus Conceptionem immaculatam confirmet, & aptet definitioni Pontificiæ ex Cathedrâ. Non diffiteor votum quo vrgetur fine melius, plus habere pietatis, quam conſilium Caramuelis. Vtinam inualeſceret in dies de Conceptione immaculatâ opinio, & vnâ ab Eccleſiâ abſcederent inductæ à 30. annis probabilitates, nullo fræno, nullâ metâ cohibitæ, & meo iudicio periculoſiſſimæ.

Sed quod ad rem noſtram facit, vterque author, ſuam cauſam malis omnino artibus, & apertâ fraude proſequuntur. Id vnum Alua pertinaciſſime conſtitutum, diu noctuque animo verſat, Diuum Thomam, eiuſque diſcipulos inteſtabiles facere, idque bono ſicut interpretor animo, nempe vt quam putat ab illis illatam Conceptioni, deleat maculam, & iniuriam vlciſcatur; nihil eſt adeo præpoſterum, ſiniſtrum, flagitioſum, quod eo fine non cenſeat honeſtari. Hinc animus omnia audendi, ideſt, negandi aperta quæque & certa, & nihil non falſum aſſerendi: cumque conſcius ſibi ſit, ſe iſtius generis res ſcribere, & raro fidem haberi mendaciis, quod vno genere fallaciarum diffidit ſe perſuaſurum, diuerſa & contraria congerit imprudens. Nec ſatis attendit euaneſcere, ſuoque authori omnem fidem abrogare, quæ ſibi male conueniant, & inter ſe diſſentiant, qualibet arte, tecta, & fucata teſtimonia.

Contendit multis argumentis, quæ adſcribuntur D. Thomæ operum plurima, ac fere omnia ſuppoſititia eſſe, & vix vllum extare partum eius genuinum: vitilitigat de ſingulis. Credo quamprimum Scripturum, D. Thomam totâ vitâ mutum fuiſſe bouem, nullum mugitum edidiſſe, qui circunferuntur eius nomine, libros aliorum eſſe Authorum. Et vbi nihil reliqui viſus eſt facere Diuo Thomæ ex duo de viginti tomis, Thomiſtas aggreditur eius diſcipulos, eodem quo magiſtrum impetu, & contendit, illius opera adulteraſſe & temeraſſe.

Sed plane *mentita eſt iniquitas ſibi*, male conuenit has duas controuerſias, & accuſationes, in magiſtrum & in diſcipulos, ab eodem authore ſuſceptas vrgeri: vel libri, quos ait corruptos à Dominicanis, ſunt opera genuina D. Thomæ, vel aliena & ſuppoſititia; ſi concedas, eſſe legitimos D. Thomæ partus, reſtitues illi maximam partem librorum, quos eripueras: ſi id te malè habeat, & pertinaciter neges, veras eſſe Angelici Doctoris lucubrationes, ergo per ſummam iniuriam criminaris, Thomiſtas ſui magiſtri ſcripta, & mentem corrupiſſe. Mirum eſt, adeo diuerſa, & contraria, animo meditatum Aluam edidiſſe, vt tam apertâ diſſentione, omnem à ſe fidem abrogarit. Sed vellet pœnas ſibi dare magiſtrum cum diſcipulis, illumque depellere à gloriâ tot ſcriptorum voluminum, iſtos

quasi plagiarios traducere. Fortè sic apud se reputabat: vix potero receptam à quatuor sæculis opinionem, de eruditione, libriſque D. Thomæ euellere; sed si doctiores à meis accusationibus abhorreant, imponam simplicioribus, quorum maior numerus est, quam emunctæ naris hominum; & si male ab omnibus excipiatur, hæc mea vtilitigatio, aliâ discipulos perspergam accusatione, criminabor Magistri scripta interpolasse passim, iis maxime locis, quibus de Conceptione fit mentio, ex tertiâ parte Summæ, ex commentariis in Paulum, quamuis hæc eadem opera, contendam alio loco falso fuisse Diuo Thomæ adscripta: quemcunque tandem exitum, sint habituræ eiusmodi accusationes, id vnum quod maxime obtendo consequar, nihil certi scripsisse D. Thomam de Conceptione: cur ita? quod libri, quibus hæc quæstio attingitur, sint falsa D. Thomæ opera, vel à discipulis falsata. Sed non aduertit Alua, se hâc congerie dissidentium accusationum, magis obrutum iri, quam aduersarios, ad quid opus multis & pugnantibus, cum vna accusatio, si vera sit, rem conficiat. Tot diuersa argumento sunt, suæ accusationi diffidere, aut potius se conscium falsi esse, & quamuis nubem testium inducat Soli obscurando, nihil tamen occultum quod non reueletur, & Patres nostri Belgæ, suis eruditis Apologiis, omnes eius technas aperuerunt.

Fusius ad hæc de Alua & intempestiue viderer digressus, nisi Caramuel eodem loco, cuius refutationi me accingo, Aluæ aduocasset patrocinium, & fraudem imitaretur. Satis sibi conscius est, nouum omnino inuentum, & periculi plenum esse, vagam illam à se inductam, & nullis metis coercitam probabilitatem, ad salutem securam: omnis enim cognitio, & inquisitio de diuinis, aut quibuscumque ad æquitatem & salutem spectantibus, probabilis est ex Caramuele, nisi desinat, vel in meram dubitationem, ex leuibus coniecturis, vel in notitiam immotam ex rei cuidentiâ comparatam. Sed cum neque adeo simus obtusæ mentis, quin graues & difficiles in vtramque controuersiæ partem, ad disputandum rationes, nobis occurrant; neque ita etiam perspicacis simus ingenii, vt rerum altissimarum, apertam assequamur cognitionem; inter probabilia nobis consistendum est, quandiu in hoc loco, & corpore caliginoso versamur; quandoquidem non sunt

defuturæ rationes grauiores, quam vt meram creent ſuſpicionem, & debiliores quam vt euidentiam pariant. Si ergo probabilitas quæcumque licita ſit, & *virtualis veritas* ex Caramuele cenſenda, ſi quandiu probabilitas manet, ideſt, nec in dubitationem, nec in euidentiam definit, eſt idem cum ſecuritate, & immunitate à malo; vnde damnationem timebo aut peccatum, quandoquidem vix vnquam me deficiet, probabilitas dubitatione maior, minor euidentia? id enim genus cognitionis, latius patet orbis ambitu, occeani amplexu; quæcunque diſputamus, vti ſe atollunt ſupra coniecturas, & leues ſuſpiciones, ita longe infra euidentiam iacent: Ergo quæcunque hac media cognitione attingemus, in vtramque partem probabilia, erunt tuta, & immunia à peccato: & vt iam dicemus, perinde ſecurum erit, fidem Chriſtianam repellere, vel amplecti, quia non poſſumus ad illam aſſurgere, ex euidenti iudicio, ſed ad ſummum probabiliter prudenti, neceſſariam nobis eſſe ad ſalutem; alias fides non eſſet, ſed ſcientia de fidei myſteriis.

Mira narrat Caramuel num. 162. de probabilitate, quam cum apertâ fere ſcripturæ deprauatione, ait, eſſe *ſignatum illud lumen vultus Dei ſuper nos, lumen clauſum, Eoum, Auroræ inter noctem & diem, inter manifeſtam falſitatem, & manifeſtam veritatem medium, quod veritatis*, inquit, *lumen, ſancto Ioanni Apocalypſi ſua videtur oſtenſum, ſub libri 7. ſigillis clauſi ſpecie; quod lumen ſeptimum ſigillum, aut demonſtratio naturalis, aut fides diuina in hâc vitâ, aut in alterâ viſio beatifica recludit.*

Iſta obſcuritatem Apocalypſis reſipiunt, & nihil eius authoritatis, nec ponderis, immo nec ſenſus habent. Vnum velim ab aduerſario reſcire, cur fidei diuinæ det vim parem, euidenti demonſtrationi, aut viſioni beatæ, ad excludendam probabilitatem? id gratis, nullo fundamento ſcribit, & aperte contra ſua principia, vt amoliatur inuidiam religionis & fidei profligatæ, quam contendo funditus euerti, niſi aliquâ metâ, cohibeat illam ſuam probabilitatem, ſecuram ad ſalutem. Quod ita hoc argumento demonſtro. Fides induci nequit in cor humanum, neque perſuaderi vllâ ratione ad ſalutem neceſſaria, niſi conſentias nobiſcum huic veritati, velut ad fidem preambulæ. Vbi primum conſtiterit mihi vel cuilibet myſteriis noſtris

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [349] - 269
PUBLIC DOMAIN

nondum initiato, cum de fide suscipiendâ deliberat, probabili cognitione infra euidentem demonstrationem, & prudenter iudicem Deum dignatum esse alloqui homines, & ea reuelare mysteria, & præcepta, quæ Euangelio continentur, ac proinde, me non solum tuto posse, sed etiam debere, subiicere meam mentem, assensu indubitato, iis omnibus quæ nomine Dei Scriptura, & Ecclesia credenda præcipiunt.

Velim mihi ad hæc duo responderi, an illud quod voco prudentiæ iudicium, de Dei allocutione ad homines, censeat Caramuel ad fidem amplectendam, non solum necessarium, ne temere credamus, sed etiam satis validum, & efficax, vt reus sit futurus damnationis ob repulsam fidei, quisquis recusauerit credere Deo, si prudenter, ideſt, cognitione infra euidentem, iudicet, hæc quæ proponuntur credenda, esse à Deo Authore. Si hoc vltimum abnuas, absoluis omnes hæreticos, & Ethnicos ab errore, fidem ad salutem necessariam negas, facultatem das cuilibet, vt libuerit, illam repellendi. Si nobis hac re assentias, ergo cadit tota tua Theologia fundamentalis, corruit vaga illa probabilitas quæcunque secura, cum huiusmodi prudentiæ iudicium, præuium ad fidem, quod agnoscis efficax, & necessarium, non excedat fines probabilitatis, & hoc solo vincat, quod sit tutior, & stet pro lege & salute, atque vltimo fine. Neque enim certius potest esse mysteriis fidei nondum initiato, an Deo sit auscultandum, & quæ eius nomine referuntur credenda, quam hæc duo principia, an Deus aliquis existat, qui res humanas curet, & an sit dignatus homines conuenire, eosque docere suæ diuinitatis arcana, suamque legem: horum vero pauci, & ex Caramuele nulli, euidentem habent demonstrationem, ergo vel nullus ad fidem Christianam adstringitur, vel infra probabiles cognitiones dantur tutæ, à quibus discedere nequeas, & aliis æque aut magis probabilibus assentiri, citra peccatum & damnationem. Iudicium vero illud prudentiæ, quod ad fidem manuductionem voco, esse infra demonstrationum euidentiam, præter quod iam argumentis euictum est, maxime isto (quod velim obseruari) fore paucorum, aut fere nullorum, fidem, cum raro etiam doctis illucescant huiusmodi demonstrationes, vt assentiunt omnes Theologi, qui D. Thomam secuti, illud

discrimen statuunt inter credenda, & nota per se, aut per demonstrationem, quod istis necessario adhæreamus, & ad assensum cogatur intellectus euidentiæ vi, liberam vero esse credendorum fidem, quibus cum absit euidentia, quæ necessario subiiciat intellectum, opus est pio affectu, mentem impellente ad assensum indubitatum.

Dices: si præuium illud ad fidem iudicium, sit intra probabilitatis fines, quâ ratione poterit mens assurgere in assensum illo, seu opinione firmiorem? ergo fidei certitudo nutat, si ab illo iudicio, quod prudenter probabile dixi, pendeat, nec aliunde repetatur. Ad illud argumentum, quo tota controuersia, & fidei summa continetur, duo Respondeo: primum quidem oppono exemplum, quo in hanc rem alias vsus sum, iudicium illud esse inductionem ad fidem, eâdem fere ratione, qua alteratio generationi præit, & accidentia præcurrunt formæ substantiali. Certè si male inferas, formam substantialem nihil habere firmius, aut nobilius accidentibus, quod opus illis habeat, vt materiam subactam ingrediatur, & cum illâ ineat copulam, magis etiam aberrabis, si cum fide paris certitudinis facias iudicium illud prudentiæ, quod non est illi loco fundamenti, sed quasi medii ad finem, aut apparatus, & manuductionis ad formam. Deinde, certitudo fidei repetenda est, à Deo Authore, qui lumen infundit, & dat vires efficacissimas ad credendum, & ab affectu pio voluntatis, qui mentem rebus credendis indubitato, & immoto assensu alligat quasi nodo indissolubili; & hæc est summæ prudentiæ lex, Deo auscultandum, vbi etiam probabiliter constiterit esse locutum, quia ex illo obsequio fidei, omnia bona speranda, nihil mali inde timendum, sed ex eiusdem fidei repulsâ damnationem secuturam.

Quid ad ista dicturus sit Caramuel, vix coniicere possum, nec quâ arte possit hoc argumentum effugere. Nam incertus, & inops consilii, sicut Petrus de Alua hanc obiectionem conatur eludere iisdem artibus, quibus monui Petrum de Alua accusationem in D. Thomam, eiusque discipulos vrgere. Negat imprimis nouam esse hanc probabilitatem vagam, ad salutem securam, imo sui Apologematis titulo, vult Cælo & Chao antiquiorem, coæuam mundo; & si obiicias nullum in scripturâ, aut patribus verbum extare, quo vel minimùm insinuetur, Respondet nihil mi-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [351] - 271
PUBLIC DOMAIN

rum esse, illam tacuisse omnes, quod scirent certissimam, nec minus ab omnibus receptam, quam axioma istud, *currentem necessario moueri.* Si hæc exceptio vim iustæ deffensionis habeat, quam poteris damnare hæresim? Cui vnquam defutura sunt huiusmodi effugia? Asseris, nullâ ratione probas, securitatem cuiuscunque probabilis opinionis, eiusdem esse cum orbe originis, & perennitatis. Censesne, notiorem & magis receptam obsequio filiorum in parentes, & cultu omnium in Deum, vitæ authorem, aliisque partibus legis naturalis, hominum cordibus inscriptæ, quas tamen Scriptura singulis paginis commendat? Probabilitatem vero quamcunque securam ad vitam recte instituendam, ad euitanda peccata, non minus ipsâ lege diuinâ & naturali, necessariam, nullo potest loco monstrare significatam, vel minimum tactam, & adumbratam. Sed articulo sequenti probabimus, non solùm silentio, sed etiam verbis, & exemplis Scripturæ, damnatum esse.

His responsionibus diffisus Caramuel, & conscius, non minus commentitiam esse illam probabilitatis securæ antiquitatem, quam Petri de Alua accusationem, de suppositis D. Thomæ libris, aut adulteratis, aliud tentat effugium: excurrit in nouitatis laudes, contendit noua quotidie cudi & aperiri: & cum opus fuisset, ad excusandam nouitatem de rebus fidei inductione longissima exemplorum, & nube testium, tria tantum exempla profert nupera, Antipodum quos Augustinus negauerat, & Conceptionis immaculatæ, quæ Diui Bernardi sæculo ignota aut improbata, nostro omnium plausu excipitur. Addit ex Diuo Anthonino, S. Thomam vti solem illuxisse scholis, & in eas inuexisse nouos articulos, nouas determinandi rationes: atque his omnibus putat se nouitati inuictum parasse præsidium, si à primo depellatur, de antiquitate securæ cuiuscunque probabilitatis. Verum hæc non tam sunt præsidia causæ, quam mera effugia, nec vllum, quæ affert exemplorum, pertinet ad nostram controuersiam.

Agimus de rebus à Deo reuelatis, vel illis necessario annexis, & fide diuinâ credendis, quid vero referunt Antipodes, qui sensu, non fide, experimentis, non reuelatione, innotescunt? Pertinerent ad nostram disputationem

bem, si Scriptura esset mappa mundi, & Geographiam doceret. Esto demus ignoratos, aut irrisos ab Augustino, propter ea ne minus verum est, quod scripsit Volusianus, quæ nesciret Augustinus legi deesse? Falsus fuisset Volusianus, si Antipodes essent pars legis & Euangelii. Nec magis ad rem facit aliud exemplum, piæ opinionis de immaculata Conceptione. Disputamus, an noua cudi possint, quæ ad substantiam rerum fidei, & partes vitæ Christianæ, sint necessaria, quæ regulas morum, & fidei, constituunt, vel sint illis necessariâ consecutione connexa, & an illa fuerint antiquis patribus & Theologis ignorata, vel improbata, & à nuperis inuenta? Hoc nedum negamus, sed auersamur, quasi temerarium & periculosum, & eo ordine reponimus istam nuperam securitatem cuiusuis probabilitatis. Opinionem vero de Conceptione immaculatâ, ipsemet Caramuel semouet à fidei articulis, cum reponat inter probabilia, è quibus noua quotidie emergere, non plus mali est, quam locis Scripturæ, illæso sensu ad litteram inter. Patres recepto, interpretationibus mysticis & moralibus, quæ nihil fidem & mores lædant, indulgere. Anne huiusmodi nouitatibus innoxiis annumerabis opiniones libris Dianæ, supra tria millia collectas, quæ pro libertate stant contra legem, & vnico respectu probabilitatis, censentur dare omnem à peccato immunitatem? Certe non eodem loco reponenda sunt hæc noua, cum opinione de Conceptione immaculatâ.

Nec magis opportunum est tertium exemplum D. Thomæ ad commendãdam, aut purgandã nouitatem, ab omni errore & peccato. Non aduertit quod dissertatione primæ sectionis vltimæ art. 1. ex Vincentio Lirinensi obseruauimus, longe aliud esse, noua, & nouè dicere; at D. Thomas à primo abhorruit, alterum, cum immortali gloriâ totius Ecclesiæ, vsurpauit; non adinuenit noua dogmata, sed noua argumenta, abstinuit à nouis definitionibus; sed antiquas nouis rationibus illustrauit, non scripsit nouos articulos fide credendos, sed qui fidem facerent articulis ab Ecclesiâ receptis; Diuus Thomas vt alio loco fusè à nobis tractatum est, *communis Doctoris* nomen sortitus est, quod receptæ ab omnibus traditioni Patrum adhæserit, & nouis argumentis vndequaque comportatis confirmauerit. Qua re singularis & nouus est D. Thomas? In confir-

manda & illustrandâ fidei doctrinâ, aduersus hæreticos & Ethnicos; in demonstrandâ existentiâ vnius numinis, & omnium ab ipso rerum emanatione per creationem; in asserendâ creatione vt eximiâ soli Deo; in probanda immensitate, seu præsentiâ generali Dei in omnibus creatis, & singulari Personarum, per missiones, à tribus Dei creaturas perficiendi modis, conseruatione omnium, vnione suppositi, & illapsu per gratiam, vt vltimi finis, & obiecti beatifici. Quas nouitates inuexit? Antiqua dogmata ab Augustino defensa, Prædestinationem hominum gratuitam, gratiam per se efficacem, saluâ libertate ad bene agendum necessariam, ipsiusmet gratiæ sanctificantis essentiam, vt consortium diuinæ naturæ, quâ est plenitudo essendi, visionis beatæ, omniumque donorum gratiæ celsitudinem, supra cuiuscunque naturæ, seu substantiæ creatæ, aut possibilis, vim innatam. Nouo genere argumentorum, quæ antiqui ignorabant, quæ hodie doctiores mirantur, æmuli carpunt, nec alia paris roboris habent, confirmauit, eaque supellectile infinitâ Ecclesiam locupletauit: quid in Trinitatem noui inuexit? rationes, quibus generationem verbi distinguas à processione Spiritus S. & huius tertiæ personæ à Patre, Filioque emanationem, alias futuram eandem cum secundâ persona, nisi origine & relatione distingueretur. Quid noui attulit D. Thomas? profundius eruit mentem sanctorum Patrum, scripturæ sensus rimatus est, consectaria plura nouantiqua, necessariâ consecutione ex fidei articulis deduxit, Philosophis antiquis quasi iniustis possessoribus, vt Hebræi Ægyptiis opes abstulit, quibus Ecclesiam ditauit, Aristotelem Christianum fecit, noua expediuit arma in priscos hæreticos, & præsagâ mente, contra futuras hæreses antidota parauit, vt merito libros eius dixeris armamentarium fidei, cornucopiam, aut salutis cornu, copiosissimam omnium armorum, remediorum officinam. Censesne nouitates hodiernas, comparandas iis, quas Diuus Thomas induxit, quibus fidem, religionem, Ecclesiam muniuit, ornauit, legem tutatus est, eius iura illæsa seruauit? Quid vero boni habent nouitates, quarum se propugnatorem profitetur Caramuel, ad quas nouum lumen infundendum, & parem cum D. Thomâ gloriam suis promittit authoribus? è ter millibus opinionibus à Diana relatis, nulla est pro libertate stans

vel minimâ aduersus legem probabilitate, quin in eius gratiam pronunciet, & statuat legi anteponendam.

Sed temperandum mihi est huic disputationi, nec diuidendi sunt, ad huius articuli finem, quos exordio coniunximus. Petrum Alua & Caramuelem compello, licet consilio diuersi sint, & vnus actoris, alter deffensoris partes impleant, tamen seu accusando, seu excusando in idem impingunt: non sunt conuenientia illorum argumenta. Vult Alua D. Thomæ libros esse supposititios, vult etiam esse adulteratos. Repugnantia asserit, vtrumque falsum esse potest, alterum ad minus necessario falsum est, adulterari nequeunt & falsari, nisi genuina & vera: si falsarunt discipuli, præceptoris libros, ergo erant legitimi partus, si vis spurios fuisse, ergo non adulterarunt: sed cum falsam conuincat hoc argumentum alteram accusationis partem, verius est vtramque esse meram calumniam. Nec meliori fide se deffendit Caramuel, quam nos accusat Alua: si antiqua sit probabilitatum securitas & innocentia, ad quid tot nouitatum laudes? si noua sit, cur fingis coæuam mundo, & cum illo semper duraturam, cuiusque genealogiam instituis, minus ferendam aut probandam, iis, quas damnat Apostolus ad Timotheum Epistola quasi interminatas & infinitas, quæ potius quæstiones præbeant, quam ædificationem Dei, quæ est in fide per fidem?

Articvlvs Secvndvs.

Primum ex Scripturâ testimonium, contra securitatem cuiuscunque probabilitatis.

HOc Articulo expendenda sunt, quæ ex testimonio verbi diuini colligi possunt argumenta, quibus huiusmodi securitas probabilitatis impugnari potest, & respondendum iis, quæ ex eodem loco, prauis intepretationibus trahit Caramuel ex Scripturâ & Traditione, à numero 167. vsque ad num. 213.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [355] - 275
PUBLIC DOMAIN

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Securitas vagæ probabilitatis repugnat Scriptura verbis, & exemplis.

PLVRA afferunt Mercorus, VVendrochius loca Scripturæ, Merenda ſupra centum expendit: ſed miror hos omnes omiſiſſe efficaciſſimum omnium, quo puto rem confici, & iam ſupra inſinuatum, ex primo capite Epiſtolæ ad Romanos, quod argumentum paucis hîc, ſub hac forma perſtringo. Cum Paulus Philoſophos iniuſtitiæ & impietatis, & veritatis iniuſtè detentæ, reos, & inexcuſabiles pronunciat, quod cum Dei ex creaturis, noſſe poſſent prouidentiam, ſapientiam & rerum ab illo per creationem emanationem, ipſum inhonorarint ſuis erroribus & vitiis; vel damnat eos tantum qui harum rerum conſecuti fuerant euidentem per demonſtrationem notitiam, aut cum in promptu eſſet, hanc euidentiam comparare, neglexerunt huic ſtudio incumbere, vel eadem ſententia fertur, in eos, qui ad minus cognitionem Exiſtentiæ Dei, & Prouidentiæ, probabilem adepti ſunt, vel eo poterant aſſurgere: ſi hoc vltimum aſſeras, falſum erit & Hæreticum, quamcumquè probabilitatem ſecuram eſſe, & immunem ab omni periculo peccati & damnationis; quandoquidem inexcuſabiles pronuntiantur ij, quibus non deerat huiuſmodi excuſatio. Hoc enim ipſo, quod probabiliter tantum agnoſcerent vnum numen exiſtere, prouidum, ſapiens, omnium rerum cauſam, hoc ipſo, ex regulis à Caramuele conſtitutis, probabile erat nullum dari huiuſmodi numen; & qui huic opinioni adhærebant, tuti erant ab irâ Dei, & à damnatione Pauli: ſi horreat animus tantam admittere impietatem, & ad alteram partem confugias, damnari eos tantum, qui ad euidentem ſcientiam prouidentiæ, omnipotentiæ Dei ex creaturis aſſurexerant, paucos feriet hæc cenſura Pauli, immo nullos ex Caramuele, quandoquidem videtur nominalibus aſſentiri, qui negant vllâ demonſtratione probari exiſtentiam, & attributa Dei: vel ſi qui antiquorum eò peruenerint, fuerunt omnium infeliciſſimi, quod in eos ſolos, vt credibile eſt, ex totâ

antiquitate optimos, cadat ira Dei, & damnatio Pauli, à quâ tutatus es Epicurum, Democritum, alioſque numinis exiſtentiæ, aut prouidentiæ, infenſos, qui omnia caſu agi, & atomis componi aſſerebant: vana ergo & caſſa fuit, in illorum caput ſententia Dei, & Apoſtoli, cum inſuperabili probabilitatis caſſide, & præſidio tegerentur.

Hoc vno Scripturæ loco poteram eſſe contentus, indicabo tamen quædam alia ex P. Mercoro, quibus probat repugnare primum verbis, deinde exemplis ex Scripturâ, hanc probabilitatis vagæ ſecuritatem. Quis enim dicat, eum qui ſic cõparatus eſt, vt nolit abſtinere ab illo actu, quẽ probabilius iudicat illicitum, quam honeſtum, implere præceptum charitatis, quo jubemur *ex toto corde* Deum diligere, & ei obedire; vel illud Eccleſiaſtici 37. *Ante eius opera verbum verax præcedere, & ante omnem actum conſilium ſtabile*, quod minus verum, quam falſum, merito ſuſpicari poteſt? Quis dicat, hanc probabilium licentiam, conuenire, cum illa Pauli regulâ ad Theſſal. 5. *Omnia probate, quod bonum eſt, tenete, ab omni ſpecie mali abſtinete vos:* at certum eſt ad minus ſpeciem mali habere, quod probabilius falſum aut turpe, quam honeſtum videatur.

Nec minus Scripturæ exemplis, quam verbis, repugnat hæc probabilium licentia: quæ ſi poſſet à peccato excuſare, primi parentes, Saül, Roboam, plureſque alij in tuto eſſent contrà ſententiam diuinæ iuſtitiæ; quia re verâ non defuerunt his omnibus probabilitates multo veriſimiliores illis quibus moderni, homines lactant ſpe ſecuritatis. Nonne poterat contra judicium diuinum, prætexere Adam, legem ſibi impoſitam fuiſſe pœnalem; quæ iuxta ſententiam probabilem, vel ad nullam culpam niſi ciuilem, vel ad ſummum ad venialem obligat? Quod poterat ex alia capite ſibi perſuadere, nempe ex leuitate materiæ, cui ſecundum nonnullos Doctores, non poteſt addi præceptum graue ſub mortali. Nec dicas peccaſſe mortaliter, quod mortem contempſerit: quia, vt inquit Auguſt. Eua exiſtimauit probabilius, mortem non eſſe ſecuturam; maximè cùm præceptum fuerit impoſitum, antequam Eua crearetur, ac proinde probabiliter opinari poterant, legem illam pœnalem, ad ſe non pertinere: quia cum à lege communi recedat, debet reſtringi ad eos qui nominantur; non vero ad poſteros extendi: ergo non deerant illis probabili-

tates, quarum tamen nec Deus rationem habet, nec ipsi crediderunt sibi posse prodesse; ergo iudicium diuinum diuersissimum est à nuperis iudiciis Theologorum. Non defuerunt Saüli similes probabilitatum excusationes; quas refert Mercorus art. 19. illas tamen Deus non admisit.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Responsio ad argumenta Caramuelis pro suâ sententiâ, ex Euæ & Adami lapsu.

MIRA est Caramuelis dialectica: quæ in illum Mercorus intorsit argumenta, ex protoparentum peccato, arripit ad suæ causæ patrocinium: & inde putat, se conficere inuictum suis probabilitatibus præsidium. Sed non leue est præiudicium falsi, quod vltro agnoscat, quæ ex diuersis Authoribus, de Euæ & Adami lapsu colligit, nihil suæ causæ profutura, nisi ponat quasi certa, duo aut tria principia, apud antiquos Patres & melioris notæ Theologos, non solum dubia & incerta, sed penè falsi comperta; vnde facile coniicere est, quas sit inde productus argumentationes aduersus nostram sententiam.

Primum pro confesso vult haberi, nihil repugnasse iustitiæ originali culpam venialem, immo re ipsâ in earum plures, lapsum vtrumque parentum, refert ab Augustino assertum libro 3. de Libero Arbitrio cap. 5. & 1. & Enchiridij cap. 105. quæ loca iubet consulere. Sed ad quid? nempe vt Lector intelligat, verius esse quam conueniret, quod Apologematis pag. 2. dicit, *Se scripsisse in itinere, extra penates, nullis auxiliis, cum nec sua ad manum haberet aduersaria quibus aduersariis responderet*: quod facile crediderim, & si alia deessent argumenta, quibus fidem dictorum faciat, plane absoluit opinione Augustino ascriptâ, de peccato veniali admisso à protoparentibus, stante innocentiâ, ex locis duobus ex Augustino citatis, quibus ne verbum quidem extat de propositâ quæstione; vnde agnoscas illum aut negligentius, aut nimiâ fiduciâ hanc disputationem suscepisse, cum nihil curet incerta & falsa referre, & ad illorum examen lectorem prouocare, vnde videat sibi defuisse diligentiam, aut bonam fidem. Quid de tota argumenta-

tione speres, cuius exordio adeo grauiter lapsus sit?

Esto Scotus & nonnulli ex eius discipulis antiquis, & recens Macedo olim alterius Scholæ, nunc Scoti vindex in gratiam sui Magistri, ex Augustino contendat, ante lapsum in læthale peccatum superbiæ, multa leuia peccasse Euam: sed contra stant ex Antiquis Theologis grauiores, Alensis, Bonauentura, Durandus, alijque recentiores, Curiel, Bellarminus lib. 3. de amissione gratiæ, & Suares 4. de Opere sex Dierum. Hi omnes duce Diuo Thoma in Augustino versatissimi, ex illo, aliisque argumentis probant nullum stante innocentiâ peccatum veniale obrepsisse Adamo & Euæ, quod apertè pugnaret cum felicitate illi statui ab Augustino assertâ passim, maxime lib. 14. de Ciuitat. cap. 10. Hoc solum volo monitum Lectorem, Caramuelem non putare se obnoxium legibus, quas nobis præscribit, nempe contra se agendum, non probabilibus, sed necessariis, cum ipse assumat principia, quæ nihil habeant probabilitatis: quale est illud de peccatis venialibus primorum parentum. Nam cum sint duo genera huiusmodi peccatorum, vnum ex subreptione appetitus aut voluntatis, aliud ex leuitate materiæ cum plenâ deliberatione; venialia prioris speciei omnes fatentur repugnare iustitiæ originali, quæ ita hominem muniebat, vt nolenti nullus posset inordinatus motus ita obrepere, quin liberum illi esset legem æternam consulere. Quare natura instituti à Deo hominis, longè aberat, ab iis motibus quos experimur, subitis, ex corruptelâ appetitus sensitiui natis, qui inde ad voluntatem vsque perueniunt: ab illis verò, sicut ab appetitu corrupto, immunes sunt animæ separatæ Angeli, & Protoparentes. Aliud vero peccatorum genus, venialium ex leuitate materiæ, cum plena deliberatione, excusum volunt Theologi, beneficio Dei singulari, ne contra legem constitutam, illius tranquillitatem læderet pœna sensus, ex culpa, multo grauior ægritudinibus corporis, quas ab illo statu censent omnes exulare. Si dicas nos gratis fingere, exemptum illum statum, à venialibus, qui obnoxius esset culpis læthalibus. Immo cum longe abesset à consummatâ beatitudine, nec repugnaret destrui, sicut euentu probatum est, conuenientius erat, vt in totum peccato mortali tolleretur, quam vt venialibus turbaretur; cum ad illius incolumitatem magis pertineret im-

munitas à leuibus peccatis, quam à grauibus corporis ægritudinibus.

Quæcunque igitur profert Caramuel argumenta, ex Euæ & Adami venialibus peccatis ante amissam iustitiam, non aliud habent virium, quam quod elici potest, ex principio minimæ aut nullius probabilitatis. Sed alia adjungit duo, ad conficiendam argumentationem, magis ab omni specie veri & à Scripturæ, ac Patrum documentis aliena, nempe peccato superbiæ, quo Originalis iustitia periit, præiuisse plura, quæ Euam ex Ruperto Serpentis tentationi, opportunam fecerunt, nempe oculorum, totius corporis, & animi inordinatos motus, dum incontinenter Paradisum obambulabat, & forte prospectabat, qualis extra paradisum mundus haberetur. Sed non poterat ignorare Caramuel, Suarem libro citato cap. 2. scripsisse sententiam Ruperti omni carere fundamento, & supponere aliqua, quæ falsi ex Scriptura conuincantur, qualia sunt animantium intra paradisi fines nulla recepta, cum ad Adamum Scripturæ testimonio, sint deducta, illis nomen imponendi causâ. Deinde omni specie veri caret, quod dicit idem author, Serpentem extra Paradisum positum Euam tentasse; cum certum sit tentatam, non longè à conspectu arboris, in meditullio Paradisi positæ, per multa milliaria procul à finibus Paradisi. Nec verisimile est, ea spatia cursu Euam velocissimo fuisse emensam, vel tanta intercapedine colloquia cum serpente miscuisse. Quos vero corporis & animi, inordinatos motus affingit Euæ Rupertus, nullâ probatione, vix, inquit, Suares præsumi possunt, sine iudicio temerario. Sed multo apertius cum Scripturâ pugnat quod peccato superbiæ, aliud prius ab Euâ admissum velit, cum Ecclesiastici 10. & Tobiæ 4. expressis verbis initium omnis peccati, & omnis perditionis in superbiam referatur; quod multis argumentis confirmat Bellarminus libro citato cap. 4. & Suares eodem libro. Nisi vim inferret Scripturæ Caramuel, non potuit sibi viam aperire, ad probabilitatum genealogiam. Sed quid tandem ex ijs tribus principiis, verbo Dei non admodum consentaneis, elicit ad suam causam? Hoc argumentum, nihilo suis fundamentis firmius. Eua, inquit, ante lapsum ex probabili opinione præceptum abstinendi à fructu arboris, ex cuius esu intentebatur mors, interpre-

tata est contra mentem Legislatoris, ipsum non assertiue, sed comminatorie locutum, & ad illam interpretationem inducta est argumento probabili, à distinctione duplicis pœnæ, certæ ad puniendum, & comminatoriæ ad terrorem, quę hoc maxime differunt, quod cum certa pœna, sit iuxta peccati modum metienda, si contingat leui culpæ (qualis erat vnius pomi esus) grauem pœnam ab ęquo iudice impositam (qualis est mors & mulcta capitis) comminatoriam esse oportere, ad terrorem, non certam ad vltionem, quæ ad minus capitis non debet statui, nisi causâ peccati, quod damnum inferat irreparabile, vel habeat horribilem deformitatem. Atqui inquiebat Eua ex Caramuele (qui illi hoc suggerit argumentum) esus vnius pomi contra præceptum diuinum, esto, sit grauis inobedientia, nihil tamen habet damni irreparabilis, vel pudendæ turpitudinis, ergo quæ in illum intentatur à Deo æquissimo iudice sententia, aut pœna mortis, comminatoria est, non certa. Quid præterea inde infert? Actum, quo verba illa exposuit Eua, non fuisse hæreticum, ac proinde in materiâ fidei (ad quam pertinere putat hanc interpretationem) securam esse quamcunque opinionem probabilem.

Probabilitas, aut securitas probabilitatis est Caramueli, quod ex Basilio aurum auaris, id est, *Vigilanti desiderium, insomnium dormienti.* Semper eius animo & oculis obuersatur. Ethicam & Logicam nescire ait, si quis neget, fortem esse discursum, ex illo relatum, à pœnâ certâ & comminatoriâ. Ego sane fidem & religionem me ejuraturum crederem, si assentirer huic Ethicæ & Logicæ. Putatne Caramuel irreparabile damnum cum horribili deformitate conjunctum, habuisse culpam vxoris Loth, cum oculos retorsit in ciuitatem, vnde pedem efferebat, igne conflagrantem? vel Dauidis, cum ex vanâ gloriâ populum recenseri jussit, vel Ozæ non dissimilem titillationem, cum arcam è curru præcipitem sustinuit, ratus casuram, nisi præsto fuisset? Hæc tamen leuia peccata, quæ nec pudendam deformitatem, nec irreparabilia mala habent, non vnius morte, sed plurium etiam strage & grauioribus morte pœnis, vltus est Iudex æquissimus: Ergo nedum incerta, sed etiam periculosa sunt hæc probabilitatum principia. Deinde, si nimia illi sit pœna mortis, iudicio Dei consti-

tuta, ad vindictam peccati, quod nec causa sit damni irreparabilis, neque horribilem habeat deformitatem, quâ ratione, à crudelitate vindicabit pœnas posthumas, quibus quodlibet peccatum mortale puniendum est, per totam æternitatem? Omnia hæc à Caramuele relata, mihi videntur non admodum aliena esse ab hæresi Origenistarum.

Deinde ex Suare eodem loci, nullius peccati potest censeri Eua rea, antequam responderet serpenti, neque ex eius responsi verbis; nam vt ex sancto Thoma refert, primus tentationis impetus, & sensus, fuit ab illis serpenti verbis, quibus primum Euæ responsum excepit, *nequaquam moriemini, sed eritis sicut Dii*, à quibus venenum hausit, & Dei similitudinem affectauit. Hæc enim est, perpetua Scripturæ, & Augustini mens, initium peccati Euam habuisse à superbiâ, seu ab immodico affectu diuinæ excellentiæ; quò tamen non sponte progressa est, sed serpentis verbo accensa. At dæmon nullum illi ad superbiam stimulum subiecit, ante promissam Dei similitudinum, ex esu fructus prohibiti: atque ita exigebat solertia dæmonis, & consilium mulierem decipiendi: vt quibus eam primum compellauit verbis, præcepti quidem odium, & tædium clam iniiceret, & impelleret ad examen, æquumne esset an iniquum; non tamen aperte suaderet, ex superbiâ esse violandum, nisi postremis responsi verbis, quibus veluti scorpius eam momordit, infuditque venenum, falsâ interpretatione præcepti, quâ tuto, negligi, imo infringi, cum magno emolumento adnisus est probare. Ex Euæ vero, ad primam quæstionem serpentis, responsione, nullius culpæ, inquit Suares, potest argui & si quando D. Chrysostomus, aliique patres illam audaciæ, negligentiæ, &c. accusent, Tropologicè loquuti sunt, & magis accommodatè ad mores auditorum componendos, quam ad verborum scripturæ tenorem. Purgat vero illam accurate Suares, ab omni specie peccati & mendacii: nec illam magis dubitationis, de pœnâ mortis indictâ, gustantibus ex arbore vetita, conuincere potest Caramuel, ex particulâ *forte moriamur* adiectâ, quam ipsam scriptutam mendacii, cum rebus certissimis, admiscet illud verbum forte, contingentis effectus, aut periculi impendentis, significandi causâ. Ita respondet Suares, & addit, potuisse Euam merito dubitare de sensu

verborum, quibus lex erat concepta, nec satis aperte designabant, an ex esu fructus, corporis, an animæ mors secutura esset. Et qualiscunque tandem pœna foret, an statim infligenda, an in aliud tempus differenda, & an illa mors corporis esset obuentura, vi aliquâ pestiferâ fructus, an ex iudicis sententiâ. Quare cum inquireret serpens causas præcepti, vnam indicauit, nempe periculum mortis, quod ex illo cibo imminebat. Sed cum incerta esset, nec Deus suam mentem ad hoc aperuisset, an hæc sola esset ratio præcepti, addidit particulam fortè, non quasi dubia, de veritate, & æquitate legis, sed de sensu verborum & ratione præcepti, quam se ignorare, hoc verbo præ se ferebat: neque huiusmodi ignorantia illum statum dedecebat, neque vllam hæresim etiam materialem, vt loquitur Caramuel, resipiebat dubitatio Euæ, aut opinio in quamcunque partem se verteret, vt inde concludat, quod vbique obtrudit, & nunquam probat, quamlibet opinionem in materiâ morum, & fidei, tutam esse. Neque enim ad fidem pertinebat hæc quæstio, vt mox dicam, quia nihil eorum verbo Dei, Euæ reuelatum erat.

Non potuit probabilitatum Genealogiæ, quam instituit aduersarius, vllum vestigium reperire, nisi quatuor, contra Scripturæ, & Patrum fidem, tanquam comperta poneret, nempe Euam prius venialium multorum, quam vnius læthalis peccati, & antè aliorum vitiorum, quam superbiæ ream, motusque inordinatos passam partis sensitiuæ, & superioris saluâ adhuc innocentiâ, & iustitiâ originali, & tum illi in mentem venisse, quæ non longe absunt ab apertâ impietate in Deum. Sed esto dubitauerit, de sensu præcepti, & probabiliter opinata sit diuersum aliquid, à mente legislatoris (quo tandem post tot ambages deducta est disputatio Caramuelis.) Quid vero inde infert? Originem, inquit, vsus probabilitatis tutæ, in materia fidei, mundo coæuam: qua vero arte, id potest conficere? Isto syllogismo, quod assertiue pronunciauit Deus, comminatorie interpretata est Eua, quid inde? ista, inquis, pertinent ad materiam fidei, in iis tamen, citra hæresim, Eua opinionem habuit, à mente Dei alienam, ergo in materiâ fidei, tuta & secura est, quælibet opinio probabilis: mira prorsus dialectica & argumentatio, quæ plura habet errata quam verba. Toto hoc apologemate singulis paginis hanc con-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [363] - 283
PUBLIC DOMAIN

cluſionem obtrudit, ſub quâ latet maxima æquiuocatio, *ad ſecuritatem ſalutis, &c.* Nolo opponere vni Caramueli, innumeros ex antiquis Patribus, qui ex illâ dubitatione, de ſenſu præcepti, lapſam docent Euam, in peccatum infidelitatis poſteriorem ſuperbiâ, ego aliam reſponſionem inibo, quæ diſſoluat plura ex ſuperioribus omiſſa, aut aliter ſoluta.

Materiam fidei non aliam intelligo, quàm quæ à Deo reuelata ſit, & cuius reuelatio nobis ſit comperta. Si res ſub reuelatione diuinâ cadat, quæ tamen me lateat, voco materiam remotam, à quâ diſſenſum permittam Caramueli appellare hæreſim materialem; formaliſſima erit, ſi diſſentiam à re quæ ſubeſt reuelationi diuinæ mihi notæ: nulla vero prorſus futura eſt, ſi omnis abſit reuelatio diuina. His ita conſtitutis, quæ nemo niſi Theologiæ & fidei elementorum rudis negare poteſt, illud velim à Caramuele audire, an hæc materia quam vocat fidei, cadat ſub reuelatione diuina, eaque nobis nota? Si ita ſit, nedum falſum, ſed etiam manifeſtè hæreticum eſt, quod paſſim ſcribit, in materiâ fidei (nempe reuelata, certâ & notâ reuelatione) licitum eſſe ſequi opinionem probabilem. Si res non ſit reuelata, cur materiam fidei vocat? cum ad fidem non ſpectet, niſi ratione reuelationis, quæ nulla hic adeſt. Si velis non deeſſe, ſed me latere, iterum quæro, an ignorem citra vllam culpam, & tum perinde res ad me comparatur, ac ſi omnis abeſſet reuelatio, ſi autem meo vitio ignorem, tum pro negligentiæ modo, hæreſis aut culpæ reus ero, à quâ me nulla probabilitas purgabit. Nunc ad rem ſubiectam accedamus, cum vis Euam citra errorem ex vſu probabilitatum legitimo, interpretatam eſſe præceptum diuinum de pœnâ mortis comminatoriâ, ſiue certò aſſertâ & infligendâ, vel vis Deum mentem ſuam aperuiſſe, & diſtincte ſenſum aſſertiuum reuelaſſe, aut verbis communibus ad vtrumque ſenſum fuiſſe vſum? ſi primum obtendas, faues omnibus hæreticis, & hæreſim manifeſtam, id eſt diſſenſum à re reuelatâ reuelatione Dei notâ, opinionem tutam vocas: ſi alterum eligas, immerito vocas materiam fidei, quæ vel nulli ſubiecta eſt reuelationi, vel ſi quæ facta ſit, me citra vllam culpam latet. Hactenus igitur Andabatarum more pugnaſti, nullâ diſtinctione conſtitutâ huius triplicis ordinis rerum, quæ ſub reuelatione

Dei notâ, quæ ſub nullâ, vel quæ medio modo ſub reuelatione aliqua diuina cadunt, ſed mihi prorſus, nullo meo vitio ignotâ, vel quæ tandem quarto gradu, licet non ſint reuelata, reuelatis tamen ſunt neceſſario connexa: & hæc non ad fidem, ſed ad Theologiam demonſtratiuam pertinent; quæ vero probabili tantùm conſecutione, reuelatis connectuntur, opinionem efficiunt humanam, aut ſi velis Theologicam, & hanc tibi permittimus tutam, niſi adiunctum habeat periculum legem diuinam violandi. Velim me doceat Caramuel, quâ ex iis quatuor, vel quinque claſſibus, reponat interpretationem, quam ſecuta eſt Eua. Non ad primam, alias, cum non ſit aſſecuta mentem legiſlatoris, non opinioni probabili, ſed manifeſtæ hæreſi adhæſiſſet: non ſecundo loco, quia nulla ratione ad fidei materiã pertineret hæc interpretatio. Nec tertio, quia hoc perinde eſſet ac de ſecundâ claſſe: ergo quarto aut quinto loco de neceſſario, aut probabiliter reuelationi connexis. Et hoc vltimum eſt verius, ſed inde elucet vis inſuperabilis argumenti ex P. Mercoro. Non defuit Euæ & Adamo probabilis opinio, præceptum Dei eſſe pœnale, comminatorium, ac proinde de leui materiâ, non niſi ad leuem & venialem culpam obligare: ſi ergo obtineat regula Caramuelis, abſoluit protoparentes à culpâ lethali, & ab excidio poſterorum. Vides quo tandem deuenerit anxia & ſubtilis inquiſitio Caramuelis, de origine ſecuræ probabilitatis, quam eodem loci extinximus, vnde credebat certo repetendam, nempe ab Euæ lapſu: nunc de Adamo dicendum.

Paragraphvs Tertivs.

Reſpondetur argumento pro ſecuritate probabilitatis ab Adami culpâ.

Plvra & grauiora peccat Caramuel, argumentatione à culpâ Adami quam Euæ. Imprimis in eadem vtrobique impingit, & præpoſtero ordine dat primas, quibus Scriptura & Patres cõcedunt poſteriores: nullo fundamento, nullâ ratione colluuiem venialium vult inundaſſe ante vllum mortale, & Adamum totum facit vxorium, priuſ-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [365] - 285
PUBLIC DOMAIN

quam vel minimus ſuperbiæ ventus illum afflauerit. Parum abeſt, quin innocentiæ ſtatum, ad naturæ corruptæ impotentiam, & infirmitatem deiiciat, culpæ cenſet Adamo imputandum, niſi cauerit quidquid nobis morbo geniali confectis, futurum eſt noxium & in ſcandalum, & in proximam vt dici ſolet occaſionem peccandi, quaſi Adamo iuſtitia originali munito, non eſſent hæ occaſiones minus pernicioſæ aut fugiendæ. Sed viro doctiſſimo, nec minus in Auguſtino, aliiſque Patribus, quam in Diana, aliiſque recentioribus verſato, ad minus diſtinguendi erant ſtatus naturæ peccato corruptæ, integræ ex iuſtitia originali, & gloria conſummatæ: neque enim is ſub quo grauamur & ingemiſcimus, miſeriæ ſtatus, minus diſtat ab innocentiâ, & integritate Protoparuntam, quam hæc, à conſummatâ beatitudine.

Huiuſmodi ſtatuum diſcrimina, nec verius aut apertius conſtitui poſſunt, quam variis ad bonum, malumque procliuitatis, ſeu potentiæ gradibus. Primi parentes, ſicut corpore, erant à Deo inſtituti, vt poſſent non mori, ſic etiam animo erant comparati, vt poſſent non peccare; atque ita medii inter beatorum & noſtram ſortem. Beati ex felicitate conſummatâ, nec mori poſſunt vnquam, nec peccare: nobis vero quandiu in hoc corpore ægro & ſordido volutamur, collectiuè ab omni peccato abſtinere impoſſibile, perinde ac mori neceſſarium eſt. *Nemo enim niſi peccando ad innocentiam peruenit*, inquit Seneca. Et quaſi iſta fidei & Theologię elementa ignoraret Caramuel, ex noſtrâ infirmitate metitur Protoparentes noſtros, præfigit metas & Regulas, illiſque ad peccatum imputat ſtante innocentiâ, partis ſenſitiuæ quoſcunque motus: quaſi perinde illis noxii ſint proximè eâque neceſſitate, quâ Theologi omnes, homini gratia deſtituto, aſſerunt aliquando veniaaliter & mortaliter peccandum.

Hoc igitur diſcrimine conſtituto inter hominem ſtantem & lapſum, improbabilis omnino eſt quam inſtituit Caramuel comparatio, & quam inde eruit regula, vt quæ ſit probabiliter proxima peccandi occaſio, quaſi vtrique ſtatui communis, deffiniat. Sed præter iſtud erratum, in aliud impingit. Non animaduertit, nimium Adami in Euam affectum, ex Auguſtino prodiiſſe ab infecto per ſuperbiam animo, & qui præceſſerat amor, fuiſſe puriſſi-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [366] - 286
PUBLIC DOMAIN

mum, quare merus est parologismus, quem fuse prosequitur discursus, quo metiri vult quantitatem periculi impendentis ex tentatione, & rerum occursu. In eodem enim semper luto hæret, commune putat primo homini nobiscum periculum, quasi eâdem omnes detineremur infirmitate, & quasi ignoraret hominem stantem potuisse nec peccare, nec mori, & nos neutrum posse. Ergo ludit potius quam serio agat, cum tota illa dissertatione primum hominem nobiscum confert: futiles sunt illæ consecutiones à nostris experimentis, ad arguendum peccati venialis aut mortalis primum hominem, quod noxiam illi probabiliter & nobis certo, occasionem non effugerit. Neque enim meliores sunt, quam si puero & viro, si sano & ægro, eadem agenda, fugienda velis persuadere. Vide quam præposteras oporteat Caramuelem instituere comparationes, vt probabilitatum genealogiam inquirat.

Paragraphvs Vltimvs.

Respondetur aliis quatuor exemplis.

Exorsvs hanc genealogiam ab Eua & Adamo, non prosequitur felicius, aliis quatuor exemplis, à primo remotis, infinito prope multorum sæculorum decursu: nam ad continuandam huius genealogiæ seriem, post longissimum interregnum, nihil illi occurrit commodum, quam quod Genesis 12. narrat Moyses contigisse Abrahamo Ægyptum ingresso, & à pulchritudine Saræ, illi vim, & sibi mortem timenti, vt periculum auerteret matrimonium occultanti sub fratris nomine, quod tunc erat commune germano, & patrueli, quo gradu cognationis Saram attingebat, vt nihil opus fuerit, periculo, quod impendebat cauendo, mentiri. Hac innoxia dissimulatione, omnibus consultum fuit, saluti Abrahæ, pudicitiæ Sarę, & Regis æquitati, quem nescio cur vocet Melchisedecum, nisi forte; vt insigni nomine quo illum donat, vendibiliores faciat probabilitates. Pellectus itaque Saræ specie Ægypti Rex, iussit ad Palatium deduci, quamprimum in vxorem habendam, idque ex probabili opinione, quod innupta esset, & Abrahamum viæ comitem & fratrem, non

virum haberet. Ergo opinio probabilis est secura, quandoquidem illam secutus Rex nihil peccauit, idque testante Deo his verbis: *ego sciebam quia corde mundo feciſti hoc.*

Imprimis eo capite quo hæc Historia narratur, non lego hæc verba Dei ad Pharaonem, nescio vnde illa huc comportauerit, & Historiæ assuerit, nisi forte animo purgandi & commendandi vsum probabilitatum, ore etiam Dei, & amouendi causâ culpam, cuius poterat incusari, quod matrimonium cum Sarâ maturandum festinauerit, præ nimio in Saram, eiusque potiundi æstu. Sed nihil ad rem facit exemplum, neque enim dubium est, quin opinionem quoad rem facti probabilem, sequi licitum sit. Quis enim neget posse me vesci carnibus, quas non certo noui, sed probabiliter Idolis non fuisse immolatas? Non poterat Pharao scire an Sara esset innupta, & soror Abrahæ, nisi Abrahæ testimonio, qui fratris nomen proferebat, & viri occultabat, non reticentiâ mentali quam merito damnat mendacij Caramuel, sed nomine communi ad germanum & ad patruelem. Sed quid ista ad nostram controuersiam? Cum agitur de quæstionibus iuris, non facti, nec quibuscunque, sed cum pugnant opiniones hinc pro lege, inde pro libertate, à quibus longè abest exemplum Saræ, cuius poteratRex nuptias ambire, quandiu innuptam credebat & nemo sibi in vxorem asserebat? Nescias maiori ne incuriâ, aut audaciâ (ne quid grauius dicam) hunc ex Geneſi locum temerarit? Scriptura, tres diuersos nominibus, ditione, moribusque, Pharaonem Ægypti cap. 12. Genes. Melchisedech. Salem cap. 14. Abimelechum Geraræ cap. 21. Reges refert & distinguit: hos omnes Caramueli placuit licentiâ plus quam Poëticâ confundere, permiscere, nouumque Gerionem conflare. Quis non miretur ausum Melchisedecho religiosissimo Principi & Sacerdoti, Pharaonis idololatræ lasciuiam affingere? Quam acerbe vapularet Caramuel, iustissimasque pœnas daret sacrilegæ temeritatis, quâ Scripturam falsauit, si alius D. Fagnano Apologista, illique aduersarius contigisset? Humanius cum aduersario egi, quam patiantur quæ huius Historiæ relatione peccauit. Ineptius est tertium exemplum ex 27. Geneſis, quo fertur Isaac morti proximus & caligantibus oculis, cum eorum qui se adibant, nullum posset nosse, nisi voce & tactu, benedictionem paternam iure primo-

primogeniti Esau impertiendam, contulisse Iacob, quem ex contactu manuum primogenitum putabat, licet probabilius ex auditu (cuius experimentum certius ait esse quam tactus) crederet esse minorem natu: Ergo, inquit, ex Scripturâ habemus licitum esse sequi opinionem probabilem, relictâ probabiliori. Mira sane subtilitas. Quam graui oportet aduersarios premi ex Scripturâ argumentorum inopiâ, quæ cogat istis vti! Non concedam Caramueli quod assumit nullo argumento, tutiorem esse auditus, quam contactus sensum, & contra Christus nos docet, cum à mortuis rediuuus discipulos alloquio & præsentiâ aspectabili dignatus, dubitantibus an esset phantasma, tactum jussit adhibere, quasi visu & auditu certiorem: *Palpate*, inquit, *& videte* &c. Sed id demus in gratiam Bernardi, qui ad fidem commendandam, rebus certo cognoscendis, auditū tactui anteponit; vultne ablatam Esau primogenito, & impertitam Iacobo benedictionem ad probabilitatum libellam, & ad modicam ac penè nullam auditus supra tactum vim expendere; quam ad altissimum diuinæ sapientiæ consilium omnes Patres referunt, exemplo ipsius Patriarchæ, qui stupore perculsus, vbi de totâ re monitus fuit ab Esau, testatus est, ista præter suam mentem accidisse, sed non esse suæ potestatis retractare quæ gesserat, quasi quoddam mysterium eâ re contineretur, quam tamen suis regulis probabilitatum vult Caramuel metiri?

Leuius est & minus ad rem 4. exemplum ex secundi Machabæorum cap. 15. Tantâ, inquit, obseruantiâ colebant Iudæi Sabbatum, vt mallent occidi, quam eo die festo armis se tutari, quasi receptâ apud illos sententiâ, non minus illicitum esse eo die conflictum, quam quodlibet opus seruile; Nec longe absunt ab ea opinione Theologi, qui culpæ læthalis, aut ad minus venialis damnant, susceptam die festo pugnam, citra necessitatis & vitæ defensionis articulum, & eiusmodi sententiæ erant, qui Nicanorem Machabæis, & toti genti infensissimum, Iudæi sequebantur: damnabant, ducis consilium, qui die Sabbatho aggredi statuerat exercitum Machabæi, ratus inermem & religionis causâ indefensum, facile se oppressurum. Sed eius spem fefellit Machabæus, qui contra opinionem antiquam & receptam nouam inuexit; nempe licitum esse bellum defensionis & necessitatis causâ: Ergo, inquit Caramuel, pos-

sumus tutâ conscientiâ sequi vnius viri probi sententiam singularem, rationibus grauibus munitam.

Triumphat vt puto Caramuel quasi hoc exemplo rem propositam confecerit. Vtinam quas ipse, quas Diana, aliique nouas quotidie inuehunt opiniones, paris essent æquitatis & authoritatis cum illâ, à Machabæo inductâ, iustam esse quocunque tempore pugnam, necessariam ad defensionem, non solum sui, sed totius gentis; nec tantum salutis ciuium, sed religionis, cũ non modo pro focis, sed etiam pro aris certandum est. Neque qui se indefensos mactari patiebantur Iudæi, dissentiebant à Machabæo, qui pugnam quam illi detrectabant, suadebat spe victoriæ, à quâ, ipsi hostibus impares exciderant. Quâ cum nec vincere, nec mortem effugere possent, sed ad summum aliquâ hostium cæde & vltione se solari, malebant ouium mansuetudinem, quam militum ferociam ingruentibus hostibus obijcere, vt cum nulla spes esset vincendi, saltem Martyrij palmam sibi compararent, eo certiorem, quo vnâ patientiâ pugnarent, nullâ cupiditate auertendæ, aut vlciscendæ suæ mortis.

Hæc habuit Caramuel, quæ ex veteri Testamento afferret, ad stabiliendam laxitatem & securitatem probabilitatum, quæ magis noxia sunt causæ, quam prosint. E nouo nihil illi occurrit idoneum continuandæ Genealogiæ, cuius seriem texit. Sed ne videatur, si omnino taceat, hoc silentio agnoscere Euangelium sibi in totum aduersari: vnum affert exemplum, à contentione Pauli cum Petro, de legalium vsu, licitusne esset, an damnandus, post institutionem legis Euangelicæ, morte Christi sancitæ, & ab Apostolis euulgatæ. *Opiniones probabiles à primitiuâ Ecclesiâ receptas fuisse negant in totum Ianseniſtæ, & cum illis D. Fagnanus, sed Theologi vniuersi affirmant*, & ait Caramuel *se probasse, in suâ Theologiâ regulari, ex Dionysio differente probabiliter de conuersione aquæ calicis, mediatâ aut immediatâ in Christi sanguinem.* Vel de industriâ calumnias instruit Caramuel D. Fagnano, & controuersiæ statum dissimulat, aut ignorat. Neque enim D. Fagnanus aut Doctorum vllus, negauit à primitiuâ Ecclesiâ opiniones probabiles aliquando receptas: sed contendit eas semper fuisse damnatas, quæ pro libertate pari aut minori probabilitate stabant contra opinionem pro lege. Quid

hactenus ex Scripturâ & Euangelio attulit, quo probet huius secundi generis opiniones, ab Ecclesiâ vnquam probatas: quo vno tota disputatio continetur? Quid vero ad illam refert quæstio altera, an aquâ calicis prius in vinum, an immediate in Christi sanguinem transeat verbis consecrationis, cum pendeat ex solâ Philosophiâ, quâ ratione fiat elementorum & corporum mixtio?

Magis videtur ad nostram controuersiam spectare dissceptatio Pauli cum Petro, *cui restiti*, inquit Apostolus, *in faciem, quia reprehensibilis erat.* Multa congerit Caramuel ex Cornelio à Lapide de hâc contentione; sed nemo breuius aut verius Tertulliano attigit cap. 28. de Præscriptionibus: *Cæterum*, inquit, *si reprehensus est Petrus, quod cum conuixisset Ethnicis, postea se à conuictu eorum separabat, respectu personarum, vtique conuersationis fuit vitium, non prædicationis.* Hæc de legalium vsu à Christi morte post Euangelij prædicationem controuersia, duplici quæstione continebatur; vna juris, an Mosaycæ legis ceremonias mors Christi ita abrogasset, vt initiatis religione Christianâ, inutilis esset & noxius ad salutem vsus; alterâ facti, seu vt sic loquar, actionis; nempe cum Petrus Paulo conueniret tollendum esse legis jugum, quâ ratione agendum esset cum Iudæis, & cum Ethnicis ad Fidem conuersis: cum illi legem retineri vellent, isti aduersarentur, ac proinde concordes quoad quæstionem iuris, & fidei vterque Apostolus: conueniebant etiam summâ charitate, prudentiâ, & æquitate cum Iudæis & Gentilibus agendum esse, & vtrorumque euitandum scandalum, nec nimium affectui Iudæorum esse indulgendum, in quos cum propensior esset Petrus, quam Pastoralis officij ratio, quam æquitas pateretur, restitit illi in faciem Paulus, vt causam Gentilium ageret; idque boni consuluit Petrus, vt egregiè Augustinus Epistola 19. *Id*, inquit, *à Paulo fiebat vtiliter libertate Charitatis, sancta ac benigna pietate humilitatis accepit Petrus:* quem laudat, & anteponit Paulo, quod suo exemplo docuerit quâ patientia & humilitate, conueniat maiores excipere liberas minorum reprehensiones, sicubi forte recti tramitem reliquerint, sicuti Paulus docuit minores maioribus resistere, pro defendendâ Euangelicâ veritate, saluâ in illos reuerentiâ, fraterna charitate: sed Petrum Paulo hoc nomine ante fert, quod multo diffi-

cilius sit, & mirabilius vtiliter ferre arguentem, quam audacter corripere deuiantem.

Hæc paucis de disceptatione Pauli cum Petro. Quid inde compendij refert pro suis probabilitatibus aduersarius? hinc primum probat opinionem in materiâ fidei probabilem, excusare à graui errore, quia Petrus ex opinione probabili lapsus in materiâ fidei, excusatur ab errore formali, & à mortali peccato. Sed falsum est disputationem hanc pertinere ad fidei materiam, cum tota esset de agendis, non de credendis; de conuersatione, non de prædicatione, & magis ex nimio Petri in Iudæos affectu, quam ex præpostero aut falso iudicio prodiret, sicut nec qui peccat, in errorem materialem labitur, quia meliora videt, probatque & sequitur deteriora. Multò magis à vero alienum est, quod dicit, assertiones vtriusque Apostoli probabiles, & ideo simul licitas, nec peccasse Petrum conniuendo tantisper Synagogæ, quia sequebatur suum dictamen probabile, neque Paulum peccasse contradicendo Petro, quia pro se probabiles rationes habebat. Mira est sane conclusio Caramuelis, dum vult contradicentes sibi Apostolos, beneficio probabilitatum conciliare, sibi contradicit, omnia sus deque miscet, Apostolos simul absoluit & damnat. Si nihil peccauit Petrus secutus opinionem probabilem, mentitus est Paulus, qui reprehensibilem pronuntiat; & eâ de causâ illi restitit in faciem: si ne vel minimum peccauit Petrus, quâ ratione excusabis ab impudentiâ, à procacitate Paulum, qui Apostolorum Principem, suumque rectorem increpauit publice & coram, nihil agentem præter officium? Hoc vnum à te velim, putasne fuisse plus iuris Paulo reprehendendi, suum, totiusque Ecclesiæ Pastorem, à Gentilium conuersatione se subducentem, ex probabili opinione, ne scandalo esset Iudæis, quam Confessario, absolutionem negandi pœnitentibus, opinionem suâ minus probabilem, & tutam secutis, atqui Confessarium damnas peccati mortalis, si abnuat pœnitentem absoluere: Ergo longe grauius peccauit Paulus reprehensione Petri probabilem opinionem secuti, Confessario ob eandem causam absolutionem pœnitenti negante: quare indulgentior es in Christianorum minimum, quam in totius Ecclesiæ Caput. Quid dicam? Caramuel se suis manibus & argumentis confecit, & iisdem exemplis probabilitatum

ſecuritatem euertit; quibus putabat ſe confirmaturum. Id vnum quæro; dum Protoparentes à Deo caſtigatos, & Petrum à Paulo reprehenſum, nihil contendit, niſi ex probabilibus egiſſe, an peccaſſe velit ad minus venialiter (vt videtur inſinuare) an inſontes fuiſſe? Si ab omni peccato abſoluat; grauiſſimorum damnat Deum iudicem, & Paulum cenſorem: ſi perperam egiſſe fatearis; ergo noxius eſt probabilitatis vſus, qui ad minus peccatum veniale adjunctum habuit. Omitto grauia quidem per ſe, ſed ſuperiorum collatione leuiora, quæ peccauit aduerſarius, huius ex Actis Apoſtolorum vel Pauli Epiſtolâ diſceptationis cum Petro relatione. Vbinam legit Petrum confeſſum ſe erraſſe, hac in Iudæos indulgentiâ & humanitate? cum potius ſe apud Apoſtolos purgarit, quaſi imperio Dei, humanius Iudæos habuerit. Hanc ergo Petri confeſſionem commentus eſt Caramuel: & quaſi minus ſit illi Scriptura familiaris quam Diana, contra Scripturę fidem confundit quod de Petro refert, Cornelio Cæſareæ conuerſato, & à Gentilium conſuetudine ſe Antiochiæ ſubducente.

Articvlvs Tertivs.

Expenditur probabilitatum ſecuritas, ſecundo genere teſtimoniorum, ex Antiquis Patribus & Theologis.

Ieivni ſunt & admodum parci Caramuel, & alij Probabiliſtæ, in hoc genere teſtimoniorum; non habent vel vnum ex Antiquis Patribus, nec fere Theologis, qui ante S. Antoninum ſcripſerit: adeo ſunt huiuſmodi teſtimoniis deſtituti, quibus tamen expendenda & dirimenda eſſet tanti momenti controuerſia; qua id agitur, quid facto opus ſit, in dubiis morum & fidei; ad quos pertineat leges diuinas, aut humanas interpretari, ſi quando mens Legiſlatoris non ſit omnino euidens; an cuilibet liberum, & tutum ſit, quamlibet interpretationem ſequi; etiamſi minus conſentanea ſit menti, & verbis Legiſlatoris. Incredibile eſt hanc grauiſſimam quæſtionem, Sanctos Patres & Antiquos Theologos prætermiſiſſe, aut laxaſſe probabilitates, & cuilibet ſecuritatem aſſeruiſſe. Quod primùm con-

uincemus pluribus præiudiciis, quæ minus opportuna sint aduersariorum cauillis.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

IV. Præjudicia ex Antiquis Patribus, & Scriptoribus, contra probabilitatum securitatem.

PRIMVM repeto à S. Patrum altissimo hâc de re silentio, quo euidenter demonstratur nouitas, & subinde periculum huius doctrinæ: certè si ad eam confutandam aliæ deficerent probationes, satis esset, illius apud Sanctos Patres ne vestigium quidem apparere; vt ex eo euidens est, quod nullus à Casuistis ad eam stabiliendam, vel Scripturæ, vel Patrum locus afferatur. Putauit se istum nodum dissoluere aut dissecare Stubrochius duobus verbis: *Ita*, inquit, *Caluinus Patribus, præsertim Augustino suos errores affingit, ita Iansenius, aliique huius furfuris homines.* Et post alia tandem concludit: *Non esse dubium, quin Sancti Patres hanc doctrinam supposuerint, vel ipso lumine, naturæ notam: nempe humanis actionibus, certam & euidentem cognitionem, sæpe ac sæpius non prælucere.* Ita est; sed quam ex ijs præmissis deducit cum Caramuele, conclusio, ignota illis prorsus est, & inaudita, cum vbique clament, in dubiis & incertis semper tutiorem partem esse eligendam. Quare illa Stubrochij responsio, SS. Patres supposuisse suam sententiam, ipso naturæ lumine notam, nec minus euidentem ex Caramuele, quam hoc axioma currentem moueri, quolibet fidei articulo creditu est longe difficilior.

Hoc primum præiudicium à silentio SS. Patrum excipit, & confirmat alterum. Si SS. Patribus adeo comperta erat hæc opinionum probabilium securitas, non est credibile adeo fuisse cæcos & stolidos, vt ab hoc principio per se noto vsquam recesserint; & illi contraria, aut minus consentanea docuerint. Si ita sit, cur illis, in morum negotio, censent recentiores anteponendos, quamuis fuerint Apostolis viciniores? Cur dicunt difficultates, quæ circa mores, homine Christiano dignos, emergunt, à nouitijs non à veteribus Scriptoribus hauriendas esse? Argumen-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [374] - 294
PUBLIC DOMAIN

to sint Caramuel & Diana, in citandis recentioribus diligentissimi & copiosissimi, parcissimi in antiquis referendis: & si quando eos citet Caramuel, fere semper fallit, adeo hospes est apud Antiquos. Neque hoc præiudicium eluat, quod habet Stubrochius, ad finem disputationis, de probabilitate: *In morali Theologiâ non disputari de certis morum regulis, quæ in libris Patrum habentur, & vt certas Theologi supponunt; sed de singularibus quæstionibus, quarum solutio vt plurimum ab aliquo textu, aut Canone, aut diplomate Pontificio petenda est: frustra autem apud SS. Patres solutionem illam inuestigarem, qui ante huiusmodi leges scripserunt.* Sed putat Stubrochius se respondere, si non taceat, & argumenti dissimulat difficultatem, neque enim hîc agimus de minutioribus quæstionibus: nec ita sumus morosi, vt hodiernæ disciplinæ de diplomatibus Pontificiis, de interdicto, & aliis id genus, singula verba velimus legi apud S. Patres. Id ægre ferimus & nobis suspectum est, & summè periculosum, constitui regulas ex vnâ probabilitate, quæ ad omne genus rerum pertineant, de prudentiæ iudicio, de conscientiæ dictamine, de legum diuinarum interpretatione: hæc vero omnia à S. Patribus vel prætermissa fuisse, quasi nullius momenti, aut supposita tanquam per se nota, aut in quâcunque re dubia aut controuersa, nullâ legis, salutis, aut maioris probabilitatis habitâ ratione, permisisse cuique sequi opinionem minus probabilem, quæ commodo, quæ affectibus, indulgeat; paradoxo quolibet incredibili, longe est incredibilius.

His duobus præjudiciis, tertium & quartum multo grauius addo, quod si cætera desint, possit rem totam conficere. Certissimum est, omnes ad vnum Patres & Scriptores antiquos, communi consensu aduersari principio, quod vnum suæ sententiæ fundamentum ponit Caramuel, nempe probabilitati securæ, & tutæ ad salutem, & actuum honestatem, tandiu locum esse, quandiu euidentia, & ex illâ certitudo defuerit: & cum rarissima, aut potius nulla subsit euidentia, aut spes illam consequendi quocunque conatu & studio, libera est & secura probabilitas; idque ratione ignorantiæ inuincibilis, quâ imbuuntur opiniones quæcunque probabiles oppositæ, hoc ipso, quod certam & euidentem, cui illarum falsitas aut veritas subsit, notitiam consequi, vel etiam sperare non possis. Atqui omnes ad

vnum antiqui, huic fundamento Theologiæ Caramuelis, capitaliter aduersantur; Ergo nihil certius, quam quod vrgemus, probabilitates recentiorum, antiquorum principiis, & testimoniis euerti. Primam huius argumenti propositionem, singulis Apologematis sui paginis, habet Caramuel: sed antiquos omnes ab illo dissentire demonstro testimoniis aduersariorum. Et vt res sit apertior, summam facio totius operis Caramuelis, datur ignorantia inuincibilis iuris naturalis, idque ex Caramuele conuincitur, quod nequeat tolli huiusmodi ignorantia, nisi euidentiâ veritatis per se notæ, aut demonstratæ, & ex neutro capite, putat dari eiusmodi euidentiam plurium & forte nullius rei; Atqui huiusmodi ignorantia inuincibilis excusat à quocunque peccato, nec vnquam deest opinionibus probabilibus, inter se pugnantibus, de veritate & falsitate, infra euidentiam veritatis & falsitatis, Ergo quæcunque opiniones continentur intra fines probabilitatis, tutæ sunt & securæ. Nulla est propositio à Caramuele assumpta, à quâ ex antiquis maxima Theologorum & Patrum pars, non dissentiat: primam quidem propositionem teste Vasquesio disp. 122. in primam secundæ negant Hugo à sancto Victore, Alensis, Albertus, Bonauentura, Richardus, Gerson, Adrianus, Alphonsus à Castro, & alii plures & recentiores, qui nullam admittunt iuris naturalis ignorantiam inuincibilem, maxime de primis syndereseos principiis, qualia sunt hæc, Deum esse colendum, subueniendum parentibus, &c. Et istis annumerant propositionem de quâ est controuersia, in dubiis partem tutiorem esse eligendam. Nec dicas istos authores errasse, & conuinci falsitatis hoc argumento: non esse certius hoc principium, practicum, Deum esse colendum, quam istud speculatiuum Deum existere, quod multis est dubium & probabiliter falsum, aut inuincibiliter ignotum. Ad primum respondeo, nos hic non disputare, an vera sit horum antiquorum sententia; sed an dissentiant à Caramuele, & à probabilistis. Deinde negamus eandem esse rationem, huius Principij practici, Deus est colendus, & istius speculatiui, Deus existit: quia interdum de re speculatiue tantum probabili, certum & euidens statuitur iudicium practicum: nihil enim certius & euidentius, quam parentes colendos esse; quamuis non habeas euidentem notitiam,

omnis dubitationis expertem, te ab illis procreatum esse, quos colere debeas. Quo exemplo fit manifestum, aliud esse genus certitudinis, & euidentiæ iudicij practici, & speculatiui. Vnde hi primæ classis Authores, communi consensu, negant dari ignorantiam inuincibilem iuris naturalis, quod Decalogi præceptis, eorumque fundamentis, ac syndereseos principiis, continetur: quale est istud, ferè totius iuris naturalis origo, & regula, ne aliis feceris quod tibi fieri nolis. Imò plures ex antiquis longiùs promouent hanc primam responsionem: cum enim conueniant eam ignorantiam dici inuincibilem & inculpatam, quam non sit nostræ facultatis depellere; ea censenda est voluntaria, ac proinde culpabilis, cuius sanandæ cum media penès te habeas, ea neglexeris adhibere. Huic propositioni quæ totius disputationis cardo est, varias apponunt restrictiones aut ampliationes Theologi. Atque inde primùm probari putant Guillelmus Parisiensis & Altisiodorensis, nullam dari inuincibilem ignorantiam, cuiuscumque facti, aut iuris positiui: nam vt, inquit Altisiodorensis, si quis assentiatur falso in materiâ morum & fidei, quoniam ita docetur à suis prælatis & magistris, non excusatur à peccato ex ignorantiâ; quia intra se habet supremum magistrum, scilicet Deum, à quo potest addiscere veritatem, quam non negabit ad res facti seu cuiuscumque iuris, si non solum eam inquirat suo studio, doctiores consulat; sed etiam à Deo continuis precibus efflagitet, & se diuinâ reuelatione dignum faciat, perfectâ vitæ emendatione. Addunt hi duo authores, eos qui huiusmodi diligentiam adhibuerint, cum precum studio, Deum nunquam passurum in errorem labi etiam de rebus facti.

Videtur aliis Theologis seuerior hæc opinio, eamque restrinxerunt ad res iuris diuini positiui; quarum fides necessaria est ad salutem: earumque ignorantiam inuincibilem, negant dari inter infideles, multoque minus inter Christianos. Id probant eodem ferè argumento, quo vsi sunt Guillelmus Parisiensis & Altisiodorensis, nempe imputandam esse ignorantiam, iis, qui neglexerint adhibere media, cum ordinaria, tum extraordinaria; quorum liberum habent vsum: atqui omnibus Christianis & etiam Ethnicis quærenda est veritas necessaria ad salutem, studio, consultatione doctiorum, assiduis ad Deum precibus,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [377] - 297
PUBLIC DOMAIN

emendatione vitæ : nec veritatis notitiam negaturus est Deus iis qui illam prosecuti fuerint huiusmodi mediis : Ergo si negetur Ethnicis aut Christianis, argumento est neglexisse media quibus comparari poterat. Durior & nimis austera, etiam videtur hæc opinio recentioribus Theologis, & ad iudicium certum, quæ sit ignorantia inuincibilis, hanc statuunt regulam, quam habet Vasquez disputatione 224. eam censendam esse omninò inuincibilem, cuius nulla notitia, nec ratio dubitandi in vniuersum aut particulariter occurrit : quia non est in nostrâ facultate, de vllâ re deliberare, amplectenda ne sit, aut reiicienda, de qua nulla in mentem venerit cogitatio ; nam prima cuiusque rei notitia, aliunde quam à nobis, & à naturâ esse debet aut à Deo : Atqui de rebus facti iuris positiui humani aut diuini, multis nunquam venit in mentem deliberare, an sint necessariæ ad salutem, an inquirendæ, & à Deo precibus petendæ, an ad illas consequendas conferat emendatio vitæ : ergo huiusmodi rerum admittenda videtur ignorantia inuincibilis, secus est de iure naturali, quod hominum cordibus altè insculptum est, & licet obscurari possit vitiis & prauis moribus ; nunquam tamen ita deleri, quin perditissimos quosque stimulet conscientia malefactorum, nec patiatur fœditatem & turpitudinem peccati eos latere per totam vitam : & si in eo consenescant, ipsis imputandum est, quod noluerint audire conscientiam, se sui officii iurisque naturalis admonentem. Hic est sensus primæ sententiæ, & responsionis ad argumentum Caramuelis, sed Anonymus, Vendrochius & plures alii recentiores, post Iansenium lib. 2. de statu naturæ lapsæ à capite 2. ad 6. concedunt ignorantiam inuincibilem iuris naturalis, negant vero excusare à peccato, tantâ asseueratione, vt suam sententiam contendant esse dogma fidei, propugnatum à Diuo Augustino contra errores Pelagianorum, quorum præcipuus & in Synodo Palæstinâ damnatus, refertur ab eodem Augustino de gestis Pelagianorum capite 18. obliuionem, ignorantiam non subiacere peccato, quoniam non secundum voluntatem eueniunt, sed secundum necessitatem. Ex quo loco ita suam sententiam confirmant : Eo sensu synodus Palæstina damnat peccati ignorantiam, quo illam à peccato purgabant Pelagiani : Atqui Pelagiani peccato imputabant solam ignorantiam vincibilem, vt ex

Iuliano refert Auguſt. lib. 6. cap. 1. *Ecce merito reprehendiſti eos, qui ſuperſederunt ſcienda cognoſcere:* & Pelagius lib. de naturâ & gratiâ cap. 17. *Hominem peruigilare debere, ne ignoret; ideoque eſſe culpandam ignorantiam, quia id homo neſcit negligentiâ, quod adhibitâ diligentiâ ſcire debuiſſet:* Ergo Synodus damnat quod negabant Pelagiani, quod ipſe Pelagius non eſt auſus defendere in Synodo Palæſtina, nempe ignorantiam inuincibilem, non quamcumque, ſed iuris naturalis, ad culpam imputari. Plura congerunt argumenta citati authores quibus ſatius fuiſſet reſpondiſſe ſemel Stubrochium & Caramuelem, quam ſingulis paginis eos accuſare hæreſis, nulla probatione allatâ, nullâ ſolutione adhibitâ eorum argumentis, quæ facilius putarunt contemni poſſe, quam infringi.

Nobis nihil opus eſt ad ea reſpondere, vt noſtram tueamur de vſu probabilitatum ſententiam. Eſto detur ignorantia inuincibilis, etiam iuris naturalis, contra primæ reſponſionis authores; demus ignorantiam inuincibilem, ex peccato primi hominis conſecutam, excuſare, & eſſe inculpatam; negamus quod aſſumit Caramuel, huiuſmodi ignorantiam hoc ipſo includi opinionibus inter ſe pugnantibus, quod rerum de quibus opinamur, euidens comparari aut ſperari cognitio nequeat, veræ ne ſint aut falſæ, ac proinde cum nequeant abſtergi, ab omni falſitatis & malitiæ dubio & formidine, opiniones, quæ ſtant pro libertate, & commodo, nunquam poſſunt ſaluâ conſcientiâ, & ſalute, anteponi opinionibus æquè aut magis probabilibus, quæ ſaluti & præcepto fauent. Atque hoc vnum hactenùs probauimus contra Caramuelem; nec nobis timendæ ſunt obiectiones Anonymi, quibus ſatisfaciemus paragrapho ſequenti.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [379] - 299
PUBLIC DOMAIN

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Solutio aliquot argumentorum Anonymi ex tertio nodo contra ſententiam P. Mercori.

VIDETVR Anonymus Chriſti verba quaſi iure ſuo ſibi aſſumere: *qui non eſt mecum, contra me eſt:* ægre fert P. Mercorum toto ſuo opere aliunde argumenta repetere, quibus probabilitatum laxitatem impugnat, & ſuam fulcit ſententiam, quam à dogmate de ignorantiâ quacumque inuincibili iuris naturalis, ad culpam imputanda. Quæcumque congerit hoc 3. nodo, quem viginti quatuor obiectionibus putat indiſſolubilem factum, eoque implicari P. Mercorum, ad hæc tria capita reuocantur. Multis probat ignorantiam iuris naturalis, quamcumque inuincibilem culpabilem eſſe, deinde hoc principio iugulari cauſam probabilitatum, 3. denique Mercorum labefactare quidquid toto libro ad emendationem moralis diſciplinæ ſtabiliuit, & principiis Theologiæ capitaliter aduerſari, quod huic dogmati de ignorantia inuincibili ad culpam imputandâ, ſuam diſſertationem non aſtruxerit. Primum quod aſſumit Anonymus permittimus, & gratis damus, neque enim noſtri inſtituti eſt, hanc controuerſiam grauiſſimam attingere: ſecundum vltro concedimus, tertium negamus: & ſi tota Aduerſarii diſputatio ad examen vocetur, pauca ſunt quæ hoc poſtremum caput attingant, & ſi quæ ſint ex aliis ſeligemus. Quamuis modeſtiſſimus ſit P. Mercorus, & totus ad lenitatem humanitatemque naturâ & ſtudio comparatus, adeo tamen interdum aſperè illius dicta excipit Aduerſarius, vt nonnihil commoueri videatur aſſiduâ & immeritâ cenſurâ, & verbis Chriſti dicat: *Cur me cædis?* animaduertendum ſane fuerat Anonymo, non vnâ viâ adiri veritatem, & plurimum ad eius gloriam referre, diuerſis præſidiis muniri, & plures habere vindices, qui diuerſo armorum genere ſe tutentur. Quare boni conſulendum erat, ſi quid à ſuo ſenſu diuerſum ſcripſiſſet P. Mercorus, & alium ſibi ad verum callem muniuiſſet: cùm conſtet eodem ſpectaſſe vtrumque, nec fine differre; ſed mediis, quorum delectus citra diſſentionem aut offenſionem

vllam, arbitrio cuiusque permittatur. Denique obseruandum illi fuerat, quod P. Mercorus admonuit suâ responsione ad 24. & vltimam obiectionem; tutius & minori labore ac periculo enatare, qui paululum vndis cedant, & fluuio sinant se deorsum ferri, quam qui contra torrentem dirigant brachia, & totis viribus obnitantur: sic etiam magis ex voto sæpius succedere pugnam, pro veritate, si aliquid indulgeas aut permittas aduersariis, si eorum exemplis aut notionibus apud ipsos receptis vtare. Nam si ad singula verba vitilitiges, & omnia quæ ingeruntur ad examen reuoces, nullus erit disputationum finis aut fructus. Tria suæ causæ fundamenta & præsidia, ponit Caramuel, primum dari iuris naturalis ignorantiam inuincibilem: & hoc magis supponit, quasi notum & in confesso apud omnes, toto suo Apologemate quam probet: secundum huiusmodi ignorantiam immunem esse & excusare ab omni peccato: illud etiam principium non aliâ ratione probat quam perpetuâ accusatione Ianseniſmi, quasi ignorantia inuincibilis imputata ad peccatum, damnata sit censurâ primæ propositionis Ianſenianæ, quæ tamen agit de hominibus & gratiâ & fide conantibus implere præcepta, à quibus deficiant inopiâ gratiæ: tertium denique fundamentum paulo accuratius confirmat, nempe omnem opinionem probabilem seu solitariam, seu cum aduersâ pugnantem, imbui illo genere ignorantiæ inuincibilis, quæ ab omni peccato purget. Tantæ molis fuit, probabilitatem extruere & firmare securitatem. Sed cùm euerti & ruere omnino oporteat, si vel vnum è tribus, quibus nititur, principium, nutet & labefactetur huiusmodi secura probabilitas quæcumque, & statuæ Babylonicæ non dissimilis, vel vno ictu modici lapidis infringi, & dissilire possit; satius ad suum institutum putauit vir prudentissimus, semotis à disputatione duobus principiis superioribus, postremum impetere omni genere argumentorum. Quid enim Caramuelis causam iuuat, dari ignorantiam inuincibilem iuris naturalis, quæ nequeat imputari ad peccatum sine Ianseniſmi errore, si huiusmodi ignorantia longissimè absit à probabilibus opinionibus pro libertate contra legem pugnantibus? Quod vnum toto opere vrget & apertissimis argumentis demonstrat P. Mercorus. Cæterum si Anonymus eius Thesim de sequendâ pro-

babiliori & tutâ opinione, censet efficacius demonstrari, ex illo secundo principio, nullam iuris naturalis ignorantiam inculpatam esse; liberum est illi hoc genere armorum pugnare cum aduersariis: sed rogat Mercorus ne se despiciat, si suis sibique aptioribus armis vtatur. Nam quæ commoda erant Saüli, Dauidi inutilia fuere: & tamen vili, *fundâ & lapide inualuit aduersus Philisthæum.* Rogat igitur, sibi permittat ex communibus principiis apud aduersarios receptis, rem controuersam prosequi & definire: forte cum illis vtilius & validius acturus, quam si ingereret principia illis suspecta, ac penè comperta erroris. Certe si ab his obseruationibus exorsus fuisset P. Mercorus, quibus concluſit disputationem, viderentur frustra esse quę late prosequitur Anonymus: quandoquidem hæc vna responsio à nobis fusius & clarius explicata, illum extra omnem teli iactum ponit. Esto deceptus sit Caramuel, dum ignorantiam iuris inuincibilem certam ponit & innoxiam, & dum aduersariis Ianseniſmi errorem obiicit, Pelagii hæresim deffendat: esto assensus illi fuerit P. Mercorus, quod tamen constanter pernegat, & falsum esse conuincit: satis est illi non solum ad innocentiam, sed etiam ad victoriam asserendam, defeciſse sicut magos Ægypti tertio signo seu tertio asserto lapsum. Quis enim credat, eum qui probabilius opinatur quod instat agendum, illicitum esse, nec abstinet, laborare vt contendit Caramuel ignorantiâ inuincibili iuris naturalis, & hinc illi licere vt libuerit agere; cùm sola dubitatio longè inferior opinione probabili, huiusmodi ignorantiam inuincibilem tollat, & resoluat in culpabilem? & hoc demonstrat P. Mercorus quadruplici genere argumentorum, quæ hactenùs prosecuti sumus. In his tamen non conquiescit Anonymus; sed primùm tertio nodo grauiter carpit P. Mercorum, quod admittat suppositionem conscientiæ erroneæ ex ignorantiâ inuincibili reputantis fornicationem licitam, & ad salutem necessariam, & si ex illo dictamine eligatur (vt potest contingere) meritoriam fore: quod dogma, inquit, principiis Theologię ac Religionis capitaliter aduersari, & labefactare quidquid toto libro, ad emendationem moralis disciplinæ stabilitum est, facili negotio demonstrari.

Hanc accusationem grauissimam duplici excipit responsione P. Mercorus. Primùm dicit se hunc Casum admisisse disputandi causâ, ex aduersariorum, non ex suâ sententiâ; quia si negasset hypothesim argumenti, nempe fornicationem ex ignorantiâ inuincibili (quam gratis admittit, non approbat) fieri licitam, instauraſſent eiusdem formæ & vis argumentum, necessario soluendum, exemplo ignorantiæ inuincibilis iuris positiui etiam diuini, quam ipsemet Iansenius concedit innoxiam esse ab omni peccato; vt si quis sibi persuaderet ex erroneâ conscientiâ, sacram Synaxim tempore Paschali præcepto positiuo præscriptam, esse illicitam; ille mereretur si abstineret. Quare satius putauit P. Mercorus hypothesim admittere, ex mente aduersariorum contra suam, & respondere objectioni, ne videretur difficultatem effugere. Addit 2. se eâ suppositione secutum Diuum Thomam 1. 2. quæst. 19. art. 5. qui eodem exemplo vtitur, illius qui ex errore crederet fugam à fornicatione esse malam, ac proinde peccaturum, si ab illa abstineret, rationemque addit; non solum: *Id quod indifferens est, posse boni, malique per accidens rationem induere, sed etiam id quod bonum est, posse rationem mali, vel quod malum est, rationem boni accipere à rationis apprehensione & iudicio; puta*, inquit Sanctus Doctor, *abstinere à fornicatione bonum quoddam est*; si ergo proponatur vt malum à ratione errante, voluntas erit mala, quia vult malum: vnde concludit P. Mercorus, se nulla dignum hac re censurâ, quæ tanti præceptoris vestigia sit secutus: & si Anonymus nequidem S. Thomæ velit parcere, facile ab illius censurâ vindicabimus, hoc ad minus Axiomate ab omnibus recepto, posito vno impossibili consequi duo repugnantia; quare quisquis ex ignorantiâ inuincibili culpabili, implicaretur errantis conscientiæ dictamine, quodcumque ageret, non vacaret culpâ. Sed ne singula prosequar quæ congerit Anonymus, ad quæ respondet P. Mercorus, vnum adnotabo in hâc materiâ summè obseruandum, quo vel hi duo Authores conciliabuntur, vel cadent objectiones ferè omnes, maximè à primâ tertij nodi vsque ad decimam quartam. Nempe apud omnes ferè Theologos conuenire, ignorantiam iuris naturalis, ab ignorantiâ rerum facti vel cuiuscumque iuris positiui, hoc maximè differre, quod illius generis, rarò & fortè nulla

detur, inuincibilis, aut quæ excuſet à peccato; ſecus verò eſt de ignorantiâ facti & iuris poſitiui, quam inuincibilem eſſe, & à peccato excuſare, multis probat ex Auguſtino, ipſemet Ianſenius cap. 5. Huius verò diſcriminis cauſam inquirit idem Author cap. 6. cui hunc titulum appoſuit; *Indagatur radix arcanæ illius doctrinæ, cur ſcilicet iuris naturalis nulla detur, quæ excuſet ignorantia inuincibilis, magiſque repugnet opinionibus probabilibus ad jus naturale pertinentibus, quam ijs quæ ad res facti & ad jus poſitiuum ſpectant.* Omnes huius diſcriminis originem & cauſam trahunt ex eodem fonte; nempe ex naturâ huiuſmodi ignorantiæ vel ſcientiæ & cognitionis oppoſitæ. Nam iuris naturalis cognitio naturæ humanæ congenita & inſculpta eſt cordibus noſtris, iuris verò poſitiui & factorum aduentitia eſt, & nihil prohibet in totum tolli ab homine, vel illi negari. Hoc enim ipſo quod homo ſit compos rationis, capax gratiæ, fidei, & Dei vt vltimi finis, à quo habet vt ſit, & à quo beandus eſt, oportuit illi inſertam eſſe cognitionem omnium, qua Deum vt primam ſui cauſam colere, vt vltimum finem conſequi poſſet. Hæc vero omnia continentur Decalogo & lege Dei cordibus noſtris inſcripta: & hoc ſenſu dicitur Rom. 2. *Gentes quæ legem non habent, ſibi legem eſſe, quia oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis.* Vnde neceſſario emergunt cogitationes bonæ, conſcientiæ remorſus, quibus diximus nullum hominem carere per totam vitam, & quæ ſufficiant tollendæ ignorantiæ inuincibili iuris naturalis, ne ſaltem excuſet à peccato. Secus eſt de iure poſitiuo, quod cum ſit aduentitium, contingere poteſt, vel nullam illius venire in mentem cogitationem, aut ſuſpicionem, quæ huiuſmodi ignorantiam curet & tollat.

Atque hæc eſt vera, ni fallor, radix huius arcanæ doctrinæ: Vnde refellitur, quam tentat Anonymus, obiectione ſecundâ, antiquorum Theologorum ſententię cum ſuâ concordiam: nec vllâ re differre ait à ſententiâ Ianſenij, verum eſſe omnium conſenſum, & diſcordiam verborum potius quam rei. Eadem enim ignorantia iuris naturalis inuincibilis, diligentia præſenti, humanâ & ordinariâ (qualem diximus adhiberi, dum præter proprium ſtudium conſuluntur peritiores) vincibilis eſt; diligentia extraordinaria, & auxilio Dei, quo impellimur ad preces & vitæ

& vitę emendationem. Atque eo sensu dicit obiectione 9. omnem ignorantiam volitam esse, adeoque vincibilem, quia omnis peccator vult amare creaturam, quo amore luci diuinę obstaculum ponitur, vt fusius explicat obiectione 2. Vnde concludit omnem ignorantiam vitari posse per diuinum auxilium, quo non nisi culpâ nostrâ caremus, quia illi, lucique diuinę apponimus impedimenta vitiis nostris, & negligimus eflagitare nostris precibus.

Verum si hoc sensu dicatur ignorantia inuincibilis, industriâ præsenti & ordinaria diligentiâ, imputari ad culpam, quod vincibilis sit luce diuinâ, precibus & emendatione vitæ, consequendâ; vanum erit discrimen appositum, inter ignorantiam iuris naturalis & positiui, maxime diuini, cum vtraque inuincibilis diligentiâ humanâ & naturali, vincibilis sit auxilio diuino, precibus & sanctitate vitæ obtinendo; maxime si necessaria sit cognitio ad salutem, vel ad euitandum peccatum. Deinde; esto qui sentiunt se concupiscentiâ vrgeri ad malum, peccent, nisi confugiant ad orationem, cuius præceptum instat, auxilij diuini necessarij ad vincendam tentationem obtinendi causâ, quâ ratione imputabitur hæc negligentia, vel infidelibus, vel ijs qui errant ex ignorantiâ; nec agnoscunt se egere lumine diuino, aut vllâ laborare ignorantiâ? Quare verum discrimen inter hæc duo ignorantiæ genera, repetendum est à principio ab ipsomet Iansenio constituto; quod iuris naturalis notitia sit congenita, ac proinde non possit radicitus tolli, maneat semper in semine, possit facile instaurari, & culpæ nostræ sit imputandum, si obscuretur omnino, vel non restituatur. Sicut enim aqua calefacta, si ab igne semoueatur, sensim redit ad congenitum frigus; ita etiam mens humana, si vitia abijciat, ab ignorantiâ facile vindicatur, maxime rerum iuris naturalis. Hinc fit ignorantiam huiusmodi rerum vix præsumi, sicuti rerum facti, ac proinde vix excusare à peccato, & hoc probant argumenta Anonymi à tertia obiectione vsque ad vndecimam; quibus ex Cajetano primum, deinde ex Estio 3. ex Augustino 4. ex Aristotele, & tandem ex pluribus aliis Sanctio Patribus probat, quæ ex quacunque ignorantiâ fiant contra jus naturale, non carere peccato, quod vult Cajetanus eiusdem esse speciei cum peccato quod ex certâ scientiâ committitur, & illi assentitur Estius,

idem probat ex Aristotele, libro 5. Ethicorum cap. 3. ex Innocentio III. *de Simonia* cap. *per tuas*, ex Augustino diuersis locis, ex Bernardo Epist. ad Hugonem: idem tandem probat objectione vndecima & duabus sequentibus ab absurdo, quod sclicet omnium infidelium peccata, contra legem naturalem excusabuntur, si iuris naturalis ignorantia sit inculpabilis.

Ad hæc omnia resp. P. Mercorus: Primo nullum horum Authorum, si Estium excipias, imputare peccato, quod sit ex ignorantiâ inuincibili juris naturalis. Et prudenter addit responsione ad octauam objectionem, quantum distat propositio vniuersalis à particulari, tantum differre propositionem hæreticam à S. Patribus damnatam, à doctrinâ recentiorum, quos impugnat Anonymus. Est quidem hæresis manifesta, per nullam ignorantiam peccari, sed nullus error est, si defendas per aliquam ignorantiam non peccari: & sicut aduersarius hoc postremum admittit, de his quæ fiunt ex ignorantiâ facti aut iuris positiui, ita recentiores idem concedunt de quacunque ignorantiâ, quæ nec directè, nec indirectè volita sit, qualem dicit Responsione ad sextum admitti ab Augustino libro 3. de Libero Arbitrio cap. 22. vbi ignorantiam iuris naturalis, siue pœnalem, siue naturalem, cuiuscumque personæ & conditionis, cuiuscumque iuris, seu proximi, seu remoti à primis syndereseos principiis, non damnat in totum, sed casum ex illo deduci posse contendit, quo errans ex ignorantiâ iuris naturalis, excusetur à peccato; vt si puero duodenni inquit ad biuium occurrat homo, qui districto gladio inimicum insequatur, & puerum interroget quâ parte fugerit, quem insequitur, si is putet sibi licere mentiri, vt hominem seruet à periculo mortis, nec tempus habeat consulendi peritiores, aut deducendi ex principiis moralibus an mendacium sit illicitum; existimat ex ignorantiâ inuincibili iuris naturalis à culpâ mendacij excusari.

Cæterum qui referuntur Authores, demonstrat accuratè nihil iuuare causam aduersarij, quia discrimine nullo agunt de peccatis ex ignorantiâ cuiuscunque iuris aut facti, vt Hieronymus lib. 1. contra Pelagium affert exempla Ionatæ, Osæ & Leuitarum, qui peccabant ex ignorantiâ facti, vel alicuius præcepti positiui. Idem constat de Cajetano 1.2. quæst. 76. art. 4. vbi de peccato ex ignorantiâ quod

speciem sumit ex objecto malo, ad quod conuertitur. Affert exemplum Pauli Ecclesiam persequentis, quem constat peccasse ex ignorantiâ voluntariâ, contra ius diuinum positiuum. Hoc euidentius est de Innocentio III. damnante Simoniacum, qui nesciebat, id quod egerat Simoniacum esse, non habitâ ratione ignorantiæ eius, quia erat voluntaria, & vt inquit Glossa, poterat consulere peritiores. Non alio sensu loquitur Aristoteles, & Diuus Thomas in illum locum libri Ethicorum, vbi S. Doctor notat ex Philosopho, iuris ignorantiam non efficere inuoluntarium, quod censeatur prouenire ex negligentiâ addiscendi, quæ scire nos oporteat. D. Bernardus Epistolâ citatâ agit de ignorantiâ iuris positiui, seu Baptismi ex præcepto suscipiendi, & docet ante Apostolorum prædicationem, nullius peccati reos fuisse, qui ad Baptismum non accessissent; quamuis tum Christus dixisset Nicodemó, nisi quis renatus fuerit ex aqua &c. Ad D. Augustinũ qui videtur apertius fauere aduersario, respondet ad sextam & ad nonam objectionem, si ignorantia damnetur à Concilio Diospolitano, id intelligendum esse de ignorantiâ inuoluntariâ pœnali, quæ facta sit inuincibilis, errantis culpâ, qualis est perditissimorum hominum, quibus supercecidit ignis concupiscentiæ, nec ab vllo genere scelerum abstinent, ex quo fit, vt non videant solem iuris naturalis, qualis fuit ignorantia Gentilium voluntaria saltem in causâ, quia liberè prolapsi fuerunt in peccata, quæ in pœnam consecuta est cæcitas mentis: ideo prudenter monet responsione ad decimum, vix Augustinum admittere iuris naturalis ignorantiam inuincibilem, non quod nulla sit, sed rarissima, & ideo censurâ dignos dicit eos, qui huiusmodi ignorantiam longius quam par sit extendant, & velint eâ excusari iuniorum mollitiem, & actus turpes, quorum tamen illos puderet, si conscium haberent virum grauem.

Sed erudita prorsus est responsio ad decimam tertiam objectionem, quam ita explico: eorum quæ contra jus naturale admittuntur citra mali cognitionem certam, probabilem, aut ad minus dubitationem aliquam, tres gradus distinguendi sunt. Primus eorum quæ fiunt ex ignorantiâ omnino inuincibili, vt cum quis scit se hominem occidere, alienâ vxore vti, loqui præter mentem; sed putat se bene agere, vel nulla ei cogitatio in mentem venit se male

agere, aut ignorantia laborare: Secundus gradus est eorum quæ fiunt ex ignorantiâ vincibili, ortâ à negligentiâ addiscendi quæ pertinent ad officium, & jus naturale; huius ordinis actus conueniunt cum superioris actibus, quod is à quo fiunt, sciat quid agat, sed nesciat se malè agere: hoc tamen differunt quod cum huiusmodi ignorantia proficiscatur à negligentiâ voluntaria, referenda sit ad genus mali moralis, ac proinde ad aliquam speciem peccati sint reuocandi, cum ea quæ sub genere sunt ad aliquam speciem pertineant. Tertij denique gradus sunt ij actus, qui ab ebrio aut furioso proficiscuntur, qui dum mentitur, occidit hominem &c. nec scit an male agat (quo cum superioribus conuenit) sed nequidem scit quod agat (quo ab illis differt) hoc tamen habent proprium, vt sint voluntarij ad minus in causa, si ebrietas & furor eligantur, atque hac ratione conueniant actus postremi, cum actibus secundi generis, quos veluti in medio, positos constituit P. Mercorus; cum prioribus vno conueniant, differant altero: similis est cum postremis collatio, conueniunt genere entis moralis, à voluntario in causâ differunt, quod illi fiant cum objecti cognitione, qua isti careant.

His ita constitutis, duplex emergit grauis difficultas, quarum vna pertinet ad morum & vitæ regulas, altera ad Scholæ disputationes & subtilitates. Prima quæstio est, quinam horum actuum pertineant ad genus mali & peccati. Et iam responsum est, actus primi gradus esse extra genus mali moralis, quo contineantur actus 2. & 3. gradus. Altera quæstio subtilis magis quam necessaria est, ad quam speciem peccati reuocetur mendacium, homicidium, adulterium ex ignorantiâ vincibili. P. Mercorus ad hæc duo respondet; primum probabile esse, vtriusque gradus peccata quæ sunt voluntaria tantum in causa, reuocari ad speciem ebrietatis, aut negligentiæ addiscendi quæ sunt necessaria; & rationem homicidij esse tantum circumstantiam grauantem; quia non est directè volita: quod tamen ex communi sententia Theologorum necessarium est, vt actus speciem boni aut mali sumat ab objecto. Ideoque asserunt peccatum illius qui ex sola libidine mulierem trahit ad fornicationem, speciem esse peccati luxuriæ non scandali, quod sit circumstantia peccati fornicationis, quia casus mulieris in peccatum, est tantum indirecte volitus.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [388] - 308
PUBLIC DOMAIN

Cajetanus tamen 1.2.quæst citata, docet huiusmodi actum impudicitiæ ex ignorantia vincibili, speciem sumere ab objecto, in quod fit conuersio; quia scit se alienâ muliere vti. Sed vt obseruat P. Mercorus Cajetano addictissimus, ita obscurè loquitur, vt magis commentario egeat quam textus Diui Thomæ; & cum eadem difficultas recurrisset 2.2.quæst. 53. art. 3. vbi versat quæstionem de viro alliciente mulierem ad peccatũ ex solo motiuo libidinis, an huiusmodi peccatum pertineat ad speciem scandali, aut fornicationis; contra morem, à difficultatis resolutione abstinet, his verbis modestissimis: *In hoc dubio libenter essem discipulus; quoniam docere, nec me, nec alios noui.* Hinc videat Anonymus (inquit P. Mercorus) quam difficile sit actum ex ignorantiâ inuincibili contra jus naturale admissum, ad determinatam speciem peccati reuocare; quandoquidem Cajetanus hæret, nec audet quidquam statuere, de errore & actu ex ignorantiâ vincibili profecto, qui tamen verius possit ab objecto in quod fertur, speciem sumere, quam actus, qui existit ab ignorantiâ inuincibili; quæcunque enim tandem sit, seu juris positiui, seu naturalis, seu actus sit prohibitus, quia malus, seu malus, quia prohibitus; qui actum elicit, scit quid agat, nec tamen volunt sumere speciem ab objecto, nisi prohibitum sit, quia malum: ergo male cohæret illorum principiis, quam statuunt distinctio inter actus iure positiuo, aut naturali malos. Nostra explicatio huiusmodi distinctionis apertior & facilior est, nec puto à mente Augustini alienam; quæ contra jus naturale admittuntur, vix excusari ignorantiâ, quia illorum turpitudo non potest nos latere, cum conscientia, huiusmodi peccatorum reos continuo stimulet, & nisi affectus inordinatissimi perstrepant, huiusmodi reprehensiones conscientiæ audiantur à pertinacissimis quibusque; juris vero positiui notitia obscurior sit, & minus firma, & interdum nulla: atque his satisfit vltimo argumento Anonymi.

PARAGRAPHVS TERTIVS.

Concluditur argumentum à teſtimoniis Patrum, & alia ad idem loca adduntur.

QVÆ ſuperiori Paragrapho proſecuti ſumus, præiudicia à ſilentio Sanctorum Patrum de hâc controuerſiâ, ab aduerſariorum diffidentiâ, qui negent hic eorum iudicio ſtandum, & ab iis quæ ſtatuunt de peccato ignorantiæ contra Pelagianos, quouis loco efficacius conuincunt, apud illos, nullam opinionem probabilem, tutam pro libertate, ſi contra ſtet pro lege, nedum maior aut par probabilitas, ſed penè vlla dubitatio ſuboriatur, ne falſa ſit huiuſmodi opinio, quæ fauet commodo & voluptati. Et ad illum ſenſum innumera habent S. Patres de ſtudio veritatis, de metu ac periculo falſi, in ijs quæ ad ſalutem & mores pertinent. Ea tamen putat Caramuel ſe facile interpretari, & quæ inde depromimus argumenta, ſoluere ſuâ illâ diſtinctione duplicis veritatis virtualis & formalis; & primo genere veri, omnem opinionem probabilem dici veram, quia ita omnino ſe habet; ac ſi eſſet vera, quo ſenſu Imago non diſtinguitur à Prototypo, procurator eſt ipſa perſona principalis, hoc nomine Proconſul, Prorex eſt, Conſul & Rex, addere poterat apud Sacramentarios Euchariſtiam non minus à naturali Chriſti corpore remotam, quam à Cœlo terram, eſſe corpus Chriſti veritate virtuali, eodem iure quo aſſerit, opiniones quamlibet falſas, probabilitate tectas, eſſe ipſam veritatem. Vnde hâc controuerſiâ Caramuel Sacramentarios imitatur, & eâdem certe, ac ſimili diſtinctione, loca Scripturæ ac Patrum detorquet; quâ ſolent Sacramentarij. Quare cum Chriſtus dicitur eſſe, *via, veritas & vita*, cum denunciat futuros Adoratores *in ſpiritu & veritate*, cum omnes viæ Dei aſſeruntur eſſe ipſa veritas, quam boni eligant, à qua praui recedant, ſuam habet in promptu diſtinctionem, de veritate virtuali, quæ nulli opinioni probabili quamlibet falſæ deſit.

Sed ea interpretatio, aut cauillatio aliena eſt omnino à mente SS. Patrum, & omiſſis aliis tria loca ex Auguſtino

proferam, & Stubrochij, aliorumque responsiones ad illa expendam. Primam habet Epist. 134 *Si quis*, inquit, *bonum putauerit esse quod malum est, hoc putando, vtique peccat: & ea sunt omnia peccata ignorantiæ, quando quisque bene fieri putat, quod malè fit*; Vnde Gratianus quæst. 5. *Ignorantia iuris naturalis omnibus adultis damnabilis est.* Sed nihil sibi timet Stubrochius ab illâ objectione; quin potius censuram in aduersarios intorquet; quasi hæresim doceant. Sed hanc notam semouimus, discrimine constituto inter ignorantiam iuris positiui & naturalis, quod ista vix vnquam careat remorsu conscientiæ, aut aliquâ dubitatione, nemalum sit quod admittitur in jus naturale. Si igitur huiusmodi ignorantia damnabilis fiat minimo conscientiæ remorsu, quem praua consuetudo fere extinguit; quid statuisset Augustinus de his quæ perpetrantur aduersus jus naturale, conscientiâ, ex opinione probabiliori reclamante?

Secundus locus sumitur ex lib. 1. cap. 5. de Baptismo contra Donatistas, vbi damnat eos qui ex opinione minus probabili contra probabiliorem agunt, in his etiam quæ sunt juris positiui; *Sacrilegio Schismatis* (ait) *vulnerari eos, qui per ignorantiam baptisantur apud Donatistas, arbitrantes penes ipsos esse Ecclesiam Christi.* Idem habet Epist. 203. vbi Donatistas damnat quod rebaptisarent; quamuis ignorarent id nefas esse, immo probabiliter putarent esse licitum: non dubitanter tamen eos peccare asserit, cum id facerent, quia facile scire poterant se errare.

Sed apertissimus locus est libro 3. contra Academicos cap. 16. vbi Academicorum hanc esse sententiam & mentem docet: *Cum agit quisque, quod ei probabile videtur, non peccat, nec errat.* Hæc ipsissima est Caramuelis doctrina. Quid veto ad eam Augustinus? Latè probat si semel recepta sit, omnia crimina probari, quia nullus est reproborum, cui non sit probabile quod perpetrat crimen, licitum esse. Ad hoc responderi potest, primo ex Stubrochio ad sextum contrarium VVendrochij, aliud esse videri probabile, aliud re vera esse probabile; & posse contingere vt nullum sit adeo atrox scelus; quin ex ignorantiâ vincibili videri possit probabile, non tamen re ipsa sit. Quæ solutio illustrari potest definitione probabilis opinionis, ex

P. Ferrerio ſuo opuſculo eleganti Gallico idiomate ſcripto de probabilitate opinionum, cuius à paucis diebus copiam habui. Opinionem vero probabilem definit, non quamcumque veriſimilem, quæ vt ſupra diximus, habeat à ſe, vel ab authoritate extrinſecâ, vim impellendi ad ſui aſſenſum mentem in aliquâ caligine conſtitutam, quæ euidentiâ veri careat; ſed eam quæ validis rationibus fulta, nihil habeat diſſentaneum à Fide, à Scripturâ, à Conciliis, à definitionibus Pontificum, à conſenſu Patrum & Doctorum. Primam Stubrochij reſponſionem pluries refutauimus, & demonſtratum eſt, probabilitatem nihil aliud eſſe, quam veriſimilitudinem & ſpeciem quandam, cui forte ſubſit ipſa veritas, quamuis incertus ſis, ita rem ſe habere; & maxima probabilitatis vis eſt ex ipsâ ignorantiâ, quod veritas non ſit nobis comperta & conſpicua; ac proinde probabilem eſſe, ſiue vni, ſiue multis, & probabilem videri, nullâ ratione, ſolis verbis diſtingui: & niſi ſolidam demonſtrauerit inter hæc duo differentiam, leuior ſane erit ad grauiſſimum Auguſtini locum reſponſio, repetita à ſubtili, ne futili dicam diſtinctione. Quia rerum quæ totam vim habent ex ignorantiâ noſtrâ & veri ſpecie, apparere & eſſe, idem prorſus eſt, & hæc eſt ratio, & natura probabilium.

Solidior videtur altera ex P. Ferrerio argumenti ſolutio; ſed ſi propius inſpiciamus definitionem relatam, videtur ipſius Authoris conſilium euertere. Hoc enim caput eſt totius controuerſiæ, cuius causâ hoc opuſculum edidit, & aliud majus pollicetur, an opinio pro libertate tuta ſit, ſtante aduersâ pro lege, paris aut majoris probabilitatis. Huius enim quæſtionis explicatio, futura eſt baſis totius Theologiæ, & regula vitæ humanæ ac Chriſtianæ. Demus igitur definitionem legitimam eſſe (quam diminutam & mancam eſſe ſtatim probabo) nihil nobis officiet, ſed potius hactenus dicta confirmat, & aduerſariorum fundamenta conuellit, in hoc vno poſita, opinionem ſtantem pro libertate tutam eſſe, quamuis ſit minus probabilis: Atqui hanc aſſertionem, quæ aduerſariis puppis & prora eſt, omni genere argumentorum, monſtrauimus debilibus fultam eſſe, validiſſimis labefactari rationibus, repugnare principiis actionum moralium, inſtituto officiorum vitæ humanæ & Chriſtianæ, diſſentaneam eſſe à Scriptura, à

Traditione, & à S. Patribus, & ſtatim probaturi ſumus, nihilo melius conuenire cum Canonibus Pontificum, & cum placitis antiquorum Theologorum; ergo definitio inſtituta opinionis probabilis, non cadit in eam quæ propugnatur, quaſi ſumma & cardo opinionum probabilium.

Deinde multa deſiderãtur in hâc definitione, neceſſaria ex legibus ad recte definiendum præſcriptis, illud maxime vt definitio conſtet cõmunibus nominibus, & notionibus receptis apud omnes, quibuſcum ex illâ diſputandum eſt: Atqui ex definitione probabilitatis, ineunda eſt diſputatio, non ſolum cum Catholicis, apud quos maxima eſt authoritas Patrum, Pontificum, & nonnulla etiam Theologorum; ſed etiam cum hæreticis, qui illos nullo loco habent. Nec ſolum nobis agendum eſt, cum his qui Chriſtiano nomini adcenſentur, & ſcripturæ ac fidei maieſtatem reuerentur, aut ſaltem communia nobiſcum nomina retinent, apud quos omnes, probabilitatis definitio, à conſenſu, aut ſaltem non diſſentione fidei, & Scripturæ repetita, hoc nomine probari poterit. Sed quid fiet Philoſophis Ethnicis, quibus cum de vltimo fine, de virtutibus & officiis, de vera religione pugnandum eſt; qui tamen fidem Scripturam, Concilia, & Patres abiiciunt & rident? Cudenda erit ſine dubio alia probabilitatis definitio, quæ latius pateat, quam hæc ex fidei & Conciliorum nominibus confecta; quam neceſſe ſit, prælucere ad ipſiuſmet fidei, & Scripturæ delectum, aut repulſam, ad authoritatem patribus conciliandam, aut abrogandam. Hanc definitionem nos præſtitimus, & ab aduerſariis hactenus fruſtra expectauimus: nec iſta melius aliis, noſtræ expectationi reſpondet; quin eo minus ſatisfacit, quod ſit arctior, & ad ſummum alicui poſſit vſui eſſe inter Catholicos: nam alia conficienda eſt, ſi cum heterodoxis pugnemus. Neque certamen hoc detrectandum eſt cum illis, qui hominem alicuius finis conſequendi gratiâ conditum, legibus ſubiici, ad officia præſtanda, ac ſectandum honeſtum, & vtili anteponendum teneri non negauerint. Et cum neceſſariis & demonſtrationibus, vbique agere non ſit nobis datum, immo rariſſime & nullibi (ſi Caramueli fides ſit) huiuſmodi argumentorum genera adhiberi poſſint; conſtituenda eſt difinitio probabilitatis, quæ non minus

latè pateat, quam disputatio de finibus bonorum & malorum, de officiis, de religione & Fide Christiana: ad quem vsum inutilis est ista definitio; & quam nos huc vsque propugnauimus de opinionis tutæ, seu negatiuè, seu positiuè, ad quemlibet propositum honestum finem, seu intermedium seu vltimum consequendum, à nobis constituta notio efficacissima. Nam, vt hoc etiam addam argumentum satis graue; licet huiusmodi definitio videatur fidei vnius rationem habere, ne quid illi diuersum, aut minus consonum inuehat opinio, vt sit probabilis, non melius consulit authoritati fidei, quam animorum immortalitati, nupera aut nouantiqua Carteſij & Gaſſendi Philoſophia, ex Epicuro, Democrito, & Lucretio interpolata, quæ omne genus formarum & generationum ſubſtantialium, à naturâ iubet exulare, additâ frigiſſimâ exceptione generationis humanæ, & animæ rationalis, cui videri volunt, vim & locum aſſerere formæ ſubſtantialis, ne in totum pereat, diſſolutione atomorum aut partium materiæ, quibus omnia conſtare volunt. Sed quis non videat hac noua philoſophandi ratione, occludi potius quam parari & muniri, viam ad animæ immortalitatẽ, & ſubinde ad Poſthumam felicitatem ac pœnam æternam? neque enim vllam nouimus ſpeciem, quæ nullo genere contineatur. Quid ergo fiet animæ rationali, cui formæ ſubſtantialis, vi generationis in corpus humanum inductæ, & poſt eius diſſolutionem ſuperſtitis, vim & rationem vindicant, cum huiuſmodi formarum genus, & generationum ſubſtantialium, inter figmenta Ariſtotelis reponant, & Atomos, ac materiam, quibus omnia concreta volunt, aſſerant completa eſſe corpora incorrupta, ac proinde inepta ad conficiendum, quod vocamus ens per ſe, conſtans materiâ & formâ quaſi partibus incompletis?

Quamuis nolim paris eſſe periculi hanc definitionem probabilis opinionis, cum illâ Philoſophiâ nouo antiquâ; video tamen hoc commune cum illâ habere, quod ordine præpoſtero ſpeciem conſtituat, tacito aut negato genere. Velim igitur mihi diffiniri opinionem probabilem; quæ latius pateat quam fidei authoritas, ad ipſammet fidem confirmandam. Et ne videar exigere ab aliis, quæ in nobis deſiderantur, & imponere humeris illorum onera grauia, quibus ipſe ſuccumbam, aut quæ nolim digito

mouere, consulat lector quam sect. 3. tradidi methodum, disputandi ex probabilibus, quæ fidei antecedat authoritatem, quâ cum hæreticis, cum Atheis pugnemus, & quâ ipsa fides defendenda est, non in argumentum trahenda. Hoc non efficit quam expendimus definitio, obnoxia contemptui omnium Doctorum, præter forte Catholicos, immo nec Catholici approbabunt.

Dices has obiectiones cauillos esse, aut vitiligationes, exceptâ prima; & malâ fide nos huiusmodi definitionem interpretari; cum obuius sit illius sensus satis legitimus. Notionem communem opinionis, quâ humana & naturalis est, his verbis exprimit, quod sit iudicium firmum, grauibus rationibus fultum, cuius falsitas nequeat ratione naturali demonstrari, nec illius assensus, aut vsus, ab vllo sapiente improbari; speciatim vero quâ opinio probabilis est inter Christianos, designat per conuenientiam ad fidem, ad Patres, aut saltem per non dissentionem ab illis.

Quid in hâc diffinitione sic explicata desiderari potest? omnia ad legitimam diffinitionem necessaria: & pluribus vitiis, quam prior interpretatio hæc secunda laborat. Coincidit enim hæc explicatio cum definitione P. Fabri & Stubrochij, qui opinionem probabilem definiunt, per assensum prudentem, idest, in definitione ponunt, quæcumque sunt controuersa & probanda, quæcumque negantur à Theologis, & Sanctis Patribus. Quare hæc interpretatio iisdem euertitur argumentis, quibus dissertat. 1. sect. 2. pugnauimus contra P. Fabri. Sed non videtur distinguere P. Ferrerius opiniones probabiles speculatiuè & practice, putat opinionem quamcunque re verâ probabilem, coincidere cum tutâ quacunque, seu negatiue seu positiuè, quæ tamen toto genere differre demonstratum est. Nam probabilitas ex se indifferens est, ad verum & falsum, ad bonum malumque, & ideo similem diximus hederæ, quæ humi iaceat oporret, & in malum ac falsum feratur, fere perinde ac notitia, & conscientia dubia, nisi aliquo sustentetur. Illud vero legem esse diximus, honestum officium, finem vltimum, cui quandiu fauet probabilis opinio, tuta est, id est, caret omni periculo aberrandi à præcepto, à fine, vel à mediis ad finem consequendum necessariis. Si author definitionis ex illâ, proba-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [395] - 315
PUBLIC DOMAIN

bilis opinionis ad legem, & finem conuenientiâ, sumat quod illi asserit tanquam genus, *firmum iudicium*, illi assentimur; sed nouerit se opinionem probabilem, quâ tuta est definiuisse, non secundum totum ambitum, & quâ latè patet probabilitas. Si ex ipsâmet probabilitate, aut in illam reflexione, asciscat huiusmodi securitatem, nullâ attentâ ratione conuenientiæ ad legem, contra hanc interpretationem pugnant quatuor genera argumentorum, quæ hactenus prosecuti sumus, & omnes Theologi Philosophi & Patres reclamant, sed præ omnibus D. Bernardus libro 5. de consideratione cap. 2. vbi elegantissime comparat opinionem intellectui, seu scientiæ & fidei: scientiæ euidentiam seu veritatem conspicuam, fidei certitudinem & veritatem clausam vindicat, opinioni relinquit verisimilitudinem, cum formidine falsi: & P. Ferrerius vult ex suo genere, esse firmum iudicium, forte quod ex illâ possimus agere prudenter: sed hoc illi commune est, cum cognitione etiam dubiâ, qua non solum licet, sed etiam necesse est interdum agere, ex regulâ eligendi è duobus malis minus, & arcendi majus. Ita probabilitati securitatem asserimus non innatam, sed ascitam à conuenientiâ ad legem, quæ certos nos facit, si tum illi adhæreamus nos in viam salutis induci, non ab illâ abduci, nullum saluti impedimentum apponere, sed media ad illam consequendam adhibere. Probet à se habere huiusmodi bona probabilitatem, & tum permittemus definiri per judicium certum: plura de hac definitione & de illi annexis sect. sequenti.

ARTICVLVS TERTIVS.

Expenduntur testimonia vtriusque juris, pro delectu opinionis tutæ.

QVÆ ad hunc locum pertinent, fere omnia occupauimus sect. 3. vbi multa ex P. Mercoro collegimus, de duplici Iuris regulâ, Ciuilis vnâ, possidentis conditionem potiorem esse, si æquo alias iure cum aduersario pugnet; iuris Canonici alterâ, in dubiis tutiorem partem esse eligendam. Probabilistæ præcipuum suæ causæ præsidium

ponunt in ſuperiori regulâ, quæ licet apud Iuris Ciuilis authores, vel interpretes, valeat tantum in foro iudiciali, cum contenditur de iuſtitiâ commutatiuâ, commodum putarunt extendi ad forum conſcientiæ, & ad quodcunque genus virtutis. Inde enim putant, beneficio huius regulæ, ius poſſeſſionis nobis aſſeri contra legem Dei, ſi præcepta legis vel minimam difficultatem patiantur, nec ſenſus fuerit ſole meridiano clarior. Idem enim putant, in legum interpretatione obſeruandum, quod in iudiciis capitis ſancitum eſt; ne vnquam damnetur reus, niſi confeſſus, aut conuictus, criminis luce meridianâ clarioris; atque ita omnes à legis iugo & onere eximunt, niſi vis præcepti cuiuſcunque, ſit extra omnem dubitationem poſita: idque ex Iuris regulâ quæ fauet poſſidenti. Alteram ex Iure Canonico multis locis repetitam, quâ ſentiunt ſuam cauſam iugulari, de tutiore parte in dubiis eligendâ, infinitis deprauant corruptelis, quas omnes collegit Caramuel Apologematis num. 100. Vult Textus illos conſulere non præcipere, & ſi præcepti vim illis vindices, contendit aduerſari conſuetudinem, quæ conſilia eſſe definit non præcepta; & ſi præcepta eſſe gratis concedat erunt pontificia, quæ nullos hominum aſtringent, præter Catholicos: & ne hos quidem omnes; eximuntur enim à Iure Canonico multæ orbis Chriſtiani Prouinciæ. Et addit vnum, quo vniuerſa quæ aſſerimus, ait diffiari; Prouinciarum nullam, his canonibus aſtringi, quos vt Concilia non vt præcepta receperint. Si dicas hos Canones non conſulere, nec præcipere, ſed definire aut declarare quid facto opus ſit in rebus dubiis, & ſummos Pontifices, quaſi iuris diuini Interpretes, ſtatuere ex lege naturali, cum ſalutis periculum imminet, partem tutiorem eſſe eligendam, omiſsâ quâcunque probabili quæ à lege eximat: ſed cum ius naturale Decalogo contineatur, petit quâ parte Decalogi legatur, *Probabilem ſententiam ne ſequuntor*, aut *ex quo Decalogi præcepto legitimâ & neceſſariâ conſecutione inferatur, probabilem pro lege ſententiam ſequendam eſſe, prætermiſſa opinione pro libertate.* Hæc ſumma reſponſionum eſt Caramuelis, aduerſus hoc ineluctabile argumentum, quod armis P. Mercori hactenus munitum, ex D. Fagnano confirmabimus & illuſtrabimus.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [397] - 317
PUBLIC DOMAIN

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Duarum Regularum Iuris verus ſenſus, pro delectu opinionis tutæ deffenditur, contra recentiorum interpretationes.

QVOD præfati ſumus ad hoc tertium teſtimoniorum genus ex vtroque jure, & à duabus regulis inde depromptis, argumento eſt, quam immerito Caramuel, hanc de probabilitate controuerſiam Theologis ac Philoſophis vindicet, & alienam putet à iuris Ciuilis & Canonici Doctoribus: certè cum à legitimo duarum iuris regularum ſenſu pendeat, qui magis trahendus ſit à Summorum Pontificum mente & Canoniſtarum peritiâ, quam à Theologiæ aut Metaphyſicæ ſubtilitatibus, æquo animo feret Caramuel, ſibi D. Fagnanum vtriuſque iuris conſultiſſimum anteponi.

Ille igitur quæſt. 2. concluſione 2. (cuius hic probationum ſummam & deffenſionem damus) ſtatuit apud ſacros Canones, in re morali, cum vertitur ſalutis periculum, ex præcepto ſequendam partem tutiorem, eſſe apud ſacros Canones, veluti quoddam Axioma, quo vno infinitæ dirimantur quæſtiones; quarum aliquot colligit: primam in c. *ad audientiam de homicidio*, vbi agitur de homine vulnerato à ſacerdote, & ſubinde mortuo, cum dubitatione an ſecuta ſit mors ex vulnere, & alteram in c. *ſignificaſti* eodem titulo, de homine mortuo quidem ex vulnere, ſed ambigitur, an illatum fuerit à ſacerdote. Ad has duas quæſtiones, vna eſt reſponſio Canonum ex noſtrâ regulâ, abſtinendum Sacerdoti à miniſterio ſacrorum Ordinum, quia laborat aliquâ ſuſpicione aut dubitatione homicidij, & in hoc caſu ceſſare ſit tutius, quam temere celebrare. Quæ reſponſio confirmatur c. *petitio* eodem titulo. Eadem eſt reſolutio in c. *ſi quis* poſitus de pœnitentia diſtinct. 7. vbi Auguſtinus ait, vis ergo à dubio liberari? vis quod incertum eſt euadere? &c. Age pœnitentiam dum ſanus es. Et eadem diſtinctione in c. *ſi quis autem*, ergo tene certum, dimitte incertum.

Et ne quis credat hanc regulam de tutiori parte eligendâ,

cum quæstio est de homicidio, in pœnam illius sæuitiæ, quòd maxime abhorreat à lenitate condignâ ministrorum Christi, vt interpretantur Suares & Sanches, ex eâdem regulâ resoluitur quæstio cap. *Iuuenis de sponsalibus*, quo vir qui contraxerat matrimonium cum puellâ nondum septenni de quâ dubitabatur an esset viripotens, jubetur separari ab eiusdem puellæ consobrinâ, quam duxerat in secundam vxorem; & huius canonis ratio, nititur nostrâ regulâ, in iis quæ dubia sunt, quod certius est, tenere debemus. Inde etiam dirimitur grauis controuersia in c. *illud* de Clericorum excommunicatione quo iubetur deponi Episcopus, qui in dubio iuris, an sententia excommunicationis lata à delegato, non præmissâ monitione & ante intimationem liget, si ab officio non abstinuerit & huius pœnæ causa repetitur, quod in dubio illo juris, non elegerit partem tutiorem. His canonibus adde alium in Clem. *Exiui*, quâ respondetur Fratribus Minoribus consulentibus sedem Apostolicam, an teneantur sub præcepto mortalis peccati ad ea obseruanda, quæ regulæ D. Francisci inseruntur verbo imperandi, negatiue aut affirmatiue appositò; quibus ex eâdem regulâ respondet, in his quæ animæ salutem respiciunt, ad vitandos graues remorsus conscientiæ, partem tutiorem esse tenendam.

Ex hoc vno canone supra præclusimus omnes recentiorum interpretationes, quibus hæc Pontificum testimonia eleuantur. Imprimis apertum est hos canones, non consulere tantum, sed præcipere: tum quia habent verba imperandi & ligandi, pars securior est tenenda, &c. tum etiam quia præscribunt pœnas, quales sunt depositio Episcoporum, à Sacris suspensio, quibus negligentia præcepti, non consilii puniri solet. Nec dicas Ecclesiam hodiernam dissentire ab antiquâ: immo vtraque eidem regulæ firmissime adhæret, ideo sacra Congregatio Concilii dubio Vicarij Viennensis, an constitutus in minoribus Ordinibus de Baptismo dubitans, iterum baptisatus sub conditione, deberet etiam in ordinibus susceptis ministrare, aut ab integro ordinari, respondit debere iterum illi Ordines conferri sicut baptismum, & alia Sacramenta dubia, excepto matrimonio, pro quo præsumendum est c. *si quis acceperit* 33. quæst. 1. & c. *quia*, inquit, *sine omni periculo est, si sacramenta illa iterentur, quo non careret matrimonium, si iudi-*

caretur deesse vbi est. Ergo nullâ exceptâ materiâ, in dubio pars tutior eligenda est ex præcepto, periculi salutis quod impendet, euitandi causâ. Ex iisdem locis refellitur ratio, qua aduersarij fulciunt primam responsionem, hos canones consilia esse non præcepta, quod qui possidet ius libertatis & famæ, non debeat ex solo dubio, quasi reus his bonis spoliari. Nam contra sanciunt Canones, qui deponunt Episcopum, quamuis potiretur libertate communicandi cum fidelibus, quod in dubiâ excommunicatione non abstinuerit à diuinis, nec se gesserit aut reputarit, quasi excommunicatum. Cap. etiam *significasti*, ex dubio homicidio interdicitur Sacerdoti à ministerio altaris, non habitâ possessionis ratione, quæ si attendenda esset, vix vnquam tutior pars esset eligenda: atque ita præceptum hoc, tot canonibus confirmatum esset, vt inquit Baldus, ludibrio expositum.

Iisdem locis valide excluditur secunda interpretatio Suaris, regulam de tutiori parte eligenda, locum habere, si dubium sit facti, secus si sit iuris. Sed præter quod nulla huius differentiæ causa afferri potest, aperte contra illam pugnat c. *illud*, de Clericorum excommunicatione, vbi deponitur Episcopus, quod in dubio iuris, non sit secutus partem tutiorem: & hoc euidens est ex responsione Clementis ad Franciscanorum dubium, quod omnino iuris erat. Et hoc argumentum confirmat D. Fagnanus ex Scoto in 4. dist. 3. quæst. 2. vbi has tres regulas in dubiis statuit, primam si possibile sit, tutissimam viam esse eligendam: secundam, si id fieri nequeat, tutissimæ proximam: Si ne id quidem liceat, 3. regula est, caute supplendum, quod impossibilitas prohibet.

Inde etiam refellitur 3. huius regulæ interpretatio ex Suare & Sanches, qui restringi volunt ad solum homicidium, quod præ omnibus aliis sceleribus abhorreat à ministro sacrorum. Sed voluntaria omnino est huiusmodi interpretatio, nec resipit grauitatem & eruditionem horum authorum: quia est aperte contra plures canones, qui delectum tutioris partis sanciunt extra homicidium, vt in matrimonio. C. *iuuenis* de sponsalibus, in Baptismo cap. *paruuli*, &c. & consentanee ad antiquos canones, sacra Congregatio concilij, quærentibus an furiosus per interualla, subdiaconatu initiatus, adstringeretur voto castitatis

ſtitatis, reſpondit ita eſſe, ſi compos ſui ſuſcepit ſacrum ordinem, ſin minus, non teneri hoc voto; at ſi ambigeretur an tum ſani capitis eſſet, ſeruandum illi Cœlibatum; quia in dubiis pars tutior eſt eligenda. Er ſane ſi hæc regula non haberet locum extra iudicium homicidij, ex hoc ſingulari capite quod præ omnibus aliis peccatis, male conueniat cum ordinibus ſacris, fuerat ſine dubio inſinuanda hęc ratio, quam volunt vnicam eſſe decreti & pœnæ homicidij. Sed alia ſunt omnino Canonum verba, ac proinde diuerſa mens Pontificum, qui cauſam delectus partis tutioris, aſſumunt ex periculo ſalutis; quod cùm majus impendeat ex aliis certis criminibus, quam ex dubio homicidio ex Canonum interpretibus, vbicunque vrget graue periculum ſalutis, cenſetur caſus à iure expreſſus, de tutiori parte eligendâ, ex aliâ Canoniſtarum certâ regulâ, cum agitur de ſecuritate animæ; leges etiam pœnales, benignas cenſeri, ac proinde extendendas, non reſtringendas, & ad ea omnia pertinere, quibus ratio legis ſubſit, id eſt periculum ſalutis cauendum, quod vbique cauſantur Pontifices, qui huiuſmodi conſtitutiones condidêre.

Confirmari & illuſtrari poſſunt, quæ hactenùs diximus, argumento Ioannis à S. Thoma diſp. 12. in 1. 2. art. 4. quo euidenter demonſtrat, delectum tutioris partis non conſuli tantum, ſed præcipi; quia, inquit, Canones aliquid ſingulare ſtatuunt neceſſarium in dubiis ad ſecuritatem ſalutis, & tranquillitatem conſcientiæ deponendæ, ſi dubia ſit, ſedandæ, ſi anxia ſit, quod tamen non vrgeat in rebus certis; atqui conſilio locus eſt, cum res vtrinque certæ ſunt & tutæ; vt cum Cœlibatus anteponitur Matrimonio, cum à carnibus abſtinetur, quibus licet diebus veſci; Ergo in dubiis, cum ſalutis periculum inſtat, non ſolum conſulitur, ſed etiam præcipitur delectus tutioris partis neceſſarius, vt ſaluti & conſcientiæ conſulatur.

Hinc etiam refelluntur reſponſiones & argumentationes Caramuelis, qui hoc maximè vrget, ſi regula de delectu tutioris partis ſit præceptum, cuius ſit generis? Reſpondeo partim eſſe iuris poſitiui, partim naturalis, nec omnino diſſimile Moſaycæ legi, quam Theologi diſtinguunt, vt jus naturale continet Decalogo, & vt nouis præceptis, pœnis, ac præmiis, illud ſancit obſeruandum. Sub hoc vltimo reſpectu, habet vim legis poſitiuæ, ad Iudæos per-

tinebat tantum, ſolis circumciſis imperabat, qua ratione à Chriſto ſublata fuit: ſub priori vero reſpectu, æterna eſt, nulli mutationi aut diſpenſationi obnoxia: nullum genus hominum eſt, qui eius effugiant poteſtatem, nequidem ex vlla ignorantia inuincibili, ſi magis Auguſtino, quam Caramueli credendum. Quod de lege Moſayca dictum, idem ſtatuimus ſeruatâ proportione de Pontificiis canonibus. Eſto vt regulæ de tutâ in dubiis parte eligendâ pœnas addunt; abrogari poſſint, ſolos Catholicos, nec forte omnes ligent, multi jure, vel iniuriâ dicant, ad ſe nihil pertinere; tamen vt definiunt aut declarant ius naturale, quod volunt hac regula contineri, de tutiore parte deligendâ, nullus hominum magis eximitur, quam à præceptis Decalogi; quæ licet vt à Moyſe tradita, & in tabulis lapideis ſcripta, ſolis loquerentur Iudæis, tamen vt inſcripta cordibus hominum omnes adſtringunt, nulla malitia aut ignorantia deleri poſſunt, nec mortalium vlli licet obtendere ab illis immunitatem. Sed quærit Caramuel, qua parte Decalogi contineatur *probabilem pro libertate opinionem contra legem ne ſequuntor.* Reſpondeo eadem haberi, qua hæc ſyndereſeos principia: Ne aliis facias, quod tibi fieri nolis, ne ex conſcientia dubia quidquam agas, cum incertus es, rem lege prohibitam. Non poteſt negare Caramuel, quin hæc poſtrema regula, jure naturali contineatur, & cum vix digito diſtet à conſcientiâ dubiâ, opinio probabilis pro libertate, reclamante probabiliori pro lege, immerito quærit, quâ parte Decalogi habeatur regula, de tutiore ſectanda. Neque enim ignorat, Decalogum quid medium eſſe inter ſuprema & communiſſima ſyndereſeos principia, & poſtremas ac infimas inde deductas concluſiones: ac proinde ſicut iſtas non requirit in Decalogo, ita nec ſuperiores partes debet exigere, ſibi expreſſis verbis monſtrari, niſi fortè hoc nomine, quod Deus ſuper omnia diligendus, non habeatur vllo è decem præceptis Decalogis, & inde illis Theologis aſſentiatur, qui in totum tollunt præceptum amoris Dei ſuper omnia.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [402] - 322
PUBLIC DOMAIN

Paragraphvs Secvndvs.

Accuratius explicatur regula de potiori jure possidentis.

Licet quæ hactenus diximus, satis aperte interpretentur, & validè defendant legitimum sensum harum regularum, & demonstratum sit, primam ex jure Canonico, sancire tutioris partis delectum ex præcepto necessarium; alteram ex iure Ciuili de potiori iure possidentis, nihil officere huic electioni: tamen cum aduersarij hanc regulam vltra iustitiæ genus, & iudiciale forum vagari velint, & ad forum conscientiæ, omnesque virtutes pertinere, atque in eâ laxitate huius regulæ, præcipuum suæ causæ præsidium ponant, attingam duo ex D. Fagnano, primum quot & quantas aduersarij astruant opiniones & assertiones huic fundamento, deinde quam debile sit & caducum.

Quod ad primum attinet, adeo late protendunt hoc possessionis jus Recentiores, vt nihil ex illo non dirimant tanquam indubitatum. Inde primum inferunt Sanches & Layman incertum, siue dubio juris, siue facti, an ligatus sit excommunicatione, non debere se excommunicatum reputare, nec petere se absolui; quia possidet jus communicandi cum fidelibus, quo dubiâ excommunicatione non potest priuari. Idem asserunt Azor & Salas, si dubites an lex ferens pœnam excommunicationis, sit vsu recepta. Idem juris dant Suares & Sa absoluendi à casibus reseruatis, si dubium sit esse reseruatos. Inde etiam Præpositus negat, confitenda necessario esse peccata mortalia dubia. Ex eodem jure possessionis, Vasquez asserit subditum detrectare posse præceptum Prælati, de cuius legitimâ potestate aliquod supersit dubium. Inde Salas eximit ab onere recitandi officij Clericum incertum, an beneficium quod possidet tenue sit. Ex eodem fundamento Sanches, Layman docent, cum ambigitur an peruentum sit ad mediam noctem, licere, vesci carnibus die Iouis, non Sabatho: causam discriminis afferunt à suâ regulâ, quod dies Iouis jus possideat carnes comedendi, quo careat Sabathum.

Has omnes consecutiones, ex commentitio iure possessionis, ridiculas vocat D. Fagnanus, & periculosiores putat animarum saluti, laxitate probabilitatum, quæ ad minus habent aliquem gradum certitudinis, eâ vero omnino caret dubia conscientia; ex quâ tuto jubent eiusmodi Theologi operari, contra manifestum sacrorum Canonum sensum: Et iam multis comprobatum est, illorum authores & interpretes, nullam haberi velle rationem possessionis, præterquam in iudiciis fori, cum summo jure agitur. Et ideo præter Canonistas, Vasquez, Sairus, Salas, Azor, & alij Theologi, illud jus possessionis nullo modo volunt pertinere ad forum conscientiæ, aut ad vllam virtutem, præterquam ad iustitiam, quæ interdum etiam, nihil curet huiusmodi ius, quod obtendi posset Canone, *ex interdicto vti possidetur seu retinenda.* Prætori tuendus statuitur possessor, ne à litigatore sua possessione deijciatur; neque datur interdictum, nisi priùs probentur ante contestatam litem, rem possideri ab vno, & ab altero lacessiri, quæ omnia ad solam iustitiam pertinent, & aliena sunt ab aliis virtutibus: quæ hoc differunt à iustitiâ, quod nobis attendant, justitia vero alienum jus curet & seruet. Cum nullus igitur, se ipsum à suâ possessione deijciat, nec illius causâ secum contendat, inepte huius possessionis ius vltra iustitiæ fines quæritur; & diuersæ sunt omnino fori judicialis, & conscientiæ leges: in hoc enim si dubium subsit, debet quisque sequi partem tutiorem, & se reputare reum; quia non obtenditur hic pœna, sed emendatio. Hinc canonistæ ad caput *significasti*, & capite *ad audientiam* duas constituunt regulas, negatiuam vnam, affirmatiuam alteram. Prima iudici præcipit, ne in dubio quemquam damnet vt irregularem, quia hoc judicio imponitur pœna culpæ, quæ puniri non debet, nisi sit euidenter comperta. Secunda jubet, quemlibet in dubio, se irregularem reputare, & abstinere à ministerio altaris: quia in hoc conscientiæ & pœnitentiæ foro tutior pars eligenda est, periculi salutis euitandi causâ. Hinc constat, multum aberrare à regulis iuris, hanc Suaris illationem à iudiciali ad priuatam sententiam. Iudex inquiunt, non potest injungere pœnam iure præscriptam, nisi probatum sit delictum: Ergo nec reus debet hanc subire pœnam, quandiu incertus erit sui peccati. Hoc argumentum occupauimus, dif-

ferentiâ constitutâ, inter iudiciale & pœnitentiæ forum, quod illud pœnam, istud emendationem respiciat.

Hoc discrimen iudiciorum egregie illustrat D. Fagnanus ex D. Thomâ, quæst. 60. art. 4. vbi triplex distinguit iudicium, de rebus vnum, de nobis ipsis alterum, postremum de cæteris hominum, primo inquirimus, quid de rebus, secundo quid de nobis, vltimo denique, quid de aliis sit sentiendum. Prius iudicij genus vnum inspicit, quid veri res habeat, seu mala sit, seu bona: Hoc enim perinde nobis est, in hoc vnum attenti, vt veritatem assequamur, à quâ deficere malum sit; sed altero judicii genere, quo de hominibus censemus, ipsorum bonum, malumque, magis quam nostrum spectamus & promouemus: nam plurimum ad illorum gloriam & dedecus confert, quam de illis habeamus opinionem; & si improbos reputemus, temere ex leuibus coniecturis, aut dubiis argumentis, grauem illis injuriam facimus. Quare inquit S. Doctor, si tibi minus perspecti sunt mores hominum, fauendum est illis, & quâ fieri potest, benignius interpretanda sunt omnia; minus enim periculi & mali est, si sæpius decipiamur, dum plures improbos bonos reputamus, quam si vel vnum probum, nullo legitimo argumento malum esse pronunciemus, aut apud nos statuamus: licet enim iudicia hæc falsa sint, hoc tamen differunt, quod istud iniuriam inferat viro bono quem immeritò, & falso malum reputas; aliud vero iudicium errorem habet, qui nihil aliis noceat, nec tibi, cum id agas ex charitate, quæ vt ait Apostolus non cogitat malum: quid vero damni est, si in his decipiare, quæ nihil scire referat, qualia sunt singularia & aliena facta? At illo judicij genere, quo de nobis agitur, necesse est mala nostra in majus augere, & pejora interpretari, & cum Iobo omnia opera nostra vereri: cauenda sunt enim pericula quæ imminent, & arcenda mala quibus laboramus, atque ad id certiora remedia adhibenda.

Hæc omnia ex D. Thoma affert D. Fagnanus, non tamen expressa habet, sed tantum insinuata responsione ad tertium argumentum, vbi more suo, summâ prudentiâ & pari subtilitate, distinguit rei dubiæ in meliorem, aut priorem partem, interpretationis finem duplicem; vel vt quid rei & veri sit, definiamus; & hoc judicij genus niti debet argumentis, quâ fieri potest certis: aut vt caueamus

mala, & occupemus validioribus remediis; & tum conuenit mala augere, & pejora interpretari, vt certiora remedia adhibeamus: nam quod grauiori malo par erit remedium, efficacius erit minori curando.

Hæc omnia ex D. Thoma relata, quæ neſcio maiorem ne prudentiam, aut ſubtilitatem reſipiant, mire D. Fagnanus, variis ex jure locis illuſtrat: quibus hæc ſancitur regula, in dubiis vbi vertitur periculum animæ, iuxta Pœnitentiæ & conſcientiæ forum, præſumendum in partem deteriorem. Ita Gloſſa cap. *juuenis*, quam Canoniſtæ vocant notabilem & inſignem: ex qua illud docent, licet in cæteris facienda ſit benignior interpretatio, ne quis ſit in dubio aſtrictus, tamen in his quæ ſpectant ad Deum, tutius eſt nos præſumere ligatos quam ſolutos. Et hoc confirmat ex hoc alio diſcrimine, inter fori & conſcientiæ iudicium; quod illius neutra pars periculo careat. Nam ſi Iudex inſontem damnet, grauem illi infert injuriam, ſi abſoluat reum, peccat in rempublicam, cui nihil magis noxium quam ſcelerum impunitas: Ergo cum judicii nulla pars ſit tuta, id eſt, quæ peccati periculo careat, ſequendæ ſunt regulæ iuris, §. ſequenti explicandæ, quibus in dubiis quid facto ſit opus ſancitur. At in foro conſcientiæ, cum hinc pro lege & ſalute, inde pro libertate & commodo diſceptatur, & à primo nullum peccati & ſalutis, ab altero grauiſſimum timeatur periculum, reus reputare ſe debet culpabilem: quandoquidem nullum adit diſcrimen, nec cuiquam infert injuriam: quare ſi iudicia fori eo eſſent loco, quo conſcientiæ iudicia conſtituimus, vt vna pars eſſet tuta, altera eſſet obnoxia periculo, quis dubitat, quin judicibus ſemper adhærendum eſſet parti tutiori, prætermiſsâ alterâ, quamlibet probabili? Iis adde, partem tutiorem quæ omne peccati & ſalutis periculum ſemouet, benigniorem eſſe, & magis commodam; quis enim neget, longe vtilius eſſe tutâ quam periculosâ viâ incedere? Quare licet Canones præcipiant, vbi vertitur periculum animæ, in deteriorem partem præſumi, verius tamen, melior & tutior appellanda eſt. Tandem eodem loci concludit, ius poſſeſſionis quod obtenditur extra iudicia fori, adeo vanum & commentitium eſſe, vt à foro iudiciali interdum omnino exulet; quamuis enim delictum præſumi non debeat, niſi probetur, & vnuſquiſque repu-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [406] - 326
PUBLIC DOMAIN

tandus sit probus, quandiu nullius mali fuerit compertus, tamen hactenus non est auditum apud Iurisconsultos, obtendi possessionem, à reo accusato homicidij vel furti, vt petat absolui hoc nomine possessionis, nulla illius generis crimina admittendi: & si iudex suo decreto, hoc illi jus possessionis seruaret, non minus ridiculus esset, quam iniquus. Certe si huiusmodi possessionis ius inepte prætexitur in foro iudiciali, multò magis alienum est à foro conscientiæ, in quo tutior, non benignior pars est eligenda. Late prosequitur absurda, quæ ex illo iure possessionis existunt, qualia sunt hæc è multis pauca. Cum iudicium quodlibet constet actore, iudice, & reo, in hâc causâ de iure possessionis, Deum actorem constituunt aduersarij, & hominem reum; sed desideratur iudex: nec vllum ipsi designant. Deinde cum iudicium hoc Deum inter & hominem, dicatur summariissimum, quod aliud à se expectat iudicium, si eo priori Deus cadat causâ, quo pacto & sub quo iudice ius suum prosequetur, in pleno possessorio, vel petitorio iudicio?

Cætera quæ ad subtilitates fori pertinent prætermitto, vt rem concludam hoc Theologico argumento. Demus ius possessionis valere extra forum iusticiæ, & ad omne genus virtutum extendi, sed Deo & legi non humanæ libertati vindicandum est; cum eodem momento, quo rationis compos & doli capax est homo, ligetur lege diuinâ priore quocunque actu aut peccato: Ergo ius illud possessionis diuinæ legi asserendum est, non humanæ libertati: Si dicas, te dubium esse, an lege sis astrictus, an solutus, nec stante dubio te fraudandum possessione libertatis; contra stabit Deus, & opponet, si tu dubius sis, ego certus sum te lege astringi: Ergo vana est quam tibi arrogas possessio, & in dubiis tutior pars est eligenda. Si iterum instes, forte lege non teneor, & Deus scit me illa non astringi, ideo fruar libertate: sed contra vrget Deus, forte lex te astringit, & Deus scit te illâ ligatum; atque ita ad minus dubia, & forte nulla est, quam prætexis possessio; cum possessionem amittat, qui suspicatur se posse repelli: & si agas cum dubiâ conscientiâ, contra votum & legem, prætermissâ tutiore parte, reum peragis te grauis peccati.

PARAGRAPHVS TERTIVS.

Aliud argumentum à regulis iuris Canonici, quid in dubio faciendum.

QVAMVIS probatum sit multis argumentis, capitaliter aduersari vtrumque ius, maxime Ecclesiasticum laxitati & securitati probabilitatum; nullum tamen euidentius & apertius est, quam quod sumitur à regulis iuris, & luculenter illustrat D. Fagnanus à numero 229. vsque ad num. 233. quod nos paucis, more nostro, perstringemus, præmissâ interpretatione tutæ opinionis: cui scilicet nullum malum subest, vel necessaria est ad grauius euitandum; vt si aquâ dubiâ cum deest elementaris, puer moribundus baptisetur. Sed interdum eo res sunt statu, vt par vtrinque periculum ingruat; vt cum dubium est, cui facienda sit restitutio, si duo contendant de re furto sublatâ, cuius sumptibus Ecclesia sit reparanda, quodnam è duobus matrimoniis sit validum, an primum aut secundum, quis è concurrentibus ad beneficium eligendus sit tanquam dignior. His omnibus Caramuel permitteret cuiusque arbitrio, facere ex probabilibus, quidquid liberet: at non ita iuris conditores & interpretes, qui re dubiâ ex opinionum pari probabilitate, cum non apparet quæ tutior sit, præscribunt plures regulas, quales sunt hæ, in dubio *Iudicandum vt actus valeat potius, quam pereat. Præferendum quod in regione, in qua res transacta est frequentatur. Spectandam primo loco antiquam & probatam consuetudinem: quia minimè mutanda sunt, quæ certam sententiam semper habent. Pronuntiandum esse pro possessore, & pro reo potius quam pro actore, nisi in causâ fauorabili, Matrim onijdotis &c. Iudicij vbi discordes sunt opiniones, sequendam communem, quæ vim habet consuetudinis.* Si nota fuisset his Legislatoribus laxitas probabilitatis versatilis, frustra in soluendis huiusmodi dubiis se torsissent, ac regulas certas statuissent, cùm vna esset in promptu, omnia cuiusque arbitrio permitti, ex probabili in vtramque partem opinione, cum tamen *Iudex* ex Ambrosio, *nihil ex arbitrio suo faciat, sed iuxta leges & iura pronunciet:*

& si res sit ambigua, censent *principem esse consulendum, aut abstinendum à consilio & iudicio: si autem sit in aquilibrio & sis iudex, neutram opinionem sequaris, vel est transigendum, vel si res sit diuisibilis per medium partiri aquitatem habet.* Cum hæ leges conderentur, nondum illuxerat orbi probabilitas arbitraria vtrinque secura, quæ omnium legum & conscientiæ nodos, quasi quidam gladius habilis & versatilis, & vtrinque acutus discindat. Illi boni, magis quam acuti & perspicaces viri, sincerius agendum rati, nihil sibi permittebant, in his etiam quæ relinquuntur arbitrio boni viri, quod frequentissimum est apud sacros Canones: arbitrium autem illud non censebant liberum seu plenum, sed regulis & iuri consonum. Tria susceperat probanda D. Fagnanus; primum non esse certum moraliter, qui duas opiniones æqualiter censet probabiles: secundum dum res ita dubia est, tutiorem partem esse eligendam: tertium, si tutior pars lateat, seruandas à iure præscriptas regulas. Hæc tria confirmat vnus textus in c. *inquisitioni* de sen. excom. vbi statuitur quid faciendum coniugi, alicuius impedimenti dirimentis conscio: Respondet Pontifex, si compertum sit illi impedimentum, nec posse petere debitum, nec reddere, si ex leui coniecturâ sit dubius, deponendam suspicionem, & vtrumque posse: si vero opinionibus hinc inde paris fere probabilitatis vrgeatur, tunc ait canon vere dubium esse, & partem tutiorem eligendam, idest, reddendum debitum, ne in matrimonium forte validum peccet, minime vero petendum esse, ne conscientiam lædat. His consentit textus Lucii III. in cap. *Dominus* de secundis nuptiis, vbi ita habet: *Si aliquis coniugum, adhuc sibi dubitandum existimet, ei, qui sibi nupsit, debitum non deneget postulanti, quod à se tamen nouerit non esse exigendum* Si probabilistas consuleremus hâc de re, permitterent matrimonium dirimi, ratum seruari, petere aut recusare debitum, vt visum esset aut commodum; certe huiusmodi probabilitatum regulæ antiquis ignotæ erant aut reprobæ.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [409] - 329
PUBLIC DOMAIN

PARAGRAPHVS QVARTVS.

Perſtringitur argumentum Caramuelis, pro laxitate opinionum probabilium, à diſpenſationibus Pontificiis, & ſoluitur generatim.

HACTENVS demonſtratum eſt, vtrique iuri infeſtiſſimum eſſe arbitrarium probabilitatis vſum, nullâ legis & ſalutis habitâ ratione: & in hunc locum diſtulimus examen vndecimæ reſolutionis de diſpenſationibus Pontificiis, quibus ſententiam ſuam muniri, & teſtimonia canonum putant elidi, & infringi diſpenſationum exemplis; quaſi à ſe ipſis diſſentiant Pontifices, & alios doceant, & velint tutiorem partem ſequi, ipſi quam libuerit ſequerentur. Non potuit Caramuel Pontificibus grauiorem calumniam & iniuriam inferre, obiectâ illâ diſſentione à ſuis regulis, vt probabilitates quaſcunque ſectarentur, & ad illas exigerent, difficillimam hanc Pontificiæ adminiſtrationis partem, nempe legum ex parte relaxationem, aut ab illis immunitatem.

Multa congerit exempla diſpenſationum, quas non dubitat legitimas eſſe, nec tamen poſſe defendi, niſi vnâ regulâ cuiuſcumque opinionis probabilis ſecuræ, etiamſi contra ſtet pro lege probabilior, qualis eſt diſpenſatio à voto ſolemni, à dignioris ad beneficia & officia Eccleſiaſtica electione, antepoſitis minus dignis, quos paſſim integerrimus Cardinalis Conradus, Diarius adſcriptor Pontificius, ſeu Datarius litteris Pontificiis admittit, nec repelli poſſunt, niſi dataria occludatur. His tertium addit exemplum reſidentiæ, ſeu præſentiæ & procurationis aſſiduæ paſtorum, ex probabiliori opinione iure diuino conſtitutæ; cuius tamen ſingulis annis, per tres menſes, gratiam facit Concilium Tridentinum, & interdum Pontifex in plures annos prorogat; nec peccant qui hanc immunitatem conferunt, aut qui illâ fruuntur: quia ſecuros facit minus probabilis opinio, quæ aſſiduam præſentiam iure poſitiuo requirit, à quo citra culpam eximat Pontifex ad arbitrium.

Addit quartum exemplum à Matrimonio rato, quod

per se indissolubile probabilior fert opinio ; nec tamen hos Theologos moratus Pontifex, ex minus probabili sententiâ, certo Matrimonium ratum dirimit. Accedit huic exemplo, quintum à gradibus consanguinitatis, lege antiquâ vt probabilior habet opinio, iure naturæ Matrimonium dirimentibus, à quibus tamen quotidie Pontifex eximit, & intra hos gradus cognatis Matrimonij ineundi copiam facit. Tria quæ supersunt exempla, à Sacramento Ordinis sumuntur : probabilius est vni Episcopo creando, à tribus imponi manus oportere, & si vnus desit, consecrationem, non solum illicitam, sed etiam nullam fore; nec meliorem putant plures, ordinationem, vel à Schismatico Episcopo collatam, vel more Græcorum solâ manuum impositione, nullo materiæ contractu peractam : quidquid tamen in vtramque partem disputent Theologi, & tutior ac probabilior videatur, quæ nullas & iterandas fert opinio, has tamen Ecclesia institutiones validas esse docet, aut si quid vitij insit, authoritate & dispensatione Pontificis emendari.

His octo exemplis & argumentis, putat Caramuel rem confectam, & securitatem assertam cuique opinioni probabili, contra legem pro libertate stanti. Hic iterum Caramuel & Anonymus occurrunt, nec minus inter se, quam nobis aduersi pugnant, duoque contraria obtendunt. Caramuel quidem, videtur velle legitimas esse quascumque à lege immunitates, hoc solo nomine, quod prodeant ex quacumque probabilitate, cui indiuiduam facit securitatem ; vt inde probet, cuique priuato licere, quod sibi assumunt Pontifices, in omnium grauissimâ suæ administrationis parte, nempe dum suas & diuinas interpretantur leges, aut suo, Deique nomine relaxant ; quodcumque probabile sectentur prætermisso probabiliori, nihil contra officium peccare. At contra Anonymus contendit, interdum periculosas esse huiusmodi dispensationes, & immunitates à lege, ac pessimam multis afferre securitatem, quolibet periculo magis formidolosam.

Quid nos ad ista ? in medio positi inter liberius vnius iudicium, & alterius deforme obsequium, neutri assentimur, sed animo sincero, & reuerenti in sedem Apostolicam, qualis decet Theologum ex Dominicanâ Familiâ præ cæteris Ordinibus, beneficiis ingentibus, & pari fide

atque obsequio perpetuo, summis Pontificibus addictissimâ, duo vniuersim Caramueli Respondemus: dispensationes Pontificias summâ reuerentiâ prosequendas, non tamen omnes habendas loco decretorum ex Cathedrâ: deinde nullas hactenus fuisse concessas ex regulâ Caramuelis, quæ nec Authores; nec clientes possint in tuto ponere, sed grauissimum vtrisque periculum damnationis crearent, nisi ad sanctiorem, & tutiorem regulam exigerentur; qualis est, eligendi & ferendi minoris mali, causâ grauioris arcendi; quæ dubiis etiam opinionibus securitatem afferat, & indicat necessitatem. Atque his duobus responsis, exhaustam puto difficultatem à dispensationibus Pontificiis.

Quod ad primum attinet, quis neget plures prodire huius generis, à lege immunitates, quæ Pontificis nomen falso præferant, & quæ grauissimam apud Hæreticos sedi Romanæ crearent infamiam & inuidiam, nisi indubitatis argumentis compertum esset datas nedum insciis, sed etiam inuitis summis Pontificibus? Recentissima est memoria infelicis Mascambruni, seu Francisci à Canonicis Prodatarij, ob egregias ingenij dotes Innocentio decimo, acerrimi ingenij & æquitatis obseruatissimo charus, sed à gratiâ apud summum Pontificem per septennium maximâ, quamprimum etiam ad purpuram promouendus omnino excidit, & iustissimam indignationem passus, falsatis rescriptis & dispensationibus Pontificiis: nec inde ascitum suo Pontificatui dedecus putauit Innocentius deleri posse, nisi sanguine huius plagiarij. Quis dicat Mascambrunum primum fuisse, aut futurum postremum Pontificiarum litterarum temeratorem? Certe si plures Theologi Sedis Apostolicæ studiosissimi, Honorium à Monotheliſmo purgare malunt, rejectâ in Secretarium culpâ, qui Epistolam nomine Pontificis scriptam, vel ex imperitiâ, vel forte malâ fide perspersérat aliquâ specie, aut labe erroris, quam plura Concilia damnare, aut eorum exemplaria falsata credere; nihil à vero, aut à reuerentiâ in Sedem Apostolicam quidquam alienum habet, si administrorum fraude, vel clientum dolo, dicamus huiusmodi litteras immunitatum falsatas, contra mentem Pontificum prodiisse, vt non sit necesse quæcumque affert exempla Caramuel, huiusmodi dispensationum, pro legitimis & certis haberi.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [412] - 332
PUBLIC DOMAIN

Sed quidquid sit (neque enim vacat singula expendere) aliud addo, quo responsum sit generatim toti Caramuelis resolutioni. Nullum ex his octo exemplis seorsim, nec collectim omnia efficere quod probandum suscepit; quidquid sit ex probabili opinione pro libertate contra probabiliorem pro lege, securum esse & immune à peccato. Neque enim hoc vnquam venit in mentem summis Pontificibus, tantum abest, vt in regulam ipsi assumpserint, aut in vitæ legem suo nobis exemplo præscribere statuerint: quasi deessent illis regulæ certiores, quas ex iure Canonico retulimus. Et si qui Pontificum, illis relictis nouæ huic & nuperæ adhæsissent (quod an factum sit, an fieri possit in medio ponimus, nec asserimus, nec negamus) illud nobis compertissimum est, & in confesso apud omnes esse ponimus, dissimili admodum ratione, diuersisque regulis administratam Ecclesiam, & subinde à legibus immunitates dispensatas. Quis nesciat Gregorium Magnũ habuisse successorem sibi dissimillimũ, qui res à se glorioſissime gestas rescinderit? Et vt ad Põtifices sæculo nostro propiores veniamus; quis Alexandrum VI. sanctitate morum, & iustâ ac sapienti Ecclesiæ administratione æquet Pio V? Certè qui pares facerent Pontifices, ne quidquam peccasse vllus videretur, non tam malos omnes purgasse, quam bonos damnasse videretur. Et quamuis darem (quod tamen ægerrime à me obtineret Caramuel) aliquot in sui regiminis legem, assumpsisse vagam illam, & versatilem probabilitatem in vtramque partem, id est, perinde in falsum ac in verum, in malum ac in bonum; nihil minus verum est, ab huiusmodi regulis abhorruisse Pontifices Sede Apostolicâ dignos, quam plures Petri Successores, ab eius sanctitate defeciſſe, seruatâ illius fide. Si quod tamen discrimen fuerit, vitæ & administrationis Pontificum, illæso ac seruato Cathedræ Petri iure, nullum apertius est, quam quod præ manibus habemus; de legum Pontificiarum aut diuinarum seruandarum aut relaxandarum cura. Optimi Principis & Pontificis, id præcipuum ac fere vnicum munus est, leges ferre sanctissimas, latas tutari, & suos, subditorumque mores, ad illas componere, nec pati ab vllo violari impune, ne se ipsum, vel alios ab illis eximere: & si casus aut necessitas ferat, aliquando solui, hoc malum compensari oportere pari aut majori bono; nec legibus

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [413] - 333
PUBLIC DOMAIN

quidquam detractum velle dispensatione (quod mali sine dubio semper speciem habet) quam majoris, aut grauioris mali vitandi causâ. Hoc enim lex à præcepto differt, quod causâ boni communis instituta, omnes vniuersim liget, sibique obnoxios habeat; & si quando illius gratia facienda est, seu à legis præcepto, vel pœnâ quis sit subducendus (quod interdum fieri posse licere & expedire non negamus) rarissime tamen, id est, nunquam nisi maiori bono promouendo, aut malo arcendo contendimus tentandum: & si ista desint, qui legem maxime diuinam & humanam etiam ab Apostolis receptam soluit, aut ab illâ soluitur, quæcumque obtendatur authoritas, aut probabilitas pro libertate, infra probabilitatem pro lege, grauioribus vinculis & malis implicatur. Nam cum lex iusta bonum commune spectet, necesse est vt omnes ex illâ æquo jure viuant, & legem euertit, si plures esse velis, qui ab illâ eximantur, quam quos liget. Eo certe jam diu deuentum esset, si Caramuelis regula valeret, licitam esse à lege solutionem ex quacumque causâ & opinione probabili, licet contra stet opinio probabilior.

Putasne nihil habiturum quod timeat à iudicio, nedum Dei, sed etiam hominum, qui secutus Caramuelis regulam Ecclesiam administret, & neglecta inquisitione, atque electione certâ digniorum, quos vtcumque probabiliter dignos putat, maioribus Ecclesiæ officiis admoueat, cum dignissimorum contemptu & repulsâ? Qui ex eâdem regulâ probabilitatis, nihil curet Prælatos vrgere ad præsentiam sollicitam & assiduam, ac procurationem Pastoralem per se in suis Ecclesiis obeundam? Qui adeo dissimilem ab antiquâ Ecclesiâ, hodiernam instituat, vt sicut prioribus sæculis, nullus Ministrorum duo Sacerdotia obtinebat, ita nullus isto sit vno contentus, quamuis pingui, & multis non potiatur, ac pluribus securâ conscientiâ non inhiet? Nemo est qui Pontificem adeo probæ administrationis Ecclesiæ ignarum vel negligentem, adeo dispensationũ prodigum, vt à lege immunes velit numero aut æquare, aut superare illi obnoxios, existimet tanto muneri parum, nec censeat sibi, & quibus ita indulget grauissimam damnationem asciscere. Hæc vniuersim ad argumentum Caramuelis præfatus, singula exempla expendam.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [414] - 334
PUBLIC DOMAIN

Paragraphvs Qvintvs.

Expenduntur ſeptem Caramuelis Exempla.

Dvo inſunt vitia ſingulis huiuſmodi exemplis, quorum primum ac præcipuum eſt, nullum probare quod contendit Caramuel, ex minus probabili opinione conferre ſolitos Pontifices immunitates à lege: multo minus efficiunt aliud, qui illi regulæ adhærerent, fore immunes à culpâ. Quis credat juris Pontificij conditores, certas alijs regulas præſcribere, ſibi aſſumere alienas & periculoſas? Probatum eſt à D. Fagnano Iuris Canonici Conſultiſſimo, cauiſſe ſapientiſſimos & noſtræ ſalutis ſollicitos Patres, ne vnquam conſilij inopes hæreremus rebus dubiis: vel enim pars tutior apparet; & tum eam præcipiunt eligi: vel ipſa etiam ambigua eſt, & vtrinque pericula ingruunt. Nec tum etiam nos deſerunt, ſed plures & certas regulas ſtatuunt toto corpore juris ſparſas, quorum aliquot retulimus huius articuli §. 3. Sed de opinione minus probabili pro libertate, contra probabiliorem pro lege à recentioribus Theologis inuectâ, ne verbum quidem excidit vlli Pontificum; qui huiuſmodi Canones ſanciuerunt: nec ipſe Caramuel locum proferre potuit, qui etiam in ſpeciem illi faueret. Quis igitur dicat, ſapientiſſimos Pontifices, relictis propriis regulis certiſſimis, alienas & Leſbias ſectatos fuiſſe? aut ſi id fecerint, quâ ratione probat nihil peccaſſe, quod relictis ſuorum deceſſorum documentis & veſtigiis, noua & inaudita apud illos aucupati ſint? Det vnum, qui iuxta Caramuelis mentem Conſultoribus reſponderit, arbitrio cuiuſque permitti de dubiis & probabilibus, quam libuerit opinionem etiam minus tutam, & probabilem ſequi? à ſæculo non eſt auditum.

Sed factis, inquies, hoc comprobarunt, qualia ſunt ex multis octo quæ refert. Mirum eſt ſummos Pontifices, juxta recentiorum ſententiam, vt illi contendunt tot & tanta ſtatuiſſe, & nunquam vel vno verbo, hanc ſuam mentem ſignificaſſe. Iterum dico nullum illorum exemplorum probare, quod aſſumit Caramuel; ſummos Pontifices cenſuiſſe, quamlibet opinionem proba-

bilem tutam esse, & si ita egerunt, non peccasse. Quis vnquam tale decretum audiuit? aut si prodiret à summis Pontificibus, excusaret à graui peccato & scandalo? si suam mentem his verbis explicarent: *Licet probabilius opiner votum solemne, & Matrimonium ratum iure diuino indissolubilia, & si quos astrinxerint, nullâ authoritate, diuinâ inferiori posse ab huiusmodi vinculis exolui: me tamen minus probabilem & communem, vnius aut alterius Doctoris opinionem secutum relictâ tutiori, hac vincula relaxare, idque non alicuius grauis vtilitatis, aut mali cauendi causâ; sed quia liberum cuique puto & tutum, non mihi patior negari hoc commune ius, quam placuerit opinionem sectandi.* Facile est alia sex exempla, ad similem superiori decretorum formam reuocare. *Communior sententia, & probabilior opinio, fert iure diuino digniores ad Sacerdotia esse eligendos, nec posse citrà grauissimas causas, suas oues deserere Pastores: cognationum gradus lege Mosaycâ constitutos, confirmari iure naturali: Illicitam esse consecrationem Episcopi, nisi à tribus factam: nec meliorem esse ordinationem ab Episcopo haretico, vel apud Latinos, more Ecclesiæ Græcæ, præter institutionem Ecclesiæ Romanæ nullo contactu materiæ peractam. Nos tamen quamlibet opinionem probabilem contra probabiliorem, in qualibet res seu necessitate medij, seu præcepti securam reputantes, ex antiquissima & vniuersalissima doctrina de probabilitate, nullius vtilitatis Ecclesiæ respectu, sed vt probabilitati sua iura seruemus, declaramus nullius peccati reum fore electorem qui probabilem sententiam secutus, vtcumque dignum probabiliter grauissimo totius Ecclesiæ muneri præfecerit: nullius peccati suspectum fore, Curatum & Pastorem qui toto decennio abfuerint à suis Ecclesiis tenuissima alicuius opinionis probabilitate munito id sibi licere, nec vllo iure diuino prohibitum abesse à grege, minus dignum eligere.* Dices nos ludere, magis quam vt decet Theologum serio disputare; sed re vera nihil suis exemplis efficiet, nisi hac formâ proponantur, nullius mali aut periculi cauendi causâ, solâ vi probabilitatis tutum esse & licitum, dirimere vota solemnia, Matrimonia rata summouere, impedimenta Matrimonij &c. Hoc boni habent vitia & errores, vt illorum suos authores pudeat, si summoto omni fuco, ge-

ço, genuina imago ſubiiciatur. Inutile foret, hæc omnia exempla late proſequi, & ad ſingula congerere quæ poſſem, curioſa & ſelecta: ne tamen jejunum dimittam Lectorem, velim obſeruari ad duas claſſes hæc octo exempla reuocari; vel enim continent res tantum ex præcepto neceſſarias ad ſalutem, cuius generis ſunt tria hæc, ſolutio à voto ſolemni, ab electione dignioris, & à Paſtorum reſidentiâ, reliqua quæ ſuperſunt quinque exempla pertinent ad rem Sacramentariam, duo ad matrimonium, reliqua ad Ordines ſacros, quæ efficaciâ medij conferunt ad ſalutem. Mirum eſt, Caramuelem nunquam huius diſtinctionis meminiſſe, niſi vt illius ignorantiam improperaret D. Fagnano, quaſi rerum Theologicarum rudi. Sed poſſet illi verius obijci, quod huiuſmodi diſtinctionis aut ignarus, aut incurioſus, paſſim, hoc maxime loco grauiter impingat. Neque enim poteſt dubitare opiniones probabiles multo minus tutas eſſe, ſi rebus efficacia medij quam ſi ex præcepto neceſſariis aduerſentur, quod illarum vicem & vim, ſi abſint, nulla probabilitas ſuppleat, aut defectum ignorantia excuſet; ac proinde inexcuſabiles omnino eſſent Pontifices, qui nulla huius diſtinctionis ratione habita (quam tamen ſumme neceſſariam omnes volunt) Sacramenta ex probabiliori ſententia nulla, decernerent ex minus probabili, & tuta eſſe & legitima.

Sic enim diſputo, vel huiuſmodi decreta Pontificia, quæ relaxant vota, matrimonia, impedimenta, ſoli Omnipotentiæ diuinæ ſeruata, ex tutiori opinione, immutant diuinam inſtitutionem, quæ probabilius cenſetur facere matrimonium ratum indiſſolubile, vel nullum quod initur intra cognationum gradus lege Moſaycâ præſcriptos, quæ neceſſariam impoſitionem manus à tribus Epiſcopis, vni creando requirit; vel huiuſmodi inſtitutionem diuinam illæſam relinquunt, quid ad hoc noſtrum dilemma reſponſurus ſit Caramuel, prorſus ignoro. Si dicat, decretis Pontificiis immutatam diuinam inſtitutionem, omnia fidei & Theologiæ fundamenta conuellit, & poteſtatem vni Chriſto eximiam, Sacramenta condendi, aut immutandi, hominum ſubiicit arbitrio, ex priuilegio probabilitatum: ſi alteram partem eligat, & velit inſtitutionem Sacramentorum nulli Eccleſiæ poteſtati ſubiici; viderit quo fundamento, non ſolum aſſerat, ſed obiiciat nobis, ſacramenta

matrimonii & ordinationis, ex probabiliori opinione reipsa nulla, certissime valida & legitima esse, hoc ipso, quod ita pronunciarint, & fieri statuant, ex minus probabili opinione Pontifices, qui institutionem diuinam verius aliud statuentem, immutare nec possunt, nec vnquam voluere, nec sibi licere putarunt citra sacrilegium; Ergò peccarent Pontifices, qui ita esse certò pronunciarent ex minus probabili opinione, & si ita se gesserint vt contendit Caramuel, suis decretis nullam probabilitati securitatem conciliarunt. Quis enim capiat aut ferat illud Caramuelis Argumentum, institutio diuina omni potestate humanâ superior & immutabilis, probabilius aliud sanciuit, quam quod Pontifex suis Canonibus statuit ex minus probabili opinione; Ergo rectũ erit & certum, quod canones constituunt probabilius, diuersum ab eo quod habet institutio diuina. Nisi ita arguat Caramuel, his suis exemplis à Sacramento Matrimonij & Ordinis, nihil omnino probat, & tamen illum puderet, si confeciſſet quod inde deducimus. Ad quid igitur affert huiusmodi exempla, quæ hæreticis & impiis ridendam præberent Ecclesiæ potestatem?

Sed contra dicunt melioris notæ Theologi, his quinque exemplis, nihil tentatum à Summis Pontificibus, alienum ab institutione diuina, aut illi minus consentaneum. Nam apertis Scripturæ testimoniis, Traditione, aliisque argumentis; probat Bellarminus, Matrimonium ratum, hoc differre à Matrimonio consummato; quod istud nullâ potestate creatâ dissolui queat, illud vero sæpius solutum sit, maioris perfectionis causâ, & ingressus in religionem, vt idem Bellarminus libro 2. de Monachis capite 38. probat exemplis Theclæ, Gorgoniæ, Cæciliæ, Alexis, pluriumque Virorum & Virginum quæ post celebratas nuptias, confugerunt ad Monasteria, & vni Christo adhæserunt. His igitur exemplis, non modo probabilius, sed certum, dicit idem Author à summis Põtificibus Matrimonium ratum solui posse, vitæ perfectioris studio, & authoritate Pontificiâ, si suppetant causæ paris momenti cum ingressu Religionis. Adde lege naturali Matrimonium non fuisse prius insolubile, quam dictum fuerit, *Erunt duo in carne vnâ*, idque vinculum ex lege Euangelica confirmatum est, significatione, Matrimonio consummato singulari, assumptæ carnis à Verbo nunquam dimittendæ; quæ desit

Matrimonio rato. Neque enim suâ institutione, huius perpetuæ Verbi cum carne vnionis signum est, sed ex charitate cum animabus cognationis; quæ heu nimium! frequenter peccato dissoluitur. Ex his ergo, ac pluribus aliis quæ Bellarminus collegit argumentis, certum putat, à summis Pontificibus Matrimonium ratum dissolui posse.

Eodem vitio laborare aiunt quidam, aliud exemplum à gradibus cognationis: falsum enim asserunt impedimenta huiusmodi cognationis amouisse Pontifices ex minus probabili opinione contra probabiliorem, quod iure diuino & naturali Matrimonia dirimerent. Nam vt egregiè obseruat Bellarminus libro 1. de Matrimonio capite 27. duo aut tria sunt rerum genera, quæ iure naturali prohibentur. Primo loco reponuntur quæ ita sunt per se se mala, vt nullâ ratione excusari aut honestari possint; quale est mendacium, adulterium: secundi generis mala sunt per se, exceptâ causâ necessitatis, vt rapere aliena, furti peccatum est; sed nihil mali habet, cum extrema necessitas vrget, quâ proprium cuiusque bonum, commune fit omnium. Huius generis & ordinis putat esse Matrimonium à fratre cum sorore initum, consensu omnium gentium damnatum; quod tamen mundi exordio, ad generis humani propagationem necessarium, ab Adami filiis celebratum fuit; sed multiplicatis posteris, vbi hæc causa desiit, nunquam legimus initum aut tentatum: quare non est credibile, quod etiam dubius refert Caramuel, illud genus Matrimonij probatum fuisse à Martino V. sed forte ob duritiam cordis illorum, qui se his nuptiis incestis temerauerant, toleratum. At de aliis minus arctæ, quam fratrum & sororum cognationis gradibus, censet Bellarminus, ad tertium genus pertinere, eorum quæ licet, nudè spectata mala sint, vt homicidium & iuramentum, adjungi tamen possunt circumstantiæ & causæ legitimæ, quibus honestentur. Et ad hanc classem reuocantur Matrimonia cognatorum, intra gradus inferiores primo, fratrum & sororum: nec illegitima esse aut iure natutali prohibita, argumento esse aiunt, quod ex Scripturâ post humani generis propagationem, nulla habeantur intra primum gradum fratris cum sorore conjugia, frequentia vero legantur intra gradus inferiores; quale est Iacobi qui duas sorores vxores duxit, Moysis qui cum amitâ conjunctus fuit; nec vnquam

id tentassent viri sancti, vel Scripturâ tanquam nefas notassent, si iure naturali fuisset illicitum: Ergo cum Pontifices huiusmodi cognationum vincula dissoluunt, non solum probabilius, sed etiam certò sibi persuadent, se nihil contra jus naturale statuere.

Quæ affert exempla de Ordinationibus Ministrorum Ecclesiæ, eamdem admittunt solutionem: Præcipuè illud de Ordinibus ab Episcopo Hæretico collatis. Neque enim minus certum est, valide ab Hæretico Episcopo Ordines conferri, quàm Baptismum à Laïco, aut quòcumque extra Ecclesiam constituto. Et si qui de huiusmodi ordinationibus dubitarunt, & jusserunt iterari, id factum est, vel ex errore, vnde prodiit Anabaptismus Cypriani; vel quod apud illos Hæreticos, sicut hodie apud Lutheranos nulli essent legitimi Episcopi, qui possent conferre duo Sacramenta Chrismatis & Ordinis, Apostolis, vt ex Scripturâ constat, & subinde Episcopis Apostolorum successoribus eximia. Quod inquirit Caramuel objectione quartâ, possit ne valide creari, & consecrari Sacerdos, aut Episcopus, hoc vno verbo, à summo Pontifice prolato, *Esto Sacerdos*, *esto Episcopus*; cuius ait esse sententiæ Innocentium III. cap. *Presbyteri* &c. non capio ad quid ista spectent, & quid inde ad rem suam inferat; nisi forte velit, Innocentium sustulisse formam Sacramenti: institutione diuinâ ratam, & nouam inuexisse; quod nefas est dicere, & à mente doctissimi & sanctissimi Pontificis prorsus alienum. Sed eius sensum inuertit Caramuel: quod enim adjunctâ conditione protulit, fore validam huiusmodi formam consecrationis, nisi aliam Christus instituisset, vult ab illo exertè & absolute prolatum. Quare poterat ab illâ objectione supersedere, omninò ad rem inutili, nisi Innocentij mentem malâ fide dissimularet.

Intricatior est quinta objectio à forma Ordinationis Episcopi, an vt valida sit consecratio, necesse sit illi tres Episcopos manus imponere. Ita sentire ex probabiliori opinione ait Bellarminum lib. 4. de Notis Ecclesiæ cap. 7. Sed eo loci satis apertè negantem sententiam probabiliorem esse insinuat. Ibi enim Lutheranis nullam esse Ecclesiam probat, quod Episcopis careant; quibus sublatis minus Ecclesia stare possit, quam corpus humanum detracto capite. Cur verò Episcopis destituantur, ait causam

esse, quod nec Lutherus, nec illorum vllus minister, consecratus sit à tribus Episcopis, vel ex dispensatione, ab vno astantibus Abbatibus. Et hoc insinuat Cyprianus de simplicitate Prælatorum, vbi eos damnat, qui nemine Episcopatum dante, Episcopi nomen sibi assumunt: nec Bellarminus igitur, nec Cyprianus, tres Episcopos ex Institutione diuina, ad vnius validam consecrationem requirunt, sed ex consuetudine ab Apostolis receptâ; Concilio Carthaginensi confirmatâ. Addo, non potuisse ab vllo dispensari hâc in re, si probabilius constaret iure diuino Episcopi consecrationem eâ formâ esse faciendam; quia in re Sacramentariâ quæ sunt necessaria ad medij efficaciam, nulla possunt excusari ignorantiâ, aut probabilitate suppleri.

Quæ supersunt discutienda dispensationum exempla, pertinent ad res ex præcepto necessarias; & si quid illis insit vitij, minus est periculum, & in promptu remedium, quam cum abrogantur vel efficaciâ medij ad salutem necessariæ, quæ nullâ authoritate resarciri possunt, si aliud ferat institutio diuina. Quare hæc exempla dispensationum, minus grauant Summos Pontifices, minusque Caramuelis causam iuuant, quam quæ refutauimus. Peritiores belli duces solent primo & vltimo agmine exercitus, in quam partem primus & acrior est hostium impetus, fortissimum militem & veteranos collocare, Tyrones media acie reponunt: at contra visum est Caramueli. Exemplis dispensationum debilissimis resolutionem claudit, Septimo quidem à residentiâ seu jugi præsentiâ Pastorum in suis Ecclesiis debita, & Octauo à dignioris delectu, idque jure diuino ex probabiliori opinione: quibus Pontificiis dispensationibus ait esse detractum, ex minus probabili, tutâ tamen aduersâ sententiâ. Nam si dignus non posset promoueri saluâ conscientiâ, cum dignioris repulsâ, intolerabile Datario onus imponeretur, cui etiam Angeli succumberent, quasi non posset alio nomine digniorum repulsâ excusari, quam ex minus probabili sententiâ, tutum esse vtcumque digni delectum. Verum nisi aliud suppeteret remedium efficacius, mitigandæ & deliniendæ religioni, quam quod depromit Caramuel ex Apothecâ probabilitatum, non dubito quin integerrimus Cardinalis Conradus anxiâ religione breui conficeretur, neque enim igno-

rare potest, quod tota Italia nouit, se ex regulâ delectus dignioris ad purpuram promotum. Ferrariæ delitescebat, vel potius inde per totam Italiam percrebuerat fama viri doctissimi & integerrimi, qui vitæ genus, & institutum, Diui Yuonis Patronorum Aduocati secutus, ita ad viuum mores & sanctitatem expressérat, vt Yuonem sin primum, certe solum illius instituti sanctum esse, passus non sit. Atque hâc non minus boni quam magni nominis, celebritate permotus, ni fallor, Vrbanus VIII. Conradum solâ meritorum commendatione sibi notum & charum, Romam aduocauit & ad purpuram prouexit.

Ex hâc breui obseruatione, duo ad rem nostram colligo, primùm Conradi electione, testatum fecisse Pontificem se in adoptandis Ecclesiæ administris, certiorem regulam de digniore deligendo secutum; nec ad securitatem conscientiæ vteumque digni delectum minimè sibi satisfeciſſe: quandoquidem digniorem, Ferrariæ agentem causas pauperum, & in suo musæo delitescentem adeo anxiè longius quæsiuit, Romamque pertraxit, vt hâc non minus iustâ, quam inopinatâ prouectione, ad eminentissimam dignitatem, non tam Conradum ornaret, quam ipsammet virtutem commendaret, & reliquis Ecclesiæ Pastoribus demonstraret peccaturos grauiter in suum officium, & bonum publicum, nisi inquirerent digniores. Et reuera ita est; neque enim puto Principes, quibus digniorum copia est, aut non admodum difficilis inquisitio, nec curant promouere, contenti ex Caramuelis regulâ dignorum electione, grauissimè in bonum publicum, & in Deum peccare; & quamuis alia desint vitia, hac solâ negligentiâ sibi damnationem asciscere. Nam præter quod viri meritissimi fraudantur præmio suarum virtutum; quis referat, aut capiat mala, quæ ex huiusmodi præpostera digni electione, cum dignioris contemptu in Remp. & in Ecclesiam deriuantur? Quibus superandis, cùm impares sint vtcumque digni, digniorum sine dubio sapientiâ & constantiâ, aut tollerentur omnino, aut leuiora fierent. Sed vt ad Conradum redeamus, nemo dubitat, quin ex dignioris regulâ electus, si penes ipsum esset facultas; omnium Ecclesiæ Ministrorum ex eadem lege electiones fieri statueret. Cur ergo dignos tantùm admittit postpositis dignioribus? Quasi hoc ipse pro officio prohibere debeat, aut si maximè

vellet, id consequi possit. Videtur Caramuel fingere, vt sui argumenti vim augeat, & nos, vt solent dormientes, inter somniandum phantastico pondere opprimat, vel è toto orbe Christiano Romam confluere, quotquot ambiunt beneficia, eosque Conradum nominatim nosse, audire ad concursum disputantes, & doctioribus magisque piis Sacerdotia conferre, nullo iuris Regum Patronorum beneficia resignantium respectu; quos ipse velit, vel quos digniores censeat, habere promouendi facultatem. Si ita res haberet, vt videtur comminisci Caramuel, felicissimè cum Ecclesiâ ageretur, & digniores sine dubio minus dignis anteponeret, ne grauissimorum criminum se apud Deum reum perageret. Sed videtur ignorare Caramuel, quid ad illum spectet, quid illi juris sit in elections ad beneficia, vnde ipse nomen habeat, quod scilicet diem & annum Pontificatus apponat litteris & rescriptis: & ideo qui noua officia & nomina ad purioris Latinitatis leges reuocant, datarium volunt esse diarium ascriptorem, qui in re beneficiariâ apponat diem, non Pontificij Chirographi, sed missi rescripti. Videat igitur Caramuel, an inde possit in Cardinalem Conradum deriuare omnem culpam & inuidiam, digniorum repulsæ à muneribus Ecclesiasticis, vel illi securitatem afferre, quasi ex opinione minus probabili, saluâ conscientiâ digni eligantur, prætermissis dignioribus.

Quod vrget argumentum, de assiduâ procuratione Pastoralis muneris, jure diuino constitutâ, ex probabiliori opinione; cuius tamen ex minus probabili, gratiâ fiat per plures menses & annos: Respondeo in hâc re, sicut in cæteris, quæ ad mores spectant, duo distingui oportere: Primum quid Ecclesiæ regimen habeat, deinde quid certiores regulæ præscribant, quod more sit receptum. Si primum attendamus de residentiâ, seu jugi præsentiâ Pastorum, & vigilantiâ in gregem, perinde statuunt & pronuntiant Concilia & Pontifices, ac si jure diuino esset sancita: si in vitam aliquot Pastorum inquireremus, immanè à decretis Ecclesiasticis distare proh dolor! deprehenderemus: perinde enim abesse à suis Ecclesiis tutum, ex minus probabili opinione putant, ac si per se obita Pastoralis sollicitudo, & præsentia, ne quidem humano iure præscriberetur, & esset tantum res consilij, non præcepti. Neque

enim ita feliciter nobiscum agitur, vt nihil à legibus & statutis majorum, nostri mores dissentiant. Cæterùm quamuis demus, jugem Prælatorum præsentiam juris esse diuini, ex certâ sententiâ; non tamen ita vrgere volumus, quin ex iustis causis, vt grauis mali vitandi causâ, & totius Ecclesiæ promouendi boni, liceat Pastoribus abesse à suis Ecclesiis, & per alios obire hanc Prouinciam. Sed hic etiam cauenda est Probabilistarum licentia, qui nihilo magis religiosiores, aut minus laxi esse solent in jure diuino, quam humano interpretando ac dissoluendo. Mihi hâc in re placet Bellarmini sententia & exemplum, qui ad purpuram & ad Archiepiscopatum Capuanum promotus, cum ad grauissima quæque negotia Ecclesiæ, eius consilio & operâ vti vellet Clemens VIII. non est passus se Romam trahi, nisi abdicato Archiepiscopatu; neque putauit totâ authoritate Pontificiâ, ingentibus in Ecclesiam & religionem meritis, longiorem à Capuano Archiepiscopatu absentiam posse excusari. Quare aut Romam sibi deserendam, aut Archiepiscopatum deponendum esse statuit: nec adduci potuit vnquam, vt Romæ dimidiâ anni parte moratus, annuos reditus & titulum Archiepiscopi seruaret. Iurarem illi Caramuelis ignotas fuisse aut improbatas, probabilitatis regulas.

PARAGRAPHVS VLTIMVS.

Responsio ad argumentum & exemplum dispensationis à voto solemni.

VNVM supereſt à voto solemni immunitatis exemplum, quod primo loco reposuerat Caramuel, nos in vltimum distulimus; vt paulo accuratius discutiatur, in gratiam Angelici Doctoris, cuius hâc in re sententiam, vix conciliari posse putant nonnulli cum sanctionibus Pontificiis: & mirantur quod vere ac solidè Iunior commentariis in quartum Magistri Sententiarum scripserat, retractasse maturiori ætate, & in pejus mutatum; quasi falsum fecerit, quod in prouerbium abiit de *posterioribus curis meliora quæ priores emendent.* Nam 4. Sententiarum distinctione 38. communem sententiam hodie receptam propu-

gnat consentaneam Pontificum decretis, votum scilicet quodcumque perinde solemne ac simplex, dissolui posse & interdum oportere authoritate Ecclesiasticâ, & ab illo eximi Monachum sensu diuiso; quamuis composito id repugnet. At in summa 2. 2. quæst. 88. art. 11. nullo modo fieri posse quacumque authoritate asserit, inductus vt expresse habet authoritate decretalis Innocentij II. *Cùm ad Monasterium*, vbi ita sanxit Pontifex, *abdicatio proprietatis, sicut etiam custodia castitatis, adeo annexa est regulæ Monachali, vt contra eam nec summi Pontifices possit licentiam indulgere.* Id sensu composito interpretatur sanctus Doctor, eiusque sententiæ adhærent ferè omnes: sed in summâ contra mentem Cajetani qui eodem sensu locutum esse vbique asserit, reliqui Thomistæ communi consensu, prorsus indissolubile votum solemne à Sancto Doctore assertum defendunt. Ægerrimè ferrem fraudi esse Sancto Doctori, quod maturiori ætate docuit; quasi tum minus quam junior saperet, & quam in Sedis Apostolicæ reuerentiam est meditatus, emendatio, censeatur in eiusdem Sedis iniuriam verti. Sed vtramque notam & accusationem facile depellam & delebo.

Cum de qualibet re triplex institui soleat quæstio 1. an repugnet, aut fieri possit, deinde an conueniat existere, denique an reipsa sit; de voto solemni quâ ratione distinguit Sanctus Doctor à voto simplici à quocumque emisso, aut sacris Ordinibus annexo, quasi indissolubile & vi innatâ Matrimonium dirimente; has tres quæstiones vnâ argumentatione sancti Doctoris texam: monstrabo 1. nihil repugnare quin per se indissolubile sit, tum id conuenientissimum esse, & Euangelicæ perfectioni consentaneum: vltimo tandem efficiam probabilius videri in Ecclesiæ decus ita fuisse institutum.

Prima & altera nostri asserti pars, vix negari potest, nisi per summam proteruiam, nec citra errorem: quamuis enim sit plenum Dei ius, in omne ens creatum ex vnâ omnipotentiâ, & adoptione gratiæ ac baptismo, si fieri potest in infinitum creuerit in nos nouis titulis confirmatũ sit; certum tamen est apud Catholicos, aduersus Lutheranorum dogma, superesse votis locum, quibus quasi nouis vinculis nostra, nosque ipsos Deo deuoueamus: ac proinde, quid vetat quin vario genere votorum Deo alli-

gemur, & in sortem diuinam transeamus, dispari quasi vnionum & cognationum gradu? Atque vt ab humanis exemplum sumanus; quandoquidem voti vis in hoc posita est, vt Deo nos consecret, & in illius transferat potestatem; distinguendi sunt varii huius mancipationis gradus iis non dissimiles, quos iuris consulti de rerum venditione constituunt: Sicut agri fructus solent interdum vendi, seruato iure dominii & proprietatis in agrum, interdum ager pleno iure in emptorum transit, & præter plura, quibus distant hæc duo genera conuentionum, hoc maximè differunt, quod ager oppigneratis vni fructibus, vendi possit alteri valide, quamuis inique, si cedat in noxam emptori, fructus; peracta vero superiori venditione, nulla imposterum validè tentari potest? Quid repugnat, aut quid mali habet, si iisdem gradibus votum solemne à simplici distet, si istud oppigneret Deo fructus castitatis, illud agrum & corpus, vnde existunt, in illius mancipet potestatem & obsequium? Eoque discrimine constituto, illicita non inualida sunt, quæ à reo voti simplicis ineuntur matrimonia, nulla vero quæ votum solemne sequuntur, nihilo minus quam venditio post rem omnino alienatam. Si ita distinguas votum solemne à simplici, reliqua quasi data porta ruunt. Dotem hanc singularem habet doctrina D. Thomæ, quæ illi merito Angelicæ nomen comparauit, quod Angelorum more, omnia vno complectatur, omnia in vnum resoluat, & ex vno trahat. Discrimine posito inter hæc duo genera votorum, reliqua veniunt consecutione necessariâ. Quod ad primam quæstionem attinet, an possibile sit huiusmodi discrimen votorum, nullum arbitror, adeo rerum Theologicarum rudem, qui hoc in dubium reuocet; nec puto longe abesse ab hæresi Caluinistarum, qui omnia vota vno baptismo irrita fieri docent, vi & plenitudine, vt dicunt, dominij quod regenerationis sacramento in nos Deo comparatur.

Hinc ad secundam quæstionem progredior an conueniat. Negabit fortè aliquis, quasi hoc consecrationis, & mancipationis genus obsit, communi omnium Christianorum baptismo factæ & Sacerdotali ordinationi: quasi maior sit quam addit votum solemne. Quod ad primam comparationem spectat ex baptismo, monui hæresim Caluinistarum resipere, qui non dissimili argumentatione, in

noxam baptiſmi trahunt vitam monaſticam ; nec magis officiunt conſecrationi ſacerdotali. Quis enim non videat diuerſiſſimam eſſe ab eâ quæ ex voto exiſtit : & cùm toto genere differant, vnius gloriâ nihil alteram inumbrari ? Quid enim euidentius harum conſecrationum diſcrimine? Nam omnium conſenſu, Monachatus matrimonio in totum repugnat, ad minus ſenſu vt dicitur compoſito : nequit enim ſtare, monachum coniugem, aut rerum proprietatem habere, & ſui eſſe arbitrii ; quæ conueniant cum quâcumque ex Baptiſmo, aut Ordinibus conſecratione: Ergo in nullum aliorum graduum dedecus, ſed in maximum Eccleſiæ ornamentum cedit, hæc ex voto ſolemni conſecuta mancipatio ad diuinum cultum, dirimens matrimonium, & iure diuino indiſſolubilis.

Dices forte. Iura Eccleſiæ & Pontificum minuere, à quorum tamen conſenſu, & acceptione pendet : vnde videtur eſſe res iuris humani & poſitiui. Sed nego vtrumque aſſumptum : Id quidem concedo, contra Eccleſiæ conſenſum, fieri non poſſe valide huiuſmodi mancipationem : ſed vbi probata & accepta fuerit, non poſſe reuocari. Poteſt Princeps lege prohibere ne vlla venditio fiat prædiorum, niſi ſolâ fructuum oppigneratione, & ſtatuere vt irrita ſit quæcumque agrorum tentabitur : ſed vbi permiſerit fieri, maximè alienigenis, qui res aliò transferant, nequit factam reuocare. Ita planè cenſet Diuus Thomas, vota ſimplicia edendi, liberam cuilibet ſuppetere facultatem ; ſolemnia vero nulla rata eſſe, niſi quæ permiſerit edi, à vitam Cœnobiticam profeſſis : & vbi in Dei ſortem, ſolemni hâc mancipatione tranſcripti ſunt, nemo rapit illos de manu Dei. Rem ita tranſigi poſſe, & ad perfectionem Chriſtianam, atque Eccleſiæ ornamentum conuenire, ſuperfluum puto pluribus probare, cum rei ipſius nuda explicatio id euincat.

Quod ad tertiam quæſtionem ſpectat, an ita res ſe habeat, fateor hactenùs eâdem euidentiâ, aut neceſſariâ conſecutione, ex ſuperioribus compertum non eſſe ; neque id S. Doctorem tentaſſe. Nam longe alia illi mens, & methodus eſt familiaris, quam cui adhærent Theologorum nonnulli ; qui rem putant fide credendam, ſi ſemel probauerint nil repugnare, conuenientiſſimam eſſe & ad Dei gloriam plurimum conferre. At D. Thomas de quâcum-

que re probauerit fieri posse, & conuenire, vix audet ex probabili etiam opinione asserere, reipsâ dari & existere. Nouit nempe profundissimæ sapientiæ vir, quâ maior vix vlli mortalium contigit, summam Dei in rebus condendis libertatem, quæ nullâ necessitate addici, aut conuenientia trahi potest, ac proinde aliunde, quam à nostris coniecturis quærenda esse, quæ ad hanc tertiam quæstionem pertinent. Vnde verò proba voto solemni, quale explicuit, distincto à simplici, reipsa nos ligari quasi vinculo indissolubili? Diuinæ voluntatis interpretes audiendos, in re occultissimâ & ignotâ sibi proposuit. Retulimus decretalem Innocentii, quâ se inductum, satis aperte scribit S. Doctor in hanc sententiam, & huius Pontificis decretum defendendi causâ, explicatam voti solemnis notionem tradidisse & illustrasse.

At longe aliud, inquit, Caramuel, senserunt Pontifices, qui D. Thomam præcessere, & extabant exempla eorum, qui à voto solemni exemerant, quale est Alexandri III. quem ferunt licentiam concessisse, vxorem ducendi, Nicolao Iustiniano Monacho professo: & Cælestini tertii, qui adnuit, vt Constantia Monialis Regis Sicilia filia, nuberet Henrico VI. Idem indulsisse narrant Clementem II. Casimiro Monacho Cluniacensi & Diacono, vt Poloniæ Regnum adiret. Sed præter quod Baronius ad annum 1186. refellit duo priora exempla, & fabulis accenset: & ad annum 1041. corrigit 3. exemplum, & exemptionem à Monachatu Casimiro concessam, refert ad Benedictum IX. Respondeo Decretalem Innocentii fuisse D. Thomæ notiorem, maiorisque authoritatis, quam illa exempla incerta, & forte falsa. Deinde, nonne poterat sibi persuadere, ita tum de voto solemni (quod coniugii species est animæ cum Deo sponso) iudicatum, sicut frequentissime solet de matrimonio consummato, quod non soluitur quidem (neque enim id fieri potest) sed initio irritum fuisse definitur, cum aliquid vitii, quo nullum fiat, habuisse compertum fuerit. Adde apud D. Thomam plus dicta, & scripta Pontificum valuisse, quàm vnius factum. Neque immerito, quis enim neget periculosius errare, & grauius nocere, qui scriptis perpetuo duraturis falsa docent, quam qui facto peccant? A quo genere mali, sciebat Petrum, etiam post delapsum in se, & receptum cum maximâ Charismatum

copiâ Spiritum sanctum, non fuisse immunem. Hæc omnia nouerat D. Thomas, & plura occurrebant, quæ votum esse indissolubile, quàm quæ solui posse persuaderent.

Sed adeo frequentia feruntur esse hodierna exemplà exemptionum à voto, vt vix negari posse, putent multi, quin secus agant & sentiant Pontifices, quam quod docuit S. Thomas. Possem respondere, pauciora extare huiusmodi exempla, quam dissolutionis Matrimonii consummati, quæ tamen certum est, non dirimere Pontifices, sed definire, ob vitium aliquod occultum, nulla fuisse pleraque huiusmodi matrimonia; neque enim minus frequentia subsunt vitia voto solemni, quod iam diximus Matrimonii genus esse, quo anima adhæret Deo. Quid si etiam addam, non vnam esse sententiæ D. Thomæ interpretationem. Nam si fides sit Caietano, sentit votum solemne Religionis indissolubile esse, seu, stare non posse sensu composito, cum coniugio & dominio rerum, licet nihil prohibeat abdicari institutionem Monachi, & eâ sublatâ, dari ius coniugii: sed demus Caietani interpretationem singularem esse, & alienam ab aliis Thomistis, & forte minus accedere ad mentem D. Thomæ, qui satis aperte statuit votum solemne, omnis exemptionis impatiens: quid inde infert Caramuel? Pontificem ex minus probabili opinione, dissoluere votum solemne, ex probabiliori prorsus indissolubile.

Hoc vno argumento, continetur vis tota vndecimæ resolutionis: sed Respondeo primo, qui adhæserunt sententiæ D. Thomæ probabiliori Pontifices, nunquam credidisse, sibi tutum & integrum indulgere huiusmodi immunitates. Exemplo sit Pius V. qui doctrinâ D. Thomæ imbutus, fertur negasse huiusmodi dispẽsationes, causatus iuxta doctrinam, cui à puero fuerat innutritus, id sibi non licere. Sed plures decessorum, aut successorum, referuntur exemisse à voto solemni. Esto; sed aliunde sciebat Pius V. in rebus dubiis, & controuersis, illi adhærendum sententiæ, quæ cuique foret, non vtcunque probabilis, sed probabilior aduersâ. Aliis aliud visum, & ideo aliter factum; quos non damnabat, nec etiam putabat sibi imitandos; quod diuersum prudentiæ, & conscientiæ dictamen sequeretur. Neque enim in rebus controuersis scholæ, omnibus idem

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [429] - 349
PUBLIC DOMAIN

placet,& probatur; sed nunquam ratio & prudentia assentitur, ad honestatem actionum, & securitatem conscientiæ ac salutis, satis esse duci ex minus probabilibus, nullâ probabiliorum habitâ ratione, quod vnum contendit Caramuel; nec magis hoc dispensationum vsu, quam aliis argumentis hactenus probauit. Nullam enim exemptionem à voto solemni asserimus datam ex nupera Caramuelis regulâ, sed ex antiquâ & certissimâ Iuris, cum dubia res est, & nulla pars tuta apparet, quia vndique pericula impendent, eam partem eligendam, vnde minus mali timetur. Cuius regulæ plura exempla dedimus. Aptissimum omnium est, Baptismi cum aquâ dubia (si desit elementaris) puero moribundo impertiti, & si periculum euadat puer, iterandi. Atque eo statu fuisse dico Pontifices, qui à voto solemni exemerunt, non potestatis ostentandæ gratiâ, sed ob causas grauissimas, promouendo bono Ecclesiæ, aut malis grauissimis arcendis, putarunt licere sibi, non omnino certum vinculum dissoluere. Probandi sunt qui eo animo, his argumentis, muniti Pontifices, exemptionem non negarunt. Sed hoc Caramuelis causam nihil iuuat, nec officit opinioni D. Thomæ, qui non magis damnaret hanc solutionem à voto solemni, quam baptismum ex aquâ dubiâ, cùm aliunde non suppetat remedium malo, quod grauius timeatur, quam dubiæ aquæ vsus ad Baptismum. Ita vinculi, non omnimo certi, & voti probabilius tantum indissolubilis relaxatio, probanda tantum est ex regulâ minoris mali eligendi, vt grauius effugiamus. Plura habet Soto lib. 7. quæst. 2. de iustitiâ art. 5. consentanea his quæ diximus. Votum simplex distinguit à solemni, sicut promissionem nudam rei, à traditione, & abdicatione dominii eiusdem rei promissæ, in alium translatæ. Ex hoc discrimine, reliqua deducit, quæ nos prosecuti sumus; licere cuique vota simplicia edere, solemnia vero rata non esse, nisi accedat Ecclesiæ consensus. Huius rei duas probationes affert: prima est, rem promitti posse, non tradi, nisi sit qui recipiat. Si dicas, Deum recipere quotquot se ipsos dedunt voto solemni, ac proinde vanam esse distinctionem voti solemnis & simplicis, quod illi respondeat, qui se dantem recipiat, isti nullus adsit. Respondet Soto (& hæc est altera discriminis probatio, seu confirmatio superioris) votum solemne fieri plenâ

sui mancipatione, cum mutatione ſtatus; quæ res cum ſit grauiſſima, nec fieri queat ſine maturo iudicio & examine, non eſt committenda vouenti, ſed Eccleſiæ, quæ exploret an qui ſe tradit, ſit ad huiuſmodi ſtatum idoneus.

Hinc ergo neceſſarius eſt Eccleſiæ conſenſus: hinc etiam fit alia vota, qualia ſunt peregrinationum, ieiunii, non eſſe ſolemnia, quia non habent plenam illam ſui traditionem, & mancipationem cum mutatione ſtatus. Hinc præterea deducit, ſtatum Monachi, vt firmus ſit, exigere præter nudam promiſſionem, vouentis traditionem, quæ peracta retractari nequit, & impedimentum eſt matrimonium dirimens, quia vni ſtatui mancipatus, & vnius voluntati deditus, iure naturali, eſt inhabilis ad ſtatum oppoſitum: ſtatus vero Monachi, eſt cum perfectâ ſui mancipatione in Dei dominium, & obſequium; vnde repugnat matrimonio. Ex eodem capite, infert votum ſolemne differre ſpecie à ſimplici, ſicut traditionem rei à promiſſione, & grauius peccare, qui ſolemne violat, quam qui ſimplex: quia ille repetit, & reſumit quod tradiderat, alter non implet quod promiſit: maius autem & firmius eſt, ex traditione, quam ex merâ promiſſione, ius in rem quæ negatur. Et hæc ſufficiant ad hanc quęſtionem grauiſſimam. Nunc accedamus ad vltimam diſſertationis partem.

SECTIO SEXTA ET VLTIMA.

Quartum genus teſtimoniorum à Theologis. Inquiritur mens D. Thomæ, & Reſpondetur opuſculo P. Ferrerij.

HOc ſupereſt vltimum ex quarta claſſe argumentorum, & ex totâ diſputatione, teſtimonium pro delectu opinioris tutionis: Accuratius eſt indaganda mens D. Thomæ, ne videar falſo toti operi titulum præfixiſſe *Moralis à Diuo Thoma conſtituta.* Addemus etiam aliqua, occaſione opuſculi P. Ferrerii, qui licet breuius, accuratius tamen & ſolidius videtur hanc controuerſiam tractaſſe;

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [431] - 351
PUBLIC DOMAIN

& qui mihi eius libri copiam faciebat, admonuit, plus virium habere, quam qui hactenus probabilitatum causam peregere. Iudicium viri docti confirmauit lectio libelli, cui respondendum omnino est, ne videantur nutare, quæ multo labore, his dissertationibus confirmata sunt. Sed prius submouendæ sunt quædam vitilitigationes Caramuelis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Pluribus Caramuelis obiectionibus satisfit.

CAVSAM probabilitatum agit Caramuel à numero 202. vsque 215. quibusdam cauillis, potius quam argumentis. Quid enim ad securitatem asserendam opinionibus, de re morali, contra legem pugnantibus, conferre possunt, quas multis paginis versat quæstiones? An Summus Pontifex possit sibi successorem designare, & re ipsâ Petrus sibi S. Clementem suffecerit: an Scriptura præter sensum litteralem, interdum soli Deo notum, plures citra errorem, ac temeritatem admittat probabiles eiusdem generis ad litteram, vel diuersos, qui pertineant ad mores, & vitam probe instituendam, vel quos vocant Anagogicos, quibus ad diuina rapiamur, & æterna ac celestia bona gustemus? Quid refert ad hanc causam inquirere, an gratias Deo agere, & habere conueniat, de beneficiis non omnino certis, sed probabilibus, qualia interdum D. Augustinus, aliique scriptores Exegetici, suis ad Deum orationibus admiscent? Non poterat ignorare aduersarius, nos facere copiam omnium probabilitatum, cuiuscunque sint generis, iis exceptis, à quibus timetur, ne dum à vero aberramus, legem diuinam lædamus, & peccati atque æternæ damnationis periculum incurramus.

PARAGRAPHVS

Paragraphvs Primvs.

Respondetur pluribus objectionibus Caramuelis.

Qvæcvnqve argumenta, & exempla habet, per centum fere paginas & numeros, duobus hisce verbis delentur, saltas extra chorum, quęcunque affers, nihil ad rem, non probas negatum: Paralogisas perpetuo Sophismate, à sensu restricto ad amplissimum: datur aliqua opinio probabilis & tuta, Ergo omnes opiniones probabiles tutæ sunt; vel opinionum quæ ad speculationem pertinent, vtraque tuta est: Ergo idem statuendum de opinionibus, quæ ad mores, ad vitæ institutionem, & ad salutem spectant, vel opinionum, quæ vtrinque pro officio pugnant, & neutra pars periculo caret paris momenti, vtraque potest esse tuta: Ergo idem asserendum, cum pugna est pro lege, contra libertatem, pari probabilitate, aut si velis maiori. Nihil verius horum trium Enthimematum Antecedente, nihil illegitimum magis Consecutione, nihil magis falsum Consequente illorum argumentorum: & nullum affert exemplum Caramuel ab his vitiis & fallaciis immune.

Primum quidem exemplum de Pontifice, iure minus probabili, contra probabilius adoptante sibi successorem, vt solebant Imperatores, & vt de Petro fertur, Clementem sibi designante. Nego ita factum esse, nec immerito: quandoquidem Baronium Annalium Ecclesiasticorum parentem sequor. Sed Caramueli aliud videtur, & addit, Baronio à se dissentienti, solere se credere probanti, non dicenti: quasi Baronius temere scribat, aut quæ scribit, comminiscatur, non probet. Sed forte Caramuel, in Germania multis annis versatus, illius regionis moribus imbutus, plus fidei habet, Centuriis Magdeburgensium, quam Baronii annalibus. Baronium historiæ Ecclesiasticæ decus, cum hoc vno tantum loco (nisi me fallit memoria) referat, non debuit ipsis etiam hæreticis venerandum ita contemptim nominare. Sed ad rem

Aut vult Petrum, aliosque Pontifices, legitimum ius

habuisse, sibi successores sufficiendi, abrogatâ quâcunquè aliâ electionis ratione; vel id sibi soli Petrum vindicasse nihil de successoribus sollicitum: vel vltimo nihil imperasse, sed insinuasse tantum, & cum consensu Cleri Romani, penes quem videtur ius esse eligendi vrbis Episcopum, futurum totius orbis Pastorem, à morte Petri, quæ hęc duo munera, æterno vinculo conjunxit. Si horum trium quibus potest assentiri Caramuel, primum eligat, falsi manifeste conuincitur; neque enim illius legis, etiam per somnium vllum in Scripturâ, vel apud Authores Ecclesiasticos extat vestigium, neque iusta & ęqua esse potest. Quâ enim authoritate, illam tulisset Petrus? An diuinâ, & eâdem, quâ potuit libros Canonicos scribere, & Dei nomine sic Ecclesiam compellare, non ego, sed Christus, præcipit vobis, nec alium Pastorem Ecclesię agnoscatis, quam à me, & à successoribus nominandum? Vel ita allocutus est, non Christus, sed ego hoc vobis pręcipio, & jubeo hanc perpetuam legem seruari. Hâc secundi generis authoritate, lata lex, iniqua erat futura, nisi Ecclesiæ consensus accessisset, quia vt dici solet, par in parem non habet potestatem, nec Petrus semotâ authoritate diuinâ, poterat in posterum successores astringere, lege his verbis latâ, *ego ita præcipio, non Christus*. Si autem Christi nomine ita statuisset, ab origine præuaricata esset Ecclesia, quandoquidem grauissimam diuina authoritate munitam legem, de Pastoris electione à solo decessore nominati, nunquam legitur obseruasse.

Si huius commenti pudeat Caramuelem, & ad alteram partem confugiat, Petrum hoc sibi vni jus vindicasse, & vnâ ex præcepto electione, sibi designasse successorem, ineptior est priore hæc secunda responsio: neque enim ignorare poterat Petrus præcepta singularia, hoc maxime à lege differre, quod extinguantur morte authoris; Ergo sublato è viuis Petro, irritum erat præceptum, vnde vult vim habuisse Clementis designationem à Petro factam. Supereſt ergo tertium, reipsa designatum, Clementem, quod tamen incertum omnino est, & probabilius falsum, si velit id factum sine assensu cleri Romani: Verius ergo sola in Petrum reuerentia, nullo jure illi, aut successoribus comparato, ex quâcunque opinione probabili, suo loco sufficiendi Pontifices, Clementem (si à Petro

fuerit nominatus, quod ambiguum est) ab Ecclesiâ vnanimi consensu fuisse acceptum. Hæc dicta sunt à me fusius, quam exigeret aut ferret argumentum. Sed volui hoc primo exemplo specimen dare reliquorum; vt ex vno, de aliis iudicet Lector. Quid enim ineptius ad rem: huiusmodi exemplis probabilium, quæ per totum genus opinionum vagantur; cum de vnâ tantum specie disputemus, an licitum sit & tutum, ex quibuscumque opinionibus probabilibus vitam instituere, reclamante probabiliori opinione pro lege? Hoc vnicum verbum, quæcumque congerit exempla & argumenta euertit; quia sunt à Thesi omnino aliena. Atque vt ad alia progrediamur, dubito an debiliora, aut ineptiora sint, quæ vndequaque corrogat ex Augustini interpretatione sex dierum creationis Vniuersi, quæ adeo dissentanea videtur Arriagæ, vt non audeat Augustino assentiri; & ex variis interpretationibus, eiusdem interdum loci Scripturæ probabilibus, quæ ad litteram, ad mores, aut sensus Anagogicos pertineant, nullius periculi quisquam suspectas habet; Ergo, inquit, quæcunque opinio probabilis ad mores spectans, non minus secura est, quam quæcumque interpretatio Scripturæ. Huic argumento, à variis sensibus Scripturæ, adjungit, quod toties repetiit, decretum de cultu rei probabilis, qualis est Conceptio immaculata: addit nos gratias agere Deo, de beneficiis probabilibus tantum, & interdum minimæ probabilitatis, qualia recenset Augustinus; & Deum impense laudat quod se, non auem, non piscem, sed hominem paulò minorem Angelis creauerit, cum tamen multi Philosophi dubitent, an ita sit, & pares omnino, & eiusdem speciei velint esse homines & Angelos.

Hæc non tam refero vt refellam; quam vt palam Lectori faciam, quam destituantur aduersarij argumentis, qui istis vti cogantur. Putatne Caramuel nihil magis certam & exploratam esse oportere vitæ regulam, cum de summâ rerum agitur, de salute æternâ, de lege diuinâ violandâ, aut implendâ, pugnantibus inter se opinionibus, quas necesse sit ad viuum resecare; quam cum affectibus in Deum indulgemus, & æstu Charitatis abrepti, facta, infecta, certa, dubia, & inconcessa, assumimus in argumentum laudandæ diuinæ bonitatis, agendarum Deo gratiarum? Plane monstrat aduersarius, Theologiam fundamentalem,

cui vni ſtudet, ex eius memoriâ deleuiſſe prima etiam rudimenta Theologiæ Myſticæ, quæ ſenſibus Anagogicis nihil cum textu, & litterâ Scripturæ pugnantibus, abripit nos in Deum, & ad ſupernam patriam tota anhelat.

Non videtur admodum diſſentire ab Arriaga, qui totas nationes ait laborare ignorantiâ inuincibili vnius numinis, & totius Religionis: quia licet ex creaturarum conſpectu, identidem in illorum mentem, immigrent cogitationes alicuius naturæ prouidæ, æternæ, quæ hæc omnia condiderit & regat, quæ cultu ſupremo ſit colenda; poſſe tamen citra omnem culpam hanc Dei inquiſitionem nihilominus negligere; quam cauſarum propagationis arborum, quas vident è terrâ naſci & excreſcere. Ita Caramuel probabilitates tanti facit, vt nihil putet differre, & paris ſint vbique periculi, aut emolumenti, neque magis timendæ ſint, cum aduerſantur ſaluti, & legi diuinæ, quam cum vtiles ſunt, & efficaces ad Charitatem in Deum accedendam: nunquam lege cautum eſſe, ne officia à filiis exhibeantur parentibus, quibus ſubſit aliquod dubium, ne legitimi ſint, ne gratiæ habeantur, niſi de beneficiis compertis: ſicut enim minus mali eſt, ſolui officia iis, qui putantur parentes eſſe, nec ſunt, quam negari veris & legitimis: ita præſtat ſuperfluas reddi gratias, quam prætermittere neceſſarias, quia nihil mali impendet ex vno, & altero potes incurrere ingrati animi vitium, quo diuinæ miſericordiæ fons, vt inquit Bernardus, deſiccatur.

Niſi quælibet opinio probabilis ſit tuta, etiam cum legi aduerſatur, periculum erit ne pecces, ſi gratias agas Deo, quod te minorem Angelis creauerit, quia probabile eſt, te eſſe in eodem cum Angelis gradu. Mirum eſt, pericula phantaſtica intentat, vt doceat vera contemnere: & vt terrorem hunc panicum depellam, dico, nihil eſſe periculi ex opinionibus ptobabilibus, niſi cum deliguntur minus probabiles, contra legem, & tutiorem partem; quæ mala, aut pericula longiſſime abſunt, cum gratias Deo agimus, & vndequaque arripimus argumenta charitatis, & grati animi in Deum; neque enim negare licet, eam eſſe beneficiorum Dei in nos magnitudinem, vt quæ nouimus, ſint pars minima præ illis quæ ignoramus. Quid ergo mali eſt, ſi pro ignotis gratias agamus, vel ad illorum notitiam, quibuſcumque conjecturis aſſurgamus?

Hæc ordine paululum præpostero, de gratiarum actionibus, breuius dicta sint, vt fusius refellamus alteram argumentationem, à probabilibus diuersorum generum interpretationibus. Putatne Caramuel, perinde sensus Scripturæ ad litteram varios inter se pugnare, aut cum interpretationibus Moralibus & Anagogicis, ac opiniones, quæ negant, & affirmant, licere æquiuocationibus, & restrictionibus fucare veritatem, quæ præceptum amandi Deum interdum, aut ad minus semel per totam vitam tollunt vel astruunt? Si huiusmodi opiniones æquiparet interpretationibus Scripturæ probabilibus, & velit parem vbique concordiam, aut pugnam, & omnes perinde innoxias, aut periculosas, conuellit omnia Scripturæ & Theologiæ fundamenta. Si id pudeat fateri, ad quid ista consecutio, tutæ sunt eiusdem loci Scripturæ interpretationes variæ, quæ ad mores, ad sensus Anagogicos, & interdum etiam ad litteram pertinent: ergo idem sentiendum est, de quibuscumque opinionibus inter se de lege, & salute pugnantibus? Nego & pernego consequentiam, nisi huic comparationi aliquem modum adhibeas, cuius generis sunt quos subjungo.

Sicut Origenes pessime audit, quod interpretationes Scripturæ Morales, Analogias, velit pro necessariis haberi, & litteræ sensum debilitet, aut tollat, causatus, quem præferunt verba Scripturæ sensum, difficillimum esse, & ab omni specie veri alienum, ac proinde molliendum esse Analogiis: ita non longe absunt ab Origenis licentiâ, vel potius hæresi, qui legem diuinam obscuram, difficilem, arduam vbique clamant, ac proinde benignioribus interpretationibus leniendam, & vt jugum illud leue fiat, tutam esse quamlibet opinionem, quamuis probabilius à vero sensu legis dissentientem; quamdiu aliquid supererit probabilitatis, quo falsitas & error tegatur. Hoc certissime denuntio, minus sibi permisisse Origenem ludere Analogiis in Fidei mysteria, quam Caramuelem probabilitatibus in legis diuinæ præcepta.

Addo, me non improbare huiusmodi comparationem, hoc sensu; sicut Scripturæ interpretationes cuiuscumque generis admitti, & probari nihil vetat, si vtiles sint ad pietatem, nec sint à genuinâ & litterali alienæ, neque cum illâ probabilius pugnent: ita patiar, securitate frui quascum-

que opiniones probabiles, quamdiu non fuerit æque, aut magis probabile, à vero legis sensu recedere. Si ita comparationem ineamus, opinionum cum interpretationibus Scripturæ, fateor, legitimum esse argumentum, quo fundamenta Theologiæ Caramuelis euertuntur: & si ipsamet Augustini interpretatio de operibus sex dierum, probabilius dissentiat à contextu Scripturæ, non defendam quasi ad litteram, sed dicam esse Anagogicam, & excusabo solâ in S. Doctorem reuerẽtiâ. Si ita agi secum & ipsemet Augustinus boni consuleret, de vnius loci Scripturæ interpretatione, quæ videtur à genuino litteræ sensu probabilius abesse; quid de Caramuele, quid de recentioribus Theologis dicam, qui ab Augustini authoritate, & reuerentiâ remotissimi, quod illi semel indultum pro beneficio reputaret, jure suo assumant, non licere nobis, citra grauẽ temeritatis noxam & forte citra mortale peccatum, tutas negare, quas quotidie cudunt opiniones; quamuis fateantur probabilius legi diuinæ repugnare & minus illi esse consentaneas, quam textui Geneseos interpretationem Augustini de opere sex dierum? sane si vbique Augustinus, sicut eo loci à probabiliore sensu Scripturæ ad litteram recessisset, eodem quo Origenes loco reponeretur, & vix hæresis notam effugeret. Quid igitur de aduersariis statuendum, qui majori licentiâ, leges diuinas & humanas interpretantur, & pro indubitatis haberi volunt opiniones, quæ probabilius Legislatoris mentem corrumpunt? Non dubito quin Caramuelem pœniteat, hoc exemplum interpretationum adhibuisse, vnde tantam suis probabilitatibus ruinam importauit.

Sed vt comparationem illi pernicioſam, vtilem nobis claudam, obseruatione superioribus nihilo inferiori. Opiniones probabiles de agendis, æquo iure admitterem, cum interpretationibus Scripturæ, nisi diuersissima esset illarum ratio, hoc maximè nomine, quod interpretationum latissimus sit vsus, & si quæ minus litteræ consentiat, possit sine vllâ noxâ veritatis & legis, reuocari ad genera, diuersa quidem, sed non aduersa litteræ & veritati, & ad sensus morales Anagogicos, cum vtilitate maximâ & progressu charitatis. Opiniones verò morales in vsum reuocandæ, quæ rem vt dixi ad viuum secant, oportet veras esse aut falsas, legi consentaneas aut aduersas. Quare, nisi velis

totam legem funditus euertere, agnoscas oportet, aliam esse opinionum de agendis, aliam interpretationum rationem, quod istæ, per diuersa genera vagentur, illæ vno tantùm genere contineantur, quales sunt interpretationes ad litteram. Ergo nisi velis fidem, religionem & conscientiam funditus extinguere, non minus coercenda est licentia opinantium quam interpretantium Scripturam. Quis perinde putet esse interpretationes Scripturæ, seu probabilius consentiant textui, seu dissentiant? Sed quam hactenus nemo ferret in interpretandâ Scripturâ, quam nequidem ipsi Hæretici vsurpant, hanc aduersarij inducunt in vitâ Christianâ instituendâ.

Non audet negare Caramuel comparationem à nobis initam, interpreationes inter Scripturæ, & opiniones de agendis: quin vltrò agnoscit discrimen à se constitutum numero 259. vbi ait: Diuersas Scripturæ interpretationes non esse aduersus Patrum sententias, nec quâ diuersas militare contra se, sed quatenus aduersæ sunt. Ex illâ tamen varietate interpretationum, captat aliquod pro suâ causâ præsidium, hoc argumento, quod demonstratiuum vocat, cum nequidem vero simile, sed merum sit sophisma. Hæ, inquit, sacræ Paginæ interpretationes sunt in materiâ Fidei & morum, & tamen tantummodò sunt probabiles, quia SS. Patres oppositam opinionem tenuerunt: Ergo Patribus licuit, in materiâ Fidei, & morum, habere probabiles opiniones contrarias: Ergo antiquissima est illa doctrina, ac proinde errat D. Fagnanus, dum ex ignorantiâ Antiquitatis, inuentam à junioribus Theologis confidenter affirmat: Ergo, inquit, nobis tutâ conscientiâ licet, vti liberâ probabilium opinionum licentiâ; quia idem est Deus, qui judicat viuos & mortuos: At Antiquis Patribus, sub Deo licuit, in materiâ Fidei, & morum habere diuersas, & aduersas sententias: Ergo idem nobis hodienùm licet. Tandem post conjectas tot consecutiones conclamat: concluſum est adeo euidenter contra D. Fagnanum, vt quidquid pro illo dicatur cogiteturve, in ipsum perpetuo resiliat.

Argumentum perpetua est exerratio: nescias, an grauius peccet contra veritatem, aut contra leges Dialecticæ. Omnes assertiones falsæ sunt, & consecutiones quas nectit, numero septem, sunt inconsequentes. Falsum est

huiusmodi interpretationes, si ad mores, aut Analogiam, aut ad sensum Anagogicum, aut etiam litteralem, in re obscurâ, probabilem pertineat, contineri materiâ Fidei; neque enim magis ad Fidem spectant, quam accidentia ad genus substantiæ. Sed demus, esse in materiâ Fidei, & morum, licet quidem, habere interpretationes alias à necessaria non tamen contrarias. Exemplo res fiet illustrior, licet concors sit Patrum & totius Ecclesiæ Fides, de Purgatorio, & de suffragiis viuorum pro mortuis; interdùm tamẽ differunt, quoad interpretationem locorum, vnde probatur Purgatorium, sicut ex illo ad Corinth. 3. De homine fundamento Fidei apponente, fœnum & stipulam, saluando tamen quasi per ignem: quidam putant necessario inferri Purgatorium, quidam probabiliter tantum, alij nihil juuare censent Purgatorij causam, & hæc dissensio est citra vllum Fidei periculum: quia omnes admittunt pœnas animarum Purgatorij, suffragia quibus leuentur; disputant tantum, an ex illo loco inferantur necessario, an probabiliter: & hæc spectant ad speculationem, non ad vitæ, & fidei institutionem, cuius generis & momenti, sunt opiniones de quibus disputamus. Atque hâc distinctione cassæ sunt & facesunt, quas congerit consecutiones, ab interpretationibus Scripturæ variis & probabilibus, ad electionem opinionum probabilium; neganda enim est consequentia, quod toto genere differant; & si admittenda sit comparatio, nullâ adhibitâ restrictione, perit fides Scripturæ, & vitæ humanæ honestas, atque innocentia.

Minus ad rem faciunt duo quæ affert exempla ex Diuo Bernardo lib. de Præcepto & Dispensatione, vbi relatâ Gregorij & Augustini, de subjectâ quæstione sententiâ, ità concludit: *Ad hæc nihil ad præsens, certius breuiusque respondendum occurrit, nisi quod ita Sancti Patres sapuerunt: Rectene? Ipsi viderint.* Hæc verba D. Bernardi, probabilitatum causam, & securitatem jugulant; quod ita demonstro: non putauit D. Bernardus, Augustinum & Gregorium, ita hebetes, quin aliquâ probabili ratione, in suam vterque & communem sententiam fuerint inducti: quo vno tutissimos censet Caramuel, ac proinde ab omni peccato, & culpâ absoluit. Sed non ita D. Bernardus, qui nec damnare audet, nec absoluere. Quid verò statuet Caramuel, de D. Bernardo sic agente cum Sanctis Patribus,

qui Confessarium damnat peccati mortalis, si pœnitentem secutum opinionem probabilem, recuset absoluere? Quid enim D. Bernardus? Rectène, inquit, sapuerint, ipsi viderint. Quare immerito concludit Caramuel, se & cæteros Doctores, hodie Deo & mundo satisfacere, si in practicis faciant quæ possunt; & in speculatiuis scribant, quæ post studium & diligentiam debitam, rationabile credant. Excusatio plane in peccatum vertenda: quâ ratione dicis, te in practicis facere quæ possis, dum adhæres opinioni minus probabili, pro voluptate & commodo; quasi non tibi sit obuia, quasi in plateis non clamitet, & te vocet opinio pro lege probabilior, & vna negatiuè ac positiuè tuta? Et dum hâc neglectâ, alteri scribis esse adhærendum, nonne in te cadit illud Euangelij verbum: *Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt?*

Quod ex eodem libro subjungit sextum argumentum, & exemplum nihilo magis superioribus, causam probabilitatum juuat: imò quæ D. Bernardus habet, videntur scripta aduersus Caramuelem; nam qui probabilitates captant, carpit verbis Prouerbiorum 18. *Occasionem quærit qui vult recedere ab amico*: quales non desunt vnquam probabilitatum cusoribus & studiosis: neque iis destituebantur, ad quos scribebat Carnotenses, qui electionem rescindi & abrogari volebant, quasi irregularem: & licet, inquit D. Bernardus, de eâ coram Deo non dubitetur, coram hominibus tamen, aut vix aut nullatenus conuincitur; Ergo vtrimque, & pro illâ, & in illam, inuolutam & intortam, vt ait Bernardus, argumenta probabilia suppetebant. Quid ex suis regulis ad hoc dixisset Caramuel? Pronuntiasset cum amico Dianâ, litem vtrimque fore iustam, & ad arbitrium posse judicem ferre sententiam, & vni clientum vendere, & si res non esset indiuidua, partiri inter litigantes, & ab vtrisque pecuniam emungere. At contra D. Bernardus, ratus vtrimque rem dubiam & probabilem, jus tamen potius esse electi, quasi possessoris, ita pronuntiat: *Quomodo vos irregularem dicitis electionem, quæ cassari regulariter non valeat, aut reprobari? Equidem legitur, quod probari non potest, mihi infectum est.* Ex D. Bernardo, non censetur res probari, quæ paribus vtrimque argumentis munitur: & si res eo loco sit, standum

iubet, pro parte tutiore, seu pro iure possidentis, & electi; & qui litem mouet, & electionem irritam esse vult, incurrit in reprehensionem sapientis, & quærit occasionem, vt ab amico recedat.

Adeo ignota, aut reproba est antiquitati, securitas probabilitatum, contra legem, vt hactenùs repertus sit nullus locus ex Patribus, quo hâc de re mentio fiat, quin apertè & exertè damnetur. Argumento sint duo loca D. Bernardi à Caramuele citata adeo luculenta, vt probabilitatum damnationem non potuerit effugere Caramuel, nisi adhibitâ distinctione *veritatis formalis & virtualis*; atque hanc postremam, vult inesse opinioni probabili, quantumuis sit falsa, quia perinde se habet, & excusat, ac si vera esset. Nihilo videtur melior ista responsio, quam Sacramentariorum quos, dum vrgent Catholici expressis scripturæ & Patrum locis, quæ præsentiam Corporis Christi veram astruunt, sub speciebus Eucharistiæ, hæc omnia excipiunt & eludunt, putantque se reuerâ elidere, & infringere, eâdem distinctione Caramuelis, mutato vno verbo veritatis in præsentiam, quam volunt duplicem naturalem, & virtualem per fidem, illam longissimè semouent ab Eucharistiâ, istam propugnant, quia fide quasi ore dicunt se Christi Corpus excipere præsentissimum virtuali præsentiâ, quia perinde vtile est, & efficax ad salutem, ac si reipsâ Corpus Christi adesset, & ore sumeretur. Hoc vno differt Caramuel à Sacramentariis, quod semel tantùm in Controuersiâ de Eucharistiâ, hac distinctione se muniant, ille passim adhibeat; & cum probabilitatem, seu virtualem illam veritatem, formali conspicuæ, & euidenti opponat; hanc verò nullo loco velit consistere: quid inde consequitur? Probabilitatem vbique vagari, & regnare: & cum ex Caramuele, quidquid partem vnam probabilem facit, aduersæ faueat, & probabilem, ac proinde securam constituat; cum probabile, & securum indiuidua sint, aut prorsus eadem, omnia seclusâ euidentiâ, quæ Phœnice rarior est, hinc inde probabilia tuta sunt & honesta. Male igitur damnat Carnotenses D. Bernardus, malè suspendit iudicium, quo absoluendi erant D. Gregorius & D. Augustinus; quandoquidem non deerat illis probabilitas, ideſt, securitas, ideſt, virtualis veritas, ideſt, honestas formalis, quamuis fortè deesset obiectiua,

atque ita omnes excuſantur, vno damnato D. Bernardo, qui noluit abſoluere D. Auguſtinum, & D. Gregorium, & prohibuit ne Carnotenſes probabilitate muniti, litem mouerent, & proſequerentur.

Numero 247. præſidium ſuæ ſententiæ de minus probabilis opinionis ſecuritate, ab vtroque iure captat, hoc argumento. Ab initio mundi, leges ſunt diuinæ & humanæ, de quibus ſicut hodie, ita & olim diſputabatur. Hinc orta ſententiarum communium, aut minus communium differentia, quæ apud antiquos, & iuniores iuris peritos extat. Quid verò aliud eſt, ſententia probabilior, aut minus probabilis, quam communior, aut minus communis? Ergo omnes iuris periti veteres, qui ſteterunt à minus communi ſententiâ, D. Fagnanum condemnant; & ſtatuunt, ad ſecuritatem conſcientiæ ſufficere minus probabilem. Superſedet à referendis Legiſtarum teſtimoniis, quibus ait, onerandos non eſſe Theologos: ſed ſi aliquando oporteat, pollicetur ſe daturum per annos ſeptingentos multa, & ante mille, etiam aliqua.

Multis peccat hæc argumentatio, & cum Apologemate, ſuſceperit D. Fagnani diſputationem de probabilitate refellendam, mirum eſt nihil reſpondere iis, quæ D. Fagnanus refert latiſſimè ex vtroque iure, ratus ſe rem confeciſſe diſcurſu, qui plura habeat vitia quam verba. Nam cùm legum duo diſtinguat genera: quas vult interpretari iuriſconſultos? Non diuinas, quas vix à limine ſalutant, ſed aut ciuiles, aut Eccleſiaſticas: Ergo ex iuris interpretibus, nihil affert, quod faueat ſententiæ, minus communi, & probabili, atque legibus diuinis aduerſæ. Præterea, vnde habet ſententiam, communem nihil differre à magis probabili? Quod non ſolum gratis, ſed præter omnem veri ſpeciem aſſumit. Nam cum nihil certius ſit ſententiâ communi, ſi eam velis homonymam eſſe probabil, nulla eſt futura ſententia certa: verius igitur eſt, ſententiam communem à minus communi, diſtingui apud vtriuſque iuris conſultos, quaſi certam ab incertâ, veram à falſa. Præterea, ex vtriuſque iuris apertiſſimis teſtimoniis probatum eſt, re dubiâ tutiorem partem ſectandam eſſe; & ſi lateat vel nulla ſit, communiorem ſententiam eſſe ſequendam: Ergo ex vtroque iure, minus probabilis, ſeu minus communis opinio exploditur.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [443] - 363
PUBLIC DOMAIN

Numero 261. conuitiis potius in D. Fagnanum agit, quam argumentis : & post innumeras, quibus virum sapientissimum grauat, censuras, parum se aut illo dignas, hoc subiungit, quod aliquam speciem argumenti habet. Si per impossibile, opinio probabilis ad conscientiæ securitatem sufficeret, quam D. Fagnanus impugnat doctrina de probabilitate, non solum pernicioſa esset sed valde vtilis toti Ecclesiæ. Atqui, inquit, opinionem probabilem ad securitatem conscientiæ sufficere, certum omninò est. Hoc vltimum negamus : vnde probas ? A resolutione, inquis 3.& 11. quibus iam abundè satisfactum est. Vt agnoscas Caramuelem totum scatere repetitionibus, & nos in vitium alienum trahi inuitos. Addit testimonium cuiusdam nescio Fratris Hieronymi, quem doctissimum vocat Diana, nempe vt par illi reponeret laudatus ab eo, quasi alter Hercules Christianus monstrorum domitor. Adiungit grauius quidem exemplum Gersonis artic. 3. expendendum. His octo obiectionibus solutis, quatuor supersunt ex toto Apologemate, quartæ ad Articulum vltimum dilatâ solutione, tribus aliis satisfiet Paragrapho sequenti.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Respondetur tribus obiectionibus ex D. Thoma & tria vitia deteguntur.

DVAS disputandi Methodos tradunt Philosophi, Topicam vnam, quæ ex regulis Logicæ à secundis intentionibus, aliisque communibus rei, de quâ agitur, & accidentariis notionibus, argumenta depromit : alteram Metaphysicam, quæ ex primis, ac propriis, causis, rei naturam inquirit. Hanc præscribit Caramuel contra se scripturis, & nos secuti sumus : priori ipse adhæret, cuius fortè nobis vsu interdixit, vt suam faceret. Ex illâ etiam, non tam Topicè agit (hoc enim ferendum esset & boni consulendum, si probabiliter de probabilibus disputaret) sed meris sophismatibus paralogizat. Quo enim alio nomine voces quatuor argumenta, quæ ex Diui Thomæ

vita depromit? Ex pia, inquit, historiâ, D. Thomæ oranti ad imaginem crucifixi, dictum est, ipsâ imagine factâ vocali, *bene scripsisti de me Thoma*, idest Scholasticè, & Ethicè, de Deo vt causâ primâ, & vltimo fine. Quid ni etiam de Deo homine, & pretio sanguinis mundi redemptore? Sed Scotus, Durandus, habent opiniones contrarias de his omnibus, de quibus dicitur bene scripsisse: Ergo cum nequeat veritas constare contraria asserentibus, oportet istos malè, & falso scripsisse, si bene scripserit Diuus Thomas. Addit aliud similis formæ argumentum, ex elogio Innocentii, qui Diuum Thomam ait *secutos nunquam à veritatis tramite deuiasse & qui impugnarint, de falsitate fuisse suspectos:* Atqui antiquorum, & recentiorum plures impugnant Diuum Thomam; Ergo de veritate sunt suspecti: maximè cum ex Clemente VIII. dicatur *Ingentem librorum numerum, breuissimo tempore in omni ferè disciplinarum genere singulari Ordine sine vllo prorsus errore conscripsisse:* Ergo vera sunt quæ docet, & falsa quæ opponunt Scotistæ, Nominales &a lij.

Mirum est sanè, cum Diuus Thomas de opinionum delectu, aliquot locis profundissimè egerit Caramuelem prætermisso examine huiusmodi locorum quos alibi obscuriores ait esse, has vitiligationes, cuilibet serio iudicio, & examini Theologico antepositisse. Ipse tamen quasi huiusmodi argutiis & cauillis diffidat, singulis respondere se fingit, ex Ioanne à S. Thomâ, ex Morales & Grauinâ: sic tamen, vt ex ipsâ solutione, alios nodos nectat, quibus credit nos implicandos.

Videtur insinuare D. Thomam hoc solum nomine à Christo, & à summis Pontificibus laudatum, quod probabilius de diuinis egerit, quam cæteri Theologorum: hoc etiam vnum ex Diuo Thomâ extraneos, tum antiquos, tum recentiores, vult caput impugnasse maioris probabilitatis non cuiuscumque probabilitatis; quam si lacessiuissent, putat fore de falsitate suspectos: vnde tandem concludit, si Diuo Thomæ de rebus fidei & morum, vbi deerat definitio Ecclesiæ & demonstratio, licuit sequi dictamen probabile, de quo Christus testatur, bene scripsisse, & Clemens sine vllo prorsus errore scripsisse: Ergo idem iuris est recentioribus, de materiâ fidei, & morum, probabiliter opinandi quod libuerit.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [445] - 365
PUBLIC DOMAIN

Nihil mirum, si ex malâ interpretatione, eorum quæ à Christo, & summis Pontificibus, in laudem Diui Thomæ dicta sunt, velit se argumenta demonstratiua assumere, & principiis falsis attexat consecutiones omninò illegitimas. Nam vbi primùm à viâ delapsus est, velocitas cursus errorem auget, & facit inemendabilem. Omissis pluribus hallucinationibus, tribus peccat tota hæc argumentatio, primùm præposterè, ne dicam malignè, aut imperitè, interpretatur elogia Diui Thomæ, sicut Petrus de Alua, quasi relata fuerint, non minus in aliorum vituperationem, quam in ipsiusmet Angelici Doctoris gloriam. Si ita sit, vt nemo laudari queat, nisi cum aliorum conuitio & cõtumeliâ, malè cum genere humano agetur: & imposterùm inuidia vitium esse desinet, futura majus supplicium sine culpâ. Ego à sapientibus audiueram, & semper mihi persuasi, laudationem iustam & innoxiam esse, & si quid mali accrescat (vt solet ferro rubigo, & vermes fructibus) à comparationibus nasci, quę interdùm adiunguntur intempestiuè. At Christi Elogium nullam habet, nec etiam Clementis: Innocentius aliquam tacitè, & obliquè insinuat, vt immeritò dicat Caramuel argumenta, quæ inde depromuntur quatuor, esse inuidiâ plena.

Sed longe grauius peccat secundo, interpretatione, aut potius restrictione Elogiorum, quasi tota D. Thomæ gloria posita sit, in iis quæstionibus, quas cum æmulis Theologis disputat. Longè plura docent Theologi, & tractant, quam disputent cum aliis Catholicis: quid vetat, quin iisdem, quibus conueniunt, alij aliis præstent? Omnes inquirunt mysteriorum causas, sed absit verbo inuidia, cæteris D. Thomas longè profundius, has causas rimatus est. Insudant etiam dissoluendis difficultatibus, refellendis hæreticorum argumentis: hac etiam parte eminet D. Thomas. Aduocant omnes Philosophiam, in fidei subsequium, & obsequium; sed quis solertiâ hic æquet D. Thomam, qui Aristotelem tantùm Christianum non fecit? Theologi est, implere quod in Philosophis desiderabat Cicero, ita moratum esse, vt disciplinam suam, non ostentationem scientiæ, sed legem vitæ putent, neque tam disputare subtiliter curent, aut alios doceant, quam sanctè viuere. At quis ex antiquis aut recentioribus Theologis, hâc parte primas, vltrò non concedat D. Thomæ? Cuius

scripta si vnum D. Bonauenturam hâc dote D. Thomæ parem excipias, adeo acres ad sanctitatem, & omne genus virtutum stimulos admouet, vt Lectorem docendo ad omnem sanctitatem informet. Summa laus Theologi non est, immorari, & immori minutioribus quæstiunculis, neque cum aliis perpetuo litigare; sed parare promptuaria copiosissima, ad locupletandas conciones, cudere arma vulcania, & extruere armamentaria aduersus Ecclesiæ hostes. Consulat Caramuel exegeticorum scriptorum optimos, non Grannatensem tantum Dominicanum, sed Ludouicum à Ponte, Roderigum, &c. Adeat Bellarminum, aliosque controuersiarum authores; conueniat cæteros omnes, qui egregiam Ecclesiæ, & fidei operam nauant: vltro agnoscent omnes, ad quod quisque illorum, munus obit, plus sibi ab vno D. Thoma collatum adiumenti, quam à cæteris Theologorum.

Nec tamen putandum est, encomio Christi, cæteros suâ laude fraudatos esse, aut D. Thomæ gloriam, solo probabilium, ad quæ restringit Caramuel, genere contineri. Bene scripserunt plures subtiliter, argutè & dilucidè; sed tu præ cæteris, mysteriorum causas profundius scrutatus es, disertius & eruditius mysteria explanasti, validius fidem propugnasti aduersus Hæreticos, Sanctiores de virtutibus, ac moribus, leges & regulas instituisti. Certa sunt hæc elogia, etiam si semoueantur disputationes, quas mouent Durandus, Scotus, Aureolus & recentiorum subtilissimi, quos acres videas in alienis refellendis, minus strenuos, ac solertes, saltem nonnullos in rebus fidei, & mocum confirmandis. Et si hanc etiam partem Theologiæ controuersam, velimus elogiis Christi & Pontificum contineri; quid inde infert Caramuel, quam quod vltro concedimus, in disputationibus quæ ad Theoriam spectant, nec reuelata sunt, aut reuelatis necessario connexa, sed ad summum probabiliter, nec ad mores pertinent, ac legem diuinam, nihil esse periculi, ex illis quæ libuerit sequi, etiam si (quod tamen velim gratis duntaxat concessum) velis probabilioribus prætermissis. At idem tibi iuris esse statuere de controuersiis, quæ ad res saluti necessarias ex præcepto, aut ex efficatiâ medij, aut ex vtroque capite pertinent, hoc nullo argumento probas, quamuis plura videatis congerere, à Numero 215. vsque ad Numerum 240.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [447] - 367
PUBLIC DOMAIN

quæcumque enim affers ex Censuris à quibusdam Academiæ Parisiensis Doctoribus, in Diuum Thomam latis, & rescissis ab Episcopo Parisiensi, ne verbum quidem, de opinionum minus probabilium delectu, aut securitate, quæ stant contra probabiliorem pro lege, quod vnicum est nostræ Controuersiæ Caput, quod vix attingis, nisi per longas ambages, & consecutiones nullas. Sed de hoc argumento plura responsionibus ad Petrum de Alua.

Obseruauimus primum, hoc argumentum tribus vitiis laborare, quorum duo deteximus, nempe laudum Diui Thomæ, & testimonium Christi, ac Pontificum restrictionem nimiam, quam citra conuitium, Latinitatis studiosi, dicerent malignam, sicut facem obscuriorem aiunt, malignè lucere. Secundum vitium est exerrationis perpetuæ à Thesi probandâ; quam vix attingit, nec infert nisi æquiuocatione statim aperienda. Et hoc tertium est argumentationis vitium, quod priusquam Lectoris subijciam oculis, addendum aliquid est, secundæ nostræ Responsioni.

Obseruo igitur opinionum quæ ad speculationem, vel praxim spectant, duo esse genera; nam vel sunt speculatiuæ, aut practicæ reipsâ & modo, vel re practicæ aut speculatiuæ, sed modum, & statum habent paulo diuersum. Exemplis res fiet illustrior: Primo loco speculatiuæ opinionis re, & statu eas constituimus, quæ verum inquirunt, nec quidquam iuuant, aut nocent, ad bonam mentem, & ad mores, nisi remotissimè, & vt dici solet, ex fine operantis, potius quam operis. Huius ordinis prope infinitæ sunt quæstiones, & opiniones, subtiles magis quam vtiles, à quibus nihil adjumenti sperare possis ad mores, aut affectus in Deum, nec etiam impedimenti ad fidem, nisi forte à jacturâ temporis, si omissis vtilioribus, nimium huiusmodi argutiis indulgeamus & implicemur. Ad illud genus reuocari possunt plures de Angelis quæstiones, an scilicet, vnius speciei vnum sit indiuiduum, & plura repugnent, licet ex opinione Diui Thomæ assurgere quis possit in admirationem diuinæ potentiæ, quæ adeo nobiles creaturas condidit, vt ipsius opificis infinitam perfectionem imitentur, eamque intra vnius speciei metas assequantur, quâ Deus gaudet toto genere & ambitu entis. Nec dubium est ijs, quibus comperta sunt Theologorum controuersiæ,

quin

quin hoc genere opinionum, quæ longissimè absunt à studio virtutis, vni intentæ speculationi veritatis, aptiores sint, quas tradit D. Thomas, ad ciendos in Deum affectus.

Secundi generis opiniones voco re & specie speculatiuas, modo tamen, & gradu practicas; quia propius absunt ab vsu, & vix illis adhæremus citra fidei, religionis, & morum vtilitatem, aut noxam grauem. Huius ordinis sunt, ex Philosophiâ prope infinitæ: plures alio loco designauimus à D. Thomâ selectas, quod conuenientiores, & interdum necessarias reputaret explicandis fidei mysteriis Trinitatis, Incarnationis, Prouidentiæ, Immortalitatis animorum, Creationis mundi; quales sunt, distinctio quantitatis à materiâ; materiæ pura potentia, distinctio existentiæ ab essentiâ, potentiarum à naturâ, quibus expeditissime S. Doctor explicat, defendit res fidei, Eucharistiæ difficultates, parat viam ad Trinitatis & Incarnationis fidem Ethnicis & Mahumetanis, quam difficile possunt complanare, qui aliud sentiunt. Decurrenda mihi esset tota Theologia, si vellem ex illo genere quæstionum demonstrare, quot & quanta fidei mysteria illustrarit S. Doctor. Quis etiam velit aliorum Philosophandi rationem, æquare D. Thomæ sapientiæ, qui vnum habent argumenti genus, nihil repugnat dari substantiam corpoream intellectiuam, aut quæ innato lumine videat Deum, saltem nulla ratio regugnantiam demonstrat: quid vetat ergo dari? quo semel concesso collabitur totus ordo gratiæ, hoc vno fundamento validè fultus à D. Thoma, Deum clare visum, vnde totus ordo gratiæ existit, superare captum, & lumen innatum, cuiuscumque substantiæ à Deo distinctæ.

His Theologis vnum fere studium est, aut certè præcipuum eleuare, & quâ possunt infringere rationes luculentissimas, quibus S. Doctor probat, ac fere demonstrat, Omnipotentiam Dei, creationem illi eximiam; immensitatem, aliaque Attributa, quæ nullis tentant probare, immo negant probari posse argumentis. Et cum tot parasangis, superet hos D. Thomas in confirmandâ & defendendâ fide Christianâ, Caramueli inuidiosum erit, magis quam iustum & verum, illud D. Thomæ elogium: *Bene scripsisti de me Thoma* præ cæteris Theologis: nec putat illi æquitatem, aut veritatem constare, nisi ex suâ regulâ,

ſecuras eſſe quaſlibet opiniones, & minus probabiles, æque tutas ac probabiliſſimas. Si omnes æquo iure gaudeant opiniones, quid præ cæteris habebit D. Thomas, quod probabiliores ſectatus ſit, & adornarit?

Si delectu opinionum, quæ ad Theoriam ſpectant, D. Thomas religionem Chriſtianam præ cæteris Doctoribus adjuuit, quid futurum putas de ſecundo genere opinionum, quæ ad Praxim pertinent, quas certum eſt, ſuperioribus vtiliores eſſe ad vitæ Chriſtianæ inſtitutionem, & ad virtutis ſtudium? Opinionum igitur huius ordinis, primæ ſunt re Practicæ, quæ aliquid habent ſpeculationis, quod remotiores ſint ab vſu, nec poſſint ad illum paſſim reuocari, maximè ſi habeant, vt ſolet, adjunctum aliquod periculum. Quare nullæ huius generis opiniones, ſunt re & modo, ſeu remote & proxime, quaſi actu primo & ſecundo practicæ; niſi longe abſit omne periculum legem violandi.

Præſtat ſine dubio S. Doctor, delectu opinionum huius ſecundæ claſſis, nec vllam tutatur, niſi longe abſit omne dubium, aut periculum peccati. Verum quidem eſt, admitti nonnullas vt probabiliores, quoad ſpeculationem, minus tamen probabiles quoad vſum, ratione periculi adjuncti; atque ita multas Quæſtiones de re Sacramentariâ, & de moribus agitant Theologi, quales ſunt ſæpius memoratæ, an validus ſit Baptiſmus hac formâ, *Baptiſo te in nomine Genitoris* &c. & cum aqua ex vite, & ſale collatus; & licet probabiliſſime validum cenſeant omnes fere Theologi, vix vllus aſſerit citra notam temeritatis, illius vſum eſſe tutum; niſi excuſet majus periculum, quam ſit irriti Sacramenti. Illuſtrari poteſt diſcrimen, opinionis ſpeculatiuæ probabilioris quoad modum, & vſum minus tutæ & probabilis, exemplo rei in iudicium capitis vocati: licet probabilius ſit admiſiſſe quæ obijciuntur crimina, quam inſontem eſſe, quod validior ſit, & veriſimilior accuſatio, quam defenſio; tamen certum eſt, lite eo ſtatu poſitâ, abſolui debere: quod ex juris regulâ, nequeat reus ad pœnam lege conſtitutam damnari, niſi fuerit conuictus.

Hac diſtinctione opinionum ad legem pertinentium, elucet veritas teſtimonij Chriſti, præ cæteris D. Thomam de Chriſto bene ſcripſiſſe, ſeu vltimo fine, ſeu Redemptore, ſeu Authore Sacramentorum: quia vbique ſummâ

modestiâ, & religione cauit, ne quidquam deligeret sibi, aut alios doceret, quod esset conjunctum, cum aliquo dubio probabili offensæ diuinæ, & à ratione recessus. Hinc licet admittat ex communi omnium sententiâ, actus specie ad bonum, & malum indifferentes; cum tamen in procinctu sumus ad agendum, omnia vult fieri ab homine ex fine honesto. Nec nimis durum, aut seuerum à sanctissimo Theologo dictum interpreteris: quandoquidem Poëta Ethnicus, multis Theologis æquior, illi accinit, damnatâ indifferentiâ actuum singularium, hoc aureo versu,

Ni ratio jubeat, digitum exere, peccas.

Malim sane Diui Thomæ prudentiam, cautelam, & si velis, timorem imitari, quam recentiorum (ne quid grauius dicam) impauidum animum, qui hâc distinctione exclusâ, opinionum speculatiue probabilium, vsu minus tutarum, nihil volunt probabile, non tutum; & Caramuel, qui hâc vnâ assertione, putat abstergi posse omnem inuidiam ab Elogio Diui Thomæ, & necessario deduci ex disceptationibus Scoti, Durandi, cum S. Doctore, videtur hâc deductione quid magis inconcessum moliri, quam si aquam ex pumice extundat. Certus præterea sum adeo alienam esse à mente D. Thomæ hanc regulam, vt malit suam causam deseri, quam hac responsione defendi.

Condonet Lector longiorem huius secundi vitij insectationem, excusabit studium in Præceptorem, nec forte pœnitebit legisse hanc breuem Apologiam doctrinæ Diui Thomæ, alio loco fusius prosequendam. Nec minus graue est, tertium argumentationis vitium, nempe manifesta æquiuocatio quam Castro Palao obijcit primâ parte disputatione 2. Sanches, verbis plane aureis quæ refert D. Fagnanus num. 136. nec pigebit legere, *Sanches*, inquit, *facit transitum manifestâ æquiuocatione, ab objecto probabili, ad probabile iudicium. Potest enim*, inquit, *de objecto probabili in contrarium mouente, formari iudicium, tale objectum esse vtrâque parte probabile. Sed hoc est iudicium euidens de probabilitate honestatis, quod est insufficiens ad honeste agendum: & non est iudicium illud probabile de veritate honestatis, quod tanquam necessarium ad honeste agendum requiritur ab omnibus. Quod cum haberi non possit, nisi de vnâ parte contradictionis, manifestum est non inuenisse Sanches, quomodo vtramque possit quis ob-*

nari, & in praxi sequi. Profundissimus est horum verborum sensus, quem placet eruere egregia obseruatione distinctionis assensuum opinionum, seu conclusionum. Cum enim eo spectet tota ars syllogistica, vt si proba sit consequentia, admittatur consequens vt verum absolute & ex bonitate illationis, & illius assensu sequatur iudicium, aut indubitatum rei, aut probabile, iuxta vim & conditionem illationis deductæ ex necessariis aut probabilibus præmissis, inde eruitur diuisio conclusionum in quatuor genera. Primi sunt conclusiones omnino necessariæ, & euidentes quoad consecutionem & consequens, siue secundum illationem & rem illatam, quales sunt veræ demonstrationes, quæ intellectum cogunt ad assensum rei veræ, sublatâ etiam libertate quoad exercitium, vi præmissarum. Alterius extremi conclusio (si id nomen mereatur) est intellectus dubij, hærentis & suspensi, æquato pondere rationum in vtramque partem, quod inhibet, ne in vllam flectatur: atque is status placuisse dicitur Pirroni, eiusque discipulis, quos aiunt, ex suæ Scholæ regulis, omnem assensum sponte suspendere solitos, quasi perpetuo dubios. Tertius gradus est intellectus probabiliter, id est, cum formidine & assueueratione, aut securitate semotâ assentientis, tum illationis, tum rei illatæ, atque hunc statum aliis, Academici prætulerunt, qui nihil certum, nequidem ipsam probabilitatem habebant, sed omnia in vtramque partem, vt verisimilia propugnabant. Quartum conclusionum genus, magis ad rem nostram spectat, quarum mens necessario adhæret illationi, quia illi certa & euidens est probabilitas, sed rei illatæ assentitur vt veræ probabiliter, id est, cum formidine falsi. Addi potest quintus gradus, superior huic vltimo, mentis necessario, & euidenter illationem probantis, id est, agnoscentis euidenter, & certo probabilitatem illationis, sed rei illatæ negantis vllum assensum probabilem, siue quod illi repugnet, vt Deo, & Beatis, & ijs omnibus quibus conspicua est veritas, aut falsitas rei, vel ex sapientum regulis, quis abstineat ab assensu, vt periculum erroris euadat.

Hæc distinctio exacta conclusionum, & graduum mentis, maximam superioribus affert lucem: & inde colligere licet prope infinita, quę ad rem nostram faciunt. Primum obseruare est, diuersos gradus laxitatum probabilitatis,

P.Fabri, P.Ferrerius, & Stubrochius, nullam admittunt opinionem probabilem tutam, nisi certo & euidenter sit probabilis, & illationis necessariæ. Tamburinus vero, Caramuel, Sanctius, censent ad securitatem satis esse, illationem esse probabiliter probabilem. Hinc etiam habemus secundo, clarius & distinctius explicata, quæ ex Delugo, D. Fagnano, & P. Mercoro retulimus, discrimina inter iudicium, & assensum probabilitatis, seu illationis, & iudicium probabile, de re illatâ: manifestum enim est, illud necessarium esse, euidens, Deo nihil repugnare; alterum vero de re illatâ, inuoluere defectum, qui omnino repugnet menti, rei conspicuam habenti veritatem. Hinc etiam elucet aliud discrimen summe notandum, probabilitatem conuenire posse propositionibus & opinionibus contrarie, aut contradictoriè pugnantibus, & posse nos assentiri certo iudicio, illationi omnium vt probabili: sed de rebus ipsis illatis, simul opinari veras esse & falsas, omnino contradictorium esse.

Hinc tertio colligere est, verissimum esse, quod ex Castropalao retulimus; opiniones probabiles, non posse ad praxim reuocari, seu vsurpari in regulas fidei, & morum, nisi assensum præbeamus, non solum illationi, sed etiam rei illatæ, siue vt eruditè loquitur citatus Author, non solum habeamus iudicium certum de probabilitate rei, sed ad minus probabile, de honestate, & veritate illius. Nam alias Deus, qui habet iudicium de probabilitate, posset duci opinionibus probabilibus, quod hactenus inauditum est.

Hinc tandem concludimus, Aduersarios in hac controuersiâ, perpetuâ æquiuocatione agere; quâ maxime laborat Caramuel hoc argumento. Cum enim disputandum sit de probabilibus, non quoad illationem, aut consequentiam, sed quoad consequens, & rem illatam, cuius assensus, & iudicium quæritur, an possit licite, & tuto assumi in regulam, quam sequamur: illi ab vno genere, in aliud abeunt, & prætermisso assensu rei illatæ, toti sunt in assensu illationis prædicando & vrgendo. Vitium illud occultissimum, manifestum fit, exemplo quod præ manibus habemus. Quid magis à vero alienum, quam quod persuadere vult Caramuel, quotquot fuere D. Thomæ Æmulos antiquos & recentiores, vnam in D. Thomâ, vt ipse loquitur, probabilioritatem impugnasse, non probabilitatem

quasi tota disceptatio fuerit de illationis bonitate, non de rei illatæ veritate, seu de consequentiis egerint tantum, nihil morati consequens ? Hæc est responsio Caramuelis, cuius nulli puto ante ipsum venit in mentem.

PARAGRAPHVS VLTIMVS.

Respondetur obiectioni ex sancta Brigita, & Angelis Beatis.

SVPERIORI obiectioni ex sancto Thomâ, annectit alteram, ex reuelationibus sanctæ Brigitæ, probatis à Turrecremată, & aliis quatuor Cardinalibus, & septem viris Theologiæ, ac iuris consultissimis, qui iussu summi Pontificis examinando libro præpositi, testantur reuelationes huius Diuæ authenticas esse veritate plenas, à Dei spiritu veraciter traditas, ad vtilitatem legentium, & cum deuotione obseruandas. Hæc omnia solitâ subtilitate arripit Caramuel, in defensionem rerum probabilium cuiusque sint generis; quia tanquam certum, & pro confesso apud omnes ponit, plures harum reuelationum, ad summum probabiles esse, qualem ait, de Conceptione immaculatâ; vnde probabilitatem quamcunque, quam ignorantiâ inuincibili imbuit, & quam alibi vocat virtualem veritatem, non putat imparem & indignam omnibus elogiis, quibus commendantur, & ornantur reuelationes D. Brigittæ, vt dici possint quascunque ipse defendit, opiniones, veritate conspicuæ, sanctitate plenæ, à Dei spiritu veraciter traditæ.

Postrema hæc quæ scripsi verba, cogitationem ingerunt, cuius totâ disputatione in mentem non venerat: ex Caramuele probabilitatum arcanum, videri occultius, & incomprehensum magis, quam Trinitatis, & Incarnationis, quæ fides nos docet mysteria. Ea iungit, quæ non capiat mens posse in vnam rem coire, nempe ignorantiam inuincibilem quæ sit probabilitatum medulla, ac tota securitas, & veritatem virtualem, quæ nihilo inferior sit, omnibus elogiis, & laudibus, quibus commendatæ sunt D. Brigittæ reuelationes.

Sed dices multas illis permixtas esse ad summum pro-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [454] - 374
PUBLIC DOMAIN

babiles, in quas subinde cadant Turrecremataæ Encomia. Quasi quæcumque probabilitas illa commereatur. Nonne meminisse debuerat, verisimile, seu probabile per sese indifferens esse ad verum & falsum, ac subinde ad bonum, malumque; ac proinde ex adiunctis esse censenda, & metienda; quia inde possunt ad bonam mentem, ad sanctitatem, interdum adiumento, interdum impedimento esse. Quæ vero habet D. Brigitta, quamuis incerta & probabilia, certissimæ tamen sunt vtilitatis, qualia sunt quæ de Christo patiente refert, de grauitate, ac numero vulnerum, supra quinquies millenas, exceptæ à carnificibus flagellantibus plagæ, confixum caput, plusquam sexaginta acutissimis & durissimis spinis, & alia id genus, quæ licet non omnino certa, efficacissima sunt ad percellendos animos, & ciendos pietatis affectus. Certum quidem est, peccaturum illum qui falsa comminiscatur animo consulendi aliorum saluti, quia æternæ veritatis regula est, Deum non egere mendaciis nostris, nec facienda mala vt eueniant bona. Huius imposturæ rea fuisset D. Brigitta, si falsa pro veris, aut incerta pro compertis venditasset: sed quid mali est, si ea scripserit, quæ probabili assensu putabat sibi à Deo dicta, quæ aliunde legentibus, & audientibus forent vtilissima, etiamsi pro omnino compertis minime haberentur? Vtinam quas recentiores euulgant opiniones, pares probabilitate reuelationibus D. Brigittæ, nihilo inferiores essent vtilitate, & pietate: nisi hâc parte æquare velit, nego mereri elogia quibus commendantur D. Brigittæ reuelationes. Hoc semel dictum velim Caramueli, probabilitatem aquæ similem, quæ vasis quo continetur, figuram induat, ipsa interminata: ita probabilitatis, à rebus quibus adhærent, vitium, aut honestatem trahunt, & mutuantur.

Supereſt obiectio penultima ab Angelis cœlitibus: hos ad finem in auxilium aduocasse gratulor Caramueli, quod longe absit ab illius consilio, quæ parum beneuolos Cœlites experta, alio se conuerterat.

Flectere si nequeam superos, Acherontа mouebo.

At contra Caramuel Angelorum opem ambit & sperat. Apud illos inquit, habent locum opiniones probabiles, ergo non possunt non esse sinceræ & innoxiæ, immo si velis Angelicæ & Beatæ; non tamen quęcunque, sed quæ stant

pro lege, & neceſſariæ ſunt ad implendum officium, quales ſunt, quibus Angeli ducuntur: & hoc tantum probat diſceptatio Angeli Perſis præfecti, cum Angelo cuſtode Iudæorum, quam multâ eruditione illuſtrat: ſed cum hæc nihil faciant ad controuerſiam, videtur pictorem illum imitari, qui imagini, quam ægre moliebatur, multum auri ingeſſit, pluresque inſeruit gemmas, vt diuitem faceret, quam non poterat pulchram efficere. Ita Caramuel, argumentum pro ſecuritate cuiuſcunque opinionis probabilis, etiam aduerſus legem ſtantis, ab Angelorum diſſentione repetitum, variis Interpretum teſtimoniis ornat. Sed quid iſta ad noſtram controuerſiam, cum nullus Cœleſtium ſpirituum pugnet pro libertate contra diuina præcepta, ſed quiſque pro ſuo officio, pro ſalute populi ſibi à Deo crediti, hâc lege, vt cuique potior, & antiquior ſit ſalus gentis cui præfuerit? Vtinam ad id genus pertinerent noſtræ cum Caramuele diſputationes; ſed longiſſimè abſunt: cum Angeli pro officio, & pro ſalute pugnent, ille pro commodo contra honeſtum, pro vtili contra officium, denique pro homine aduerſus Deum; & quod peius eſt, ex minus probabili opinione, contra probabiliorem, tutum velit eſſe, creaturam Deo anteponi. Huic regulæ nulli Angelorum aſſentient, niſi ex eorum numero ſint, qui è Cœlo ſe præcipites dederunt; vnde cum ipſis, æternum depulſa eſt hæc probabilitatum licentia, hoc Michaelis verbo, Quis vt Deus?

Sed aliud forte peccat multo grauius argumentum: diſſimulat Caramuel (neque enim poſſum credere, hoc illi ex ignorantiâ obrepſiſſe) quæ voluntas diuina, ſit in legem hominibus & Angelis conſtituta. Quis enim neſciat, duas diſtingui, vnam Signi quæ præcipiat, vetet aut permittat, alteram Beneplaciti, æternam, occultam, quæ rerum euentus definiat: ad illam, non ad iſtam, neceſſario Angelorum, & hominum actiones exigendas eſſe; quod regulam oporteat notiſſimam eſſe, voluntatem vero quam vocant Signi, Deus palam omnibus fecerit, immo inſcripſerit mentibus omnium; voluntatem vero Beneplaciti, nequidem beati videant, qui omnia vident, niſi quos Deus ſingulari aliquâ reuelatione dignatur? Poterant ergo Angeli (neque id eorum dedecebat ſtatum beatificum) neſcire quis euentus, aut fructus exiſteret ex conſortio &

contubernio Iudæorum cum Persis: an ipsis Iudæis nocituru esset, nulla vtilitate Persarum, quod timebat Angelus illorum custos, an contra profuturũ esset Persis, sine vllo detrimento Iudæorũ, quod præfectus Angelus Persarum speraba: sed incompertâ re, vtrique id vnum certissime sciebant, quod iustissimę contentionis vna origo fuit, incumbendum cuique saluti gentis sibi commissæ: quod totâ illâ disceptatione factum: non video quid inde subsidii ab Angelis ambiat Caramuel; esto probabilitates in totum non exulent ab Empireo, satis est, inde deiectam fuisse quam propugnat, stantem pro creaturâ aduersus Deum, pro libertate contra legem, etiam probabilius ligantem, &c.

Articvlvs Secvndvs.

Indagatur mens Diui Thomæ de opinionum delectu.

Videbor forte hanc de probabilitatum vsu tractationem præpostere prosecutus, quod cum promiserim operis Titulo me D. Thomæ, hâc de re, sententiam propugnaturum, quid ipse sentiret, vix vllo loco indicauerim, & ad finem distulerim indagare, cum disputationis exordium repetendum esset ab ea inquisitione, vt scirent omnes, cuius rei defensionem susciperem; ne videret in incertum quasi aerem verberans pugnare. Sed hâc in re, existimaui seruandam mihi legem à Iudæis, teste D. Hieronymo, constitutam, vt in libris Scripturæ legendis, primum omnium creationis mundi, vltimum attingerent, neque ad Geneseos lectionem accedere liceret cuiquam, nisi versato in aliis libris, neque ante trigesimum annum. Quamuis vbique S. Doct. vere Thomas sit, id est, abyssus profunda; nec iis solum libris, in quibus summam sibi posuit, altissimè res tractet, sed nusquam illum deserat illa profundissima sapientia, & eruditio, etiam iis libris qui videntur illi excidisse, & occasione aliquâ in promptu scripti; tamen quæ de hâc Quæstione habet Quodlibeto tertio articulo 15. & maxime Quodlibeto octauo toto articulo decimo tertio, adeo mihi visa sunt recondita, singularia, & profunda; vt non sim ausus attingere exordio, aut pro-

greſſu diſputationum : ſed diſtulerim ad finem ; & quæ cumque præmiſimus , neceſſaria exiſtimem ad illorum interpretationem ; nec me laborum pœnitebit , ſi ſenſum Sanctiſſimi Præceptoris detur aſſequi , & aliquam lucem diuinæ eius doctrinæ afferre.

Cum Caramuel velitare potius aduerſus D. Fagnanum ſtatuerit , quam iuſto prælio decertare ; nec aliunde curet, quid ſentiat D. Thomas de his rebus , quæ ad mores pertinent ; & ab illo paſſim recedat , Dianam cuilibet antiquorum æquet aut fortè anteponat ; à D. Thomę Hiſtoriâ, non à ſcriptis , & doctrinâ aſſumpſit, quę ſoluimus argumenta: ac proinde nulla nobis cum illo concertatio ineunda eſt de mente D. Thomę : ſed eius loco ſuccedunt duo acerrimi Scriptores Anonymus, & P. Ferrerius , qui à nobis diſſentiunt , nec inter ſe melius conueniunt, ſed extremis ſententiis adhærent. Anonymus quidem negat , vel vllam dari iuris naturalis ignorantiam inuincibilem , quia illud jus, eſt quaſi ad portam , & in promptu, captu facile, quod perpetuo lucet , & vix extingui , aut detineri poteſt , niſi concupiſcentiæ tyrannide, cui reſiſtendum eſt cuilibet rationis compoti : & ſi huic deſit officio, imputandum eſt illud peccatum : nec ignorantia , quæ inde conſequitur , dici debet inuincibilis : vel ſi demus ita appellari , negat ſecundo excuſare à peccato , quamcumque opinionem falſam , legi naturali repugnantem : & hoc pro certo dogmate fidei habet , quod D. Auguſtinus propugnauit aduerſus Pelagianos. Quare illum male habet , quod P. Mercorus ſuam Baſim his duobus fundamentis , maximè ſecundo non aſtruxerit : vnde putat nutare & labi : & hoc totis viribus demonſtrandum ſuſcipit , ab objectione 14. vſque ad 24. & finem ſuæ cenſuræ : quibus omnibus pari ſubtilitate, & eruditione reſpondet P. Mercorus Apologiâ Ticini edita. Ex vtroque aliqua ſeligemus , ad illuſtrandam mentem D. Thomæ , in gratiam illorum quibus non eſt copia illius reſponſionis : & inde agnoſcet facile eruditus Lector *quo turbine* Anonymus *torqueat haſtam* , & quantus etiam *in Clypeum aſſurgat* P. Mercorus. At P. Ferrerius à mente Anonymi alienus , mouet diuerſum belli genus, & contendit ex S. Thomâ , aliiſque antiquis Theologis , tutas eſſe opiniones verè probabiles , quamuis falſas , & legi naturali aduerſas. Nos inter has duas extremas , mediam

cum Sancto Doctore & P. Mercoro sententiam sequemur, & pro virili defendemus.

Paragraphvs Primvs.

Dissertatio grauissima Anonymi aduersus Mercorum de verâ sententiâ Diui Thomæ, & interpretatione Articuli 13. ex quodlibeto octauo.

Cvrati Parisienses suas expostulationes aduersus laxitatem opinionum moralium muniuerunt, tanquam inuicto præsidio S. Doctoris authoritate ex hoc articulo adeo profundo, vt absoluat fidem dicti Ioannis 22. Articulos à D. Thomâ scriptos, vera esse miracula. Hoc vero loco, adeo disertè damnat securitatem opinionum pro libertate stantium contra legem; vt in aduersam partem videatur deflectere, & negare vllam opinionem falsam quâcumque probabilitate, excusare posse à peccato. Eo enim Articulo quærit, vt præfert titulus, vtrum ille qui plures habet præbendas, peccet, quod communiorem seu plurium opinionem deserat qui id peccati damnant: toto vero Articulo id astruit & probat, quidquid agitur contra legem semper esse malum, nec excusari, ex hoc quod sit secundum conscientiam, id est, secundum opinionem probabilem, id putet licere. Quare Anonymus tantâ fiduciâ, & spe victoriæ aggreditur hanc dissertationem, de vero sensu D. Thomæ, vt nihil dubitet aduersarium his verbis lacessere. *Veritatem cum veritate conciliare, nullius negotij est, errorem cum veritate maximi laboris & operis. Inflectenda enim, & obscuranda veritas est, vt cum mendacio congruat.* Hinc ergo P. Mercorum de veritate, & falsitate suæ sententiæ iudicium vult ferre, quod ignorantiam vllam inuincibilem admittat, aut si detur quæ possit excusare à peccato, falsam quamlibet probabilem opinionem tutam esse.

Ad hanc belli denunciationem modestè respondet P. Mercorus, illo forte sermone, vt loquitur Paulus, non scientiâ imperitior. *Iam pluries*, inquit, *ab Anonymo*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [459] - 379
PUBLIC DOMAIN

percussus vna maxillâ, præbui alteram, nunc compellor dicere, cur me cædis? Obseruanda est veritas, inquit, vt cum mendacio congruat, sed cum verissimum sit, se nunquam toto suo opere de opinionum praxi restringendâ, docuisse conscientiam erroneam, seu ignorantiam inuincibilem iuris naturalis; non videt, quomodo congruat hæc veritas cum objectione Anonymi, & illâ sugillatione, quam non sit meritus. Vidit P. Mercorus hoc loco S. Thomæ, grauem plagam inferri suæ sententiæ de conscientiâ erroneâ excusante, quam nullo loco admisit, nec negauit, sed in medio reliquit. Hoc tamen non boni consulit Anonymus, & putat esse quamdam causæ, & doctrinæ D. Thomæ corruptelam.

Conuenimus multis cum illo, quæ ad huius Articuli interpretationem pertinent, primo quidem consilium D. Thomæ esse hoc loco definire, quibus modis peccare possit, qui à Doctorum authoritate recedit; quod vt melius explicet, casum assignat ex celebri tunc quæstione constitutum, an scilicet liceat habere plures præbendas; in quâ, inquit alio loco, reperiuntur Theologi Theologis, & Iuristæ Iuristis contraria sentire. Quæstio igitur & Thesis dirimenda hæc est, quibusnam modis peccare possit, qui à Doctorum authoritate recedit.

Huic Controuersiæ definiendæ, quæ nihil differt à nostrâ, quam præ manibus habemus, de quâ hactenùs disputatum est; quinque præmittit principia, & quatuor inde deducit conclusiones, vel duas, quarum altera tripartita sit: Totius disputationis Cardo est de primæ sensu. Principiorum quæ præstruit primum est, duobus modis peccari posse, *Vno modo*, inquit S. Doctor, *faciendo contra legem, vt cum quis fornicatur, alio modo peccatur faciendo contra conscientiam, etsi si non sit contra legem, vt si conscientia dictat alicui, quod leuare festucam de terrâ sit peccatum mortale.* Secundum inde nexum principium est, *Illud quod agitur contra legem semper esse malum, nec excusari per hoc quod est secundum conscientiam* 3. secundo simile principium est: *Quod est contra conscientiam esse malum, quamuis non sit contra legem.* His tribus subjungit quartum & quintum, nempe, duobus modis posse peccari contra conscientiam, siue quis habeat certam fidem de contrario eius quod agit, siue etiam habeat opinionem cum aliquâ dubitatione.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [460] - 380
PUBLIC DOMAIN

Ex his quatuor principiis, deducitur diuisio peccati in tria genera, quorum primum omnium notissimum, est peccatum contra legem, & conscientiam, quod tum videlicet admittitur, cum lex actum v. g. adulterij, & mendacij, expressis verbis prohibet, nec prohibitio ignota est conscientiæ: sed illam peccaturo Dei nomine denunciat. Alterum peccati genus, est contra conscientiam, sejunctim à lege. Tertium est contra legem seorsim à conscientiâ. Secundum genus peccati certum est, & receptum est apud omnes, quod incurritur contra conscientiam: cum videlicet ex errore seu vincibili, seu inuincibili iudicat lege prohibitum actum per se bonum, aut indifferentem, à quo nisi quis abstineat, sine dubio peccat duobus modis vt insinuatum est ex D. Thomâ, siue quia certam fidem quis habeat de actu illicito, siue opinionem cum aliquâ dubitatione. Sed grauissima difficultas est, de tertio genere peccati, quod contra legem admittitur, nec læsâ, nec repugnante conscientiâ; quod inde non excusatur, sicut nec quod est contra conscientiam definit esse malum, quamuis non sit contra legem. His quatuor principiis, & diuisioni inde deductæ, triplicis generis peccati; quintum addit principium, nempe opinionum inter se pugnantium, quales sunt istæ, licere aut non licere plures habere præbendas, alteram esse veram, alteram falsam.

His positis, Responsionem diuidit S. Doctor in duas hypotheses, quarum prima hæc est, si vera sit opinio Doctorum negantium, licere plures habere præbendas, qui multis potitur, & agit contra veram opinionem, peccat contra legem, nec excusatur à peccato, quamuis non faciat contra conscientiam: quia non desinit agere contra legem. In hoc posita est tota difficultas controuersiæ.

Si verò ponamus falsam esse opinionem negantium, licere plures habere præbendas, S. Doctor hanc hypothesim constituit tripartitam: vel enim qui pluribus præbendis potitur, habet conscientiam de contrario, id est, vt interpretatur P. Nicolai ad illum locum, sibi conscius est, subesse peccatum possessioni plurium præbendarum, & tum peccat contra conscientiam, non contra legem: vel secundo contrariæ sententiæ adhæret; quę id licere docet: & si ex dissentione Doctorum in aliquam inducatur dubitationem, an id licitum sit, tum sine dubio peccat, quia pe-

riculo peccati se committit, & monstrat se plus amare beneficium temporale, quam æternam salutem. Si vero ex opinionum dissentione in nullam dubitationem adducatur, quę est tertia secundę opinionis hypothesis, sic non peccat, nec contra conscientiam, quia nec certitudinem, nec opinionem, nec dubium habet de contrario, siue non licere quod agit; non peccat etiam contra legem, quia opinio à quâ recedit non est vera; ac proinde non peccat contra legem.

Hæc est vera, & genuina explicatio, atque exactissima enodatio celeberrimi illius loci, ex quo inquit Anonymus, manifestè sequitur, à peccato immunem non esse, quisquis agit contra legem Dei, etsi errore imbutus, contra conscientiam non agat. Disertè enim sanctus Doctor ait, *quod agitur contra legem, semper est malum, nec excusatur per hoc quod est secundum conscientiam*, id est, non excusatur per conscientiam erroneam, seu ignorantiam inuincibilem.

Sed contrà P. Mercorus contendit hanc interpretationem Articuli, & doctrinæ D. Thomæ falsam esse, contra mentem S. Doctoris, & ipsiusmet Anonymi; nec posse defendi, nisi aliqua restrictione adhibitâ. Nam omnes ferè Theologi, & ipse D. Thomas 1. 2. quæstione 19. art. 6. & quæst. 76. art. 2. admittunt conscientiam erroneam excusare ab iis quæ ex officio nos scire necesse non sit: vt si rusticus ex errore credat in diuinis Spiritum S. esse à solo Patre, vel si res sit occulti iuris naturalis, & opus sit longo discursu, vt ex primis syndereseos principiis deducatur, quâ ratione excusabat P. Mercorus, puerum qui mentiri sibi licere putaret, ex ignorantiâ inuincibili, ad seruandam vitam hominis, quem insequitur inimicus: neque enim tùm potest per se nosse, nec alios consulere vacat peritiores, qui id nullâ occasione licere illum doceant. Cum igitur assertio D. Thomæ vniuersim prolata, vt ambit omne jus naturale, & positiuum, falsa sit ex ipsius Anonymi mente, omninò restringenda est. Anonymus vult esse veram, cum aliquid fit contra ius naturale: Sed illa interpretatio dissentit à mente D. Thomæ, & à Thesi subiectâ de pluribus sacerdotiis habendis, quæ non minus positiui iuris est, quam naturalis: quod subinde docet S. Thom. quodlibeto 9. art. 15. posse dispensatione Pontificis relaxari.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [462] - 382
PUBLIC DOMAIN

Deinde obscurius suam mentem aperuisset S. Doctor, & errandi occasionem præbuisset, illâ assertione vniuersim constitutâ, nullâ restrictione adhibitâ, nec ex ipsâ serie textus insinuata.

P. Mercorus igitur primam assertionem D. Thomæ vniuersim veram defendit, etiamsi secundum totum ambitum iuris, tum naturalis, tum positiui, tum diuini, tum humani interpretemur, iuxta propositam thesim articuli titulo satis expressam, an dissidentibus opinionibus Doctorum de quâcumque re, seu iuris naturalis, seu positiui, peccet qui opinionem minus tutam sequitur, idest, pro libertate, & vtilitate stantem contra legem, & officium. Et cum sanctus Doctor quæstioni respondet his verbis, *quod agitur contra legem semper peccatum esse, quamuis non sit contra conscientiam*, interpretari oportet, cum ita agitur, pugnantibus Doctorum opinionibus. Atque hâc restrictione adhibitâ, assertio D. Thomæ vniuersim vera est de quocumque iure: quia eâ hypothesi dissentionis Doctorum, vix aut nullo modo qui deliberat, potest ignorantiâ inuincibili laborare, cum facile sit remedium diligentiori & acriori examine contrariæ sententiæ, cui adhærendum est, quandiu maiori, pari, aut paulo minori probabilitate, cum aduersa pro libertate pugnabit. Adde præter adiunctum periculum quo monetur ne quid temerè agat, inquisitione diligentiori curabit hanc ignorantiam, qui enim *quærit sapientiam, intelligit timorem domini, & scientiam inuenit.* Consulto igitur, & prudenter P. Mercorus hanc D. Thomæ assertionem ita interpretatur: quod agitur contra legem Dei semper est peccatum; nec excusatur ex hoc quod sit secundum conscientiam, idest, secundum dictamen probabile & opinatiuum: quamdiu enim dissident opiniones Doctorum de re, licita ne sit aut contra legem, nunquam potest quis esse certo conscius se nihil mali agere: quia ex dissidio Doctorum suboritur aliqua suspicio, & formido erroris.

Sed hanc interpretationem acriter impugnat Anonymus tribus argumentis, quæ demonstratiua putat. Quid vetat, inquit, quin dissidentibus Doctoribus possit quis operari ex conscientiâ erroneâ certâ, quando quidem Thesis prima non minus illam admittit, quam conscientia vera, quæ secundum D. Thomam, cum est consentanea

legi, poteſt eſſe certa & opinatiua; Ergo etiam ſi à lege diſſentiat, poterit eſſe, & certa & probabilis. Negat conſequentiam P. Mercorus quia, inquit, cum conſcientia eſt vera, qui deliberat & operatur, diligenti examine aſſequetur veritatem, & fiet de illâ certior: At qui laborat conſcientiâ erroneâ, ſi diligentius inquirat, non certior fiet, niſi de ſuo errore, quo comperiet ſe implicatum. Falſum eſt etiam, quod Anonymus pro comperto habet in hac quæſtione de Poligamia (vt Genebrardus loquitur) beneficiorum innumeros habere conſcientiam erroneam certam, ac nullo ſcrupulo perturbatam; quandiu enim ſub iudice lis eſt, & hinc & inde grauiſſimæ rationes vrgent, non poteſt animus, à ſe omnem ſuſpicionem erroris abigere.

Eadem reſponſione ſoluit ſecundum argumentum, repetitum ex hoc capite: ſicut D. Thomas ſecundâ hypotheſi, multum intereſſe arbitratus eſt, inter conſcientiam certam, & opinatiuam, alteram ab alterâ accuratè ſecreuit, diſerteque definiuit, peccare, qui agit contra illam opinionem, tametſi falſam, cum conſcientiâ opinatiuâ, ideſt, dubia, non peccare, qui cum conſcientiâ certâ. Cum ergo ex ſententiâ P. Mercori, idem diſcrimen ſtatuendum ſit, etiam in priori hypotheſi, peccat enim ex illo, qui contra veram opinionem agit ex conſcientiâ erroneâ opinatiuâ, non peccat, qui agit ex conſcientiâ erroneâ certâ. Debuerat ergo ſanctus Doctor ſi cum P. Mercoro ſenſiſſet eandem diſtinctionem adhibere primæ hypotheſi, nempe conſcientiam falſam, & erroneam contra ius naturale, quo omnes imbui, & inſtitui oportet, non excuſare, quandiu probabilis eſt, ſed cum certa eſt, & inuincibilis.

Sed hanc obiectionem occupauit P. Mercorus, falſiſſimum enim inquit, eſt; primâ hypotheſi D. Thomam diſtinxiſſe, aut debuiſſe diſtinguere, conſcientiam erroneam, probabilem, à certâ, quia negat dari poſſe conſcientiam erroneam, certam contra ius, non ſolum naturale, ſed etiam poſitiuum, quod ſcire noſtra referat; quandiu diſſentiunt inter ſe Doctores, quorum ad minus diſſidium ingeret dubium, atque ita impediet omnimodam ſecuritatem conſcientiæ erroneæ, ſecus eſt in ſecundâ hypotheſi, cum conſcientia vera eſt, & legi conſentanea, tum enim diligenti inquiſitione veritatis, aſſurgere poteſt in conſcientiam veram, & certam.

Atque

Atque hinc soluitur tertium argumentum, quo petit Anonymus assignari sibi a P. Mercoro, iuxta suam expositionem, qua ratione quis agere possit contra legem Dei, & non contra conscientiam. Respondet id tum accidere, cum quis agit contra ius naturale, ex conscientiâ erroneâ, opinatiuâ, & non certâ id sibi licere. Operari enim iuxta dictamen conscientiæ opinatiuæ, non est operari contra conscientiam, sed potius ex conscientiæ dictamine: is enim dicitur operari contra conscientiam, qui secus agit quam ipsa dictet, conscientia vero opinatiua suadet sibi licere quod lex prohibet. Hæc vero conscientia probabilis, distincta est omnino à dubiâ, quod illa vni parti assentiat, ista nulli: ex illo ergo dubio fit, ignorantiam contra ius naturale, stante dissidio Doctorum, nunquam excusare, aut esse omnino inuincibilem.

Eodem discrimine constituto inter opinionem dissentaneam à lege, & cum illâ conuenientem, refellitur decima quinta obiectio Anonymi, quâ P. Mercorum ait, in alienum sensum detorsisse, alium similem superiori locum, ex quodlibeto 3. art. 10. vbi docet sanctus Doctor diuersas opiniones Doctorum, absque periculo posse ad libitum sequi auditores, cum ad speculationem spectant, non ad fidem, & ad mores. Ad priorum enim delectum attinet, quod dicit Apostolus, *vnusquisque in suo sensu abundet*, in his vero quæ pertinent ad fidem, & ad bonos mores, nullus excusatur, si sequatur opinionem erroneam, alicuius magistri; in talibus enim ignorantia non excusat. Hunc Diui Thomæ articulum, P. Mercorus eâdem restrictione explicat, quâ superiorem, desumptâ ex loco citato Diui Thomæ 1.2. quam ita interpretor. Differt plurimum ignorantia rerum, quæ ad nos nihil attinent, & earum quæ nostrum est scire, quibus studendum est, & imbuendi sumus, vt officii partes impleamus, quod profitemur, quale est primum omnium, & præcipuum hominis, ad quod necesse est institui de iure naturali, sicut Christiano incumbit addiscere credenda, & agenda ad salutem necessaria, maxime necessitate medij, sicut, iudici & medico comparanda sunt, quæ illorum institutum, & finis exigunt.

Verissima ergo mens D. Thomæ est, eorum quæ conditio hominis, & Christiani communis, vel quæ singularis Curati, Iudicis, exigit nos scire; posse dari quidem

conſcientiam falſam, & probabilem, erroneam vero certam, quæ excuſet, admitti nunquam oportere, quandiu de his nota erit diſſenſio Doctorum, ex quâ ſuborietur deceptio, dubium de ſuo errore, qui curabitur ſi diligentiam non qualemcunque perfunctoriam tantum, ſed quantumlibet ſufficientem adhibeat (vt habet D. Thomas quolibeti 8. argum. ſed contra, & P. Nicolai, notis ad marginem) Si quæ vero ſint ad fidem, & mores ſpectantia, quæ tamen reſpiciant potius Theologos, aut Parrochos, quam Chriſtianos in commune, nihil vetat horum omnium plura ruſticos ignorare, inculpatâ ignorantiâ. Interpretationem hanc detortam immerito vocat Anonymus, quandoquidem illam inſinuat ſanctus Thomas, cum ait, non excuſari ab errore, eos qui aliquid falſi, contra fidem, & mores ſentiunt: hanc enim aſſertionem reſtringit apertè ad res dubias, & controuerſas, quæ ſit noſtri officii inquirere, & doceri.

Hinc etiam refellitur decima ſexta obiectio, qua dicit, ex illâ interpretatione, P. Mercorum deduxiſſe regulam periculoſiſſimam imperitis Confeſſariis; nempe, cum Author Claſſicus docet ſententiam vt tutam, nullâ factâ mentione oppoſitæ ſententiæ ſtantis pro lege, Confeſſarium poſſe illam ſequi, quia ſe habet vt diſcipulus ad illum authorem claſſicum: & ſubinde excurrit magno zeli, & eloquentiæ impetu, in corruptelam Ethicæ Chriſtianæ, licentiâ & authotitate Caſuiſtis arrogatâ, vitiatæ ac pene extinctæ. Sed P. Mercori regula ſtat ex legitimo ſenſu Diui Thomæ conſtituta, nunquam dari conſcientiam erroneam certam, ſeu ignorantiam inuincibilem, eorum quæ ad fidem, & mores pertinent, & noſtra refert ſcire, ſtante diſſentione Doctorum: quia incredibile eſt, vllum futurum vnquam Doctorem claſſicum, qui ſuas opiniones tantâ fiduciâ & temeritate doceat, vt diſſimulet plures Doctores contra ſe ſentire, pari aut maiori probabilitate, & ſi quis ita ſcriberet aut doceret, non Doctor claſſicus, nec illius ſtandum eſſet iudicio, ſed Theologiæ & morum corruptor habendus eſſet.

Hinc etiam refelluntur obiectiones, 17. 18. & fere reliquæ omnes quæ ſuperſunt; immerito Anonymus accuſat P. Mercorum, quaſi prævaricatum cauſæ quam defendit, quod Caramueli aſſerenti non peccare, qui ſequi-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [466] - 386
PUBLIC DOMAIN

tur opinionem minus probabilem, qui nullam adhibere curat attentionem dum orat; quia sententia quæ docet minus probabilem sufficere probabilior est, sicut illa quæ negat Ecclesiæ præcepto præscribi posse attentionem mentis, aut quamcunque actionem internam. Veram ergo, & vnicam responsionem censet ad argumenta Caramuelis, aliorumque recentiorum, nec probabiliorem sententiam à peccato excusare, nisi sit reipsâ diuinæ & æternæ legi conformis. Immo inquit, P. Mercorus, minus satisfeciſſet argumento Caramuelis, si excepiſſet, nullam iuris naturalis ignorantiam excusare: eos enim qui disputant, necesse est principiis conuenire & cum pugnaret aduersus recentiores Casuistas, qui fore habent pro certo fidei dogmate, ignorantiam inuincibilem, & inculpatam dari iuris naturalis, si id negasset, riderent aduersarii, & fere hæresis accusarent. Hoc ergo illis permisit P. Mercorus, non concessit, vt ex communibus veluti principiis congrederetur.

Posset etiam eadem responsione Anonymi argumentum excipi à Caramuele, quâ vult eleuari nostrum: si enim obiicias, nos minime vrgere Caramuelem, qui putat sibi licere sequi minus probabilem, quia hoc ipse probabilius putat, quamuis nobis id minus probabile sit, ita potest respondere Anonymo. Tibi tutior pars sectanda est, quia censes ignorantiam inuincibilem nunquam excusare opinionem falsam, & actum ex illâ secutum: at ego qui contra censeo, possum illæsâ conscientiâ, & tuto, sequi opinionem minus probabilem. Nec dicas, dogma esse fidei, nullam dari ignorantiam inculpatam iuris naturalis. Hoc negat Caramuel, & petit sibi probari, quod multo difficilius conficiet Anonymus, quam nos euincemus, huiusmodi ignorantiâ inuincibili inculpatâ, omnes opiniones probabiles minime imbui, & excusari; & euidentior probatio est, contra eos qui negant vllam mentis attentionem necessariam esse ad orationem. Apertè enim pugnat contra communem Patrum, & Theologorum sententiam, ex quâ vix credibile est, ita sibi fidere Caramuelem, quin aliquo dubio pulsetur, & quam præ se fert securitatem conscientiæ, nihil lacessat: & quamuis omnem summoueret scrupulum ex hoc capite, aliunde sentiet, nempe ex propriâ sententiâ, quâ statuit attentionem actua-

lem ad verba officii recitanda, esse necessariam, ac proinde si desit, peccari ad minus venialiter, ergo non caret periculo peccati, nec aliquo scrupulo qui conscientiam vellicet.

Arguit præterea Anonymus P. Mercorum, quod humanius agat cum Caramuele, & aliis, illosque laudet, quod nec charitatem, nec veritatem pati putat. *Nam vt eum*, inquit, *qui veneno infecta alimenta venderet, laudari apud imperitos, quasi proba fidei vix piaculo careret*, sic inquit, *illi qui virulentis sententiis Ecclesiam inficiunt, quasi sinceræ doctrinæ, periculosissime commendantur.* Sed ex, illâ obiurgatione non potest pœnitere P. Mercorum suæ modestiæ, & lenitatis in omnes: cum D. Thomam hâc re imitetur, dignissimus discipulus tanto magistro, qui hæreticos etiam suis scriptis, summâ humanitate habet. Addit præterea se potuisse laudare Caramuelem, citra notam censuræ, quia dum hæc scriberet, vacabat Romæ, suorum operum correctioni, & hâc lenitate, & humanitate putabat magis demulcendum, & ad saniorem, ac tutiorem sententiam aduocandum.

Ad istius profundissimi articuli interpretationem, addendæ sunt obiectiones duæ; Prima Spinulæ qui ait, S. Doctorem à se ipso dissentire, dum secunda hypothesi & assertione, ait Clericum certo sibi persuadere, licitam esse vsuram, & possessionem plurium præbendarum, & aliunde dicit, non esse expertem alicuius dubij, orti ex Doctorum dissentione. Sed non aduertit Spinula, assensum speculatiue certum ex principiis intrinsecis, posse ab extrinsecâ authoritate Doctorum lacessiri, & turbari aliquâ dubitatione, quæ nisi amoueatur, peccabit ille, qui assensum huiusmodi ex se certum, ad vsum reuocauerit. Vnde constans est D. Thomæ mens, eum peccare, qui ad opus adhibet opinionem speculatiue probabiliorem, si obstet aliquod dubium, circa electionem operis quod instat agendum.

Stubrochius dissertatione de probabilitate sect. 2. hunc articulum à Vvendrochio obiectum, conatur eleuare argumento sed contra, vbi ita habet S. Doctor, *potest esse quod aliquis adhibet diligentiam, inquirens an habere plures præbendas sit licitum, nec inuenit aliquid quod ipsum moueat, ad hoc, quod sit illicitum, ergo videtur quod sine pec-*

cato plures poßit præbendas habere. Ita Stubrochius ſtudet breuitati, vt grauiores difficultates prætermittat omnino, aut ſtrictim attingat. Cur diſſimulat hæc verba apponi argumento ſed contra, quod interdum ſoluit D. Thomas, & omnino metiendum eſt ex corpore Articuli, & iſtud probat tantum tertiam partem ſecundæ hypotheſis, ſeu aſſertionis, ſi opinio negans, licere poſſeſſionem plurium beneficiorum ſit falſa, & qui contra agit, adhibuerit diligentiam acrem non perfunctoriam, & quæ veritatem aſſequatur, nec vlla ſuperſit dubitatio ex conflictu Doctorum, tuto huiuſmodi beneficia poſſidebit. Hanc ergo tantum partem, probat argumentum D. Thomæ ſed contra: ſed quis dicat euertere duas partes eiuſdem ſecundæ aſſertionis, & totam à fundamentis priorem, quâ ſtatuit opinionem falſam, contra quodcunque ius, etiam poſitiuum, quacunque polleat probabilitate, nunquam excuſare ex ignorantiâ eorum, quæ noſtra refert ſcire, quandiu nota erit diſſentio Doctorum? Præpoſtera eſt interpretatio ſancti Doctoris, quæ tot aſſertiones articuli vno argumento ſed contra euertit, maxime cum aliis locis citatis, eandem doctrinam confirmet; nam quolibeto 3. nullus inquit, excuſatur, ſi ſequatur opinionem erroneam alicuius magiſtri. In talibus enim ignorantia non excuſat: ſcilicet ſi hæ duæ adſint conditiones, vt nos ſcire oporteat, qualia ſunt quæ ſunt iuris naturalis, vt ex rationis regulâ, qua homines viuamus: Secunda conditio eſt, ſi Doctorum, hâc de re ſint diſſidentes ſententiæ: iuxta hanc interpretationem ſolidiſſimam, vix excuſari poſſunt vlli impiorum, Atheorum, & hæreticorum, quia impiis addiſcendum eſt ius naturale, Hæreticis cognoſcenda eſt vera Religio & Eccleſia. Præterea, nullus illorum adeo rudis, & ſtupidus eſt, quin ſciat, ſi à vero iure naturali aberret, vel ab Eccleſiâ à Chriſto inſtitutâ, quin grauiſſimæ ſint de his omnibus diſceptationes; & ſi quam par eſt adhibeant inquiſitionem, omnino illis illuceſcet veritas: ſi vero hoc ſtudium negligant, imputabitur illis ad culpam, ac proinde veriſſima eſt prima aſſertio articuli 13. ex Quodlibeto 8. quod agitur contra legem, ſemper eſt malum, nec per hoc excuſatur, quod eſt ſecundum conſcientiam: & illud quod modo retulimus ex Quodlibeto 3. quod dicunt fuiſſe à quibuſdam ita adulteratum, *in moralibus, quilibet*

excusatur, sequens opinionem erroneam magistri.

Hinc etiam constat P. Ferrerium cap. 12. diminutè omnino referre mentem D. Thomæ ex Articulo decimo tertio, quasi absolute pronunciet, nihil peccare contra conscientiam, qui possidet plura beneficia, ratus ex probabili, aut si velis, ex probabiliori opinione licere, siue illa sit falsa, siue vera: hoc enim necesse est dicat S. Doctor vt faueat Probabilistarum doctrinæ. Verum iam pluries diximus, & ipse contextus clamat; disiunctiue locutum S. Doctorem, aut vera est opinio negans licere, aut falsa, si vera, nulla ignorantia aut probabilitas excusat, stantibus duabus conditionibus à D. Thom. positis, agi de re, quam pro ratione officii scire debeam, & de illâ diffidere Theologos.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Respondetur argumentis P. Ferrerij, de verâ mente D. Thomæ.

MOLESTVM esset Lectori, & mihi etiam incommodum, si disputationis cursum eo velociorem, quo fini propior est, inhiberem, & longius prosequerer, aut nouam susciperem ad examen opusculi, à P. Ferrerio erudite de hoc argumento scripti, nihilo superioribus futuram longiorem, si pro rei dignitate agerem. Sed vt Lectorem, & me ipsum tanto labore leuem, abstinebo à responsione ad singula, contentus insinuare loca dissertationum, quibus eadem cum aliis authoribus disputata sunt; ea tantum breui attingam, quæ nouam habent difficultatem, qualis est illa, quæ ad subiectam Quæstionem referuntur de verâ sententiâ D. Thomæ.

Primo opusculi capite, definitionem opinionis probabilis statuit ex mente sex Theologorum grauissimorum, quorum quatuor sunt è Societate, Suares, Sanches, Layman & Oruiedo, alij duo extranei, Malderus Episcopus Antuerpiensis, & Auersa Præpositus Generalis Clericorum Minorum: ex quorum omnium mente, nihil differre putat probabilem opinionem, à certo iudicio, & prudenti, ac proinde probabilem opinionem, nihil differre à tutâ, &

inde maximum habet ad ſuam cauſam compendium & commodum : vnâ definitione opinionis probabilis, probat paſſim, maxime cap. 5. quidquid ſit ex illâ prudens eſſe & honeſtum. Sed hanc definitionem, & quæ inde conſequuntur, late refutauimns diſſertatione primâ : coincidit enim cum definitione P. Fabri, & ſi eâ vellet definiri opinionem probabilem tutam, admitterem adæquatam eſſe: ſed cum latius pateat probabilitas quam ſecuritas opinionum ; & ad minus hoc ſit maximè controuerſum, immerito & præter omnes Dialecticæ leges, hoc apponitur in definitione opinionis probabilis generatim, quam conſtare neceſſe eſt, receptâ ab omnibus notione. Quænam vero illa ſit, alias dictum eſt fuſe, nempe probabile idem eſſe ac veriſimile, quod non ſit expers formidine falſi, in vnam tamen partem, magis inclinet mentem, euidentiæ veritatis expertem, eamque vrgeat argumentis quæ ſolui poſſint, euidenter negatiuè, non poſitiuè, id eſt, quæ reſponſionibus monſtrentur, non conuincere, nec tamen falſi conuincantur. Hoc eſt verum genus probabilis : ſed illius ſecuritas, aliunde petenda eſt, quam à probabilitate, quæ ex ſe indifferens eſt, ad bonum & malum, nec poteſt illi accedere, niſi ex duplici capite, aut cum probabilitas tranſit in euidentiam, aut cum conſentanea eſt legi, prę ſcribenti res ad ſalutem neceſſarias, neceſſitate medij aut præcepti, quorum primum facit opiniones poſitiuè, alterum negatiuè tutas. Et mirum ſane eſt, cum tanti momenti ſit diſtinctio hæc opinionum tutarum, ex duplici genere rerum ad ſalutem comparandam inſtitutarum, nullo Opuſculi loco inſinuatam, à Scriptore accurato.

Sed ad rem noſtram : contendit D. Thomam fauere huic probabilium opinionum ſecuritati & laxitati, vt paribus aut minoribus viribus pugnant pro libertate contra legem : ad hoc enim vnicum caput reuocanda eſt tota difficultas ; nec ipſe dubitat, quin in hoc poſita ſit tota controuerſia, & hunc etiam ſibi toto Opuſculo ſcopum conſtituit.

Nam capite primo, poſitâ definitione opinionis probabilis, quam vult conuenire opinionibus etiam minus probabilibus contra legem pugnantibus : capite 2. probat vſum illarum perpetuum, & neceſſarium in Theologiâ Morali. Idque confirmat exemplo S. Thomæ quem aſſerit plures

inuexisse opiniones nouas, olim minus tutas pro libertate contra legem, & securas suâ authoritate atque argumentorum pondere feciſſe : Vnde capite 3. & 4. Idem Iuris vindicat omnibus Theologis magni nominis, summæ eruditionis, & paris probitatis, quos falli & fallere alios velle, nefas sit suspicari. Iis quasi fundamentis positis, arcem disputationis inuadit à capite 5. ad 8. Vniuersim probat licitos esse actus qui fiunt ex opinione probabili, quia apud ipsum, idem est ac prudens assensus : nec quicquam periculi esse, ne peccemus, dum ductu opinionis probabilis agimus, etiamsi contra stet æque probabilis pro lege, quâ actus vt illicitus damnetur. Immo cap. 10. ad finem vsque contendit nihil periculi esse, si sequamur opinionem pro commodo, contra probabiliorem pro lege.

Hæc summa libri est: breuior potest confici argumentorum quibus has assertiones confirmat; omnia enim nituntur vnâ definitione opinionis probabilis, quam statuit esse Iudicium prudens, ergo quidquid ex illâ fit, est immune à peccato, siue paris, siue minoris sit probabilitatis, quam aduersa opinio pro lege. Videtur vt sapiens Architectus fundamentum posuisse, cui totum ædificium astruxit. Sed quidquid sit de hâc definitione, seu admittatur quasi legitima & proba, seu reiiciatur tanquam inadæquata, & contra leges Dialecticæ constituta; non admodum difficile est, vnâ & alterâ responsione, impugnare omnes Opusculi partes. Esto bona sit hæc descriptio opinionis probabilis, negamus vllam eius partem competere opinioni, quam propugnat, id est, stanti pro commodo contra officium : neque enim illi constare potest firmum iudicium; nec vllis solidis rationibus nititur : dissentanea est etiam Scripturæ & fidei, improbata à Patribus, Canonibus Pontificiis. Hâc vnâ responsione possem esse contentus, quam totis duabus controuersiis prosecuti sumus. Addo alteram, & iterum dico, hanc definitionem complecti tantum speciem opinionis tutæ, quod non à probabilitate habeat, sed à conuenientiâ cum lege, vel à collectione plurium argumentorum probabilium, vnde existat firmus, & certus assensus moralis, qualem nunquam asseret opinioni probabili pro libertate, quamdiu aduersabitur opinio pro lege, paris aut maioris probabilitatis.

Sed quod dictum est in vniuersum, vt partibus osten-

datur; accingo me examini ſecundi Capitis, quo continetur quæſtio, quæ ad hunc locum pertinet, de verâ mente D. Thomæ. Orditur ab expoſtulatione de nonnullorum moroſitate, ac contumaciâ & ſuperbiâ, qui in totum inquit, probabiles opiniones damnant (quod nulli puto vmquam in mentem veniſſe) & contemnunt, atque execrantur, tanquam inuentum, nuperum & periculoſum? cum tamen neceſſarium ſit Theologiæ Morali, & omnibus ſæculis receptum. Neque diſſimilis eſt hæc Theologiæ pars dogmaticæ: vtraque conſtat duplici aſſertionum genere, nempe indubitatis & probabilibus: & has poſtremas addit regnare in Theologiâ Morali, quam ſi velis exigere ad demonſtrationum euidentiam ſemotis probabilitatibus, non eris æquior, quam ſi à Mathematicis ſubmoueas demonſtrationes, contentus argumentis ex probabilibus.

Denique, quid opus pluribus? cum perpetuus ſit mos omnium Theologorum, nouas cudere opiniones probabiles, etiam pro vtilitate & libertate, & ſemotis atque antiquatis opinionibus tutioribus, nouis ſecuritatem conciliare. Et hoc confirmatur illuſtri teſtimonio S. Anthonini tom. 1. partis primæ, titulo tertio capite 10. paragraph. 10. vbi habet, contrarias eſſe opiniones inter Doctores ſanctitate & ſcientiâ maximos, in materiâ morali, etiam ad ſalutem neceſſariâ, monſtrari exemplis; quale eſt illud D. Thomæ de dilatione Confeſſionis. Addi poteſt aliud de vnitate actus Contritionis: nam D. Bonauentura, poſt Hugonem à Sancto Victore, cenſet hominem in peccatum mortale lapſum, peccare ſi datâ copiâ Confeſſarij differat confiteri & conteri, nihilo minus quam furem dilatione reſtitutionis rei ablatæ: nec remitti peccata niſi præuiâ ſingulorum deteſtatione diſtinctâ. Nihil tamen horum argumenta moratus S. Doctor, relictâ opinione tutiore, confirmat minus tutam, & forte minus probabilem, & eximit ab omni peccato ſeram pœnitentiam, ſeu dilationem Confeſſionis; atque vnico Contritionis actu, docet retractari & deleri omnia peccata; Ergo ipſe S. Doctor nouis opinionibus contra legem ſecuritatem comparauit. Quidni etiam idem iuris habeant alij Theologi? Quibus capite 3. vindicat authoritatem conciliandi ſuis opinionibus probabilitatem tutiſſimam, etiamſi antiqui &

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [473] - 393
PUBLIC DOMAIN

recentiores Theologi reclament : quia cum sint acutissimâ ingenij & maximæ probitatis & pietatis, compererunt antiquos timuisse timore, vbi non erat timor : ac proinde fidos, & tutos esse Magistros, ac duces suis Consultoribus, qui se audierint aut sequentur.

Sed mirum est D. Thomæ authoritate & exemplo, confirmari hanc probabilitatum securitatem, quam ipse locis à nobis citatis, funditus euertit hâc regulâ constitutâ, quidquid contra veram opinionem pro lege fit, nullâ ignorantiâ excusari, ac proinde nullâ probabilitate, quæ totam quâ valet ad excusandos contra legem actus, vim repetat ab ignorantiâ quâ imbuitur. Hæc loca ita sunt aperta & diserta, contra omnem actum veræ legi aduersantem, vt vix ab Anonymo extorquere potuerimus, ne damnasse videretur, quidquid fit contra legem ex ignorantiâ inuincibili, & conscientiâ erroneâ certâ.

Non poterat S. Doctor apertius aduersari huiusmodi Probabilistis, quam alio dogmate constituto, nullum humanorum actuum singularem, seu in indiuiduo, indifferentem esse ad bonum & ad malum, sed debere omnes, ex fine honesto ad regulam rationis exigi, & si quicquam horum desit, vera esse peccata. Vnde expressis verbis cum D. Augustino damnat, quotquot fiunt actus ex præscripto Epicuri, id est, voluptatis causâ; quia, vt inquit, eleganter Seneca, Voluptas mala est cum non est accessio, sed ducit. Supersedeo ab enumeratione singulorum dogmatum, quibus S. Doctor probauit se omnino abhorrere ab illâ probabilitatum laxitare & securitate, pro vtili & voluptate, contra honestum : decurrenda enim mihi esset tota Theologia, si vellem placita S. Doctoris colligere, quibus suam mentem alieniſſimam ab eiusmodi laxitatibus esse comprobauit.

Sed inquies, à seipso dissentit S. Doctor, aliquando dormitat, & de rigore remittit, recedit ab opinione tutâ pro lege, & inuehit nouas ad minus, de dilatione & vnitate Contritionis. Respondeo : Si quas inducunt pro libertate opiniones extranei, ijsdem munirentur præsidiis, & argumentis, quibus duæ relatæ confirmantur à D. Thoma, paterer inter tutas reponi. Sed quam immanè distant ! Neque enim sententiæ, quæ negant peccare quâcumque dilatione pœnitentiæ, aut ad singulorum pecca-

torum veniam plures Contritionis actus distinctos requiri, probabiles dici debent, sed necessariæ, & ex principiis Scripturæ, ac Theologiæ euidenter veræ: quia traditione demonstrantur, & quæ obiiciuntur argumenta, soluuntur euidenter, non solum negatiuè, sed etiam positiuè, idest, non tantum rem propositam minimè conuincere monstrantur, sed etiam falsi conuincuntur. Primo genere responsionum refelluntur, quæ fidei mysteria impugnant, obiectiones; & has tantum solutiones aduersarii adhibent nostris argumentis contra securitatem probabilitatum pro libertate. At D. Thomas, D. Bonauenturæ & Hugonis argumenta euidenti positiuâ solutione labefactat, & nedum inefficaciæ, sed apertè etiam arguit falsitatis.

Præterea suam sententiam ex traditione & scripturâ, necessariis confirmat argumentis. Quid enim euidentius aut necessarium magis hoc effato Theologico, quidquid actu efficaci super omnia amamus, aut detestamur, illo genere odii & amoris, nos attingere & prosequi, quæ continentur aut afficiuntur, eâ vnicâ ratione quæ nos ad amorem inducit & ad odium? Atqui certum & compertum est, nos detestari ex verâ charitate, & pœnitẽtia, vnico actu contritionis, vniuersim quęcumque peccata, quorum rei sumus, hoc nomine seu motiuo omnibus communi, quod offensæ sint in Deum super omnia amabilem, in quẽ proinde iniurias quotquot admittũtur, iuxta mensurã illius amoris, odio super omnia prosequimur. Quid ergo verius, quid compertius, quam vnicum actum charitatis idoneum esse detestandis, & delendis infinitis peccatis? Si enim verum sit, qui in vno peccat, & vni legis parti præuaricatur, omnium reum esse, multo verius est, qui vnum, perfecto odio ex summo Dei amore profecto, detestatur, quâ Dei offensa est, in reliqua omnia eodem impetu ferri, eaque toto corde execrari.

Huic demonstrationi Theologicæ, accedunt testimonia expressa scripturæ. Quid enim frequentius docet, quam peccata, vbi primum ingemuerimus ex verâ contritione, condonari omnia? Cur ita? quia multum diligimus, quia cor contritum & humiliatum Deus non despicit: nihil igitur opus multiplici actu, aut distinctâ contritione, de singulis peccatis, cum vnicus ad omnia pertineat. Cur igitur inter probabiles hæc D. Thomæ sententia accense-

bitur, eum tot demonſtrationibus muniatur? Nec minus certa eſt altera de dilatione confeſſionis. Is eſt mos perpetuus S. Doctoris in delectu ſententiarum, vnam inſpicere traditionem, poſtpoſitâ quacumque conuenientiâ. Quæſitum eſt à Theologis, vtrum Ethnici, & Iudæi nati ſub Imperio Principum Chriſtianorum, ad fidem nihilominus cogendi eſſent quam hæretici, in quos indubitatum ius habet Eccleſia ex regenerationis ſacramento, quo illi adiuncti ſunt vt membra, & obnoxii eius potentiæ vt filij, aut ſubditi; vel ſaltem infidelium nati inuitis parentibus eſſent baptiſmo initiandi. Plures Theologi conuenientiis & ſpecie pietatis allecti, cenſebant ita fieri poſſe, imò oportere. Quid verò ad hæc D. Thomas? Traditionem conſulit & morem Eccleſię: S. inquit, Syluester maximâ valuit nedum gratiâ, ſed etiam authoritate apud Conſtantinum Cæſarem, nec minus potuit D. Ambroſius apud Theodoſium & Valentinianum, pluresque alij Sanctiſſimi viri nihilo iſtis inferiores, neque ſtudio fidei Chriſtianæ augendæ, neque gratiâ apud Reges; quibus non ceſſabant ſuggerere, quæ ex æquitate & è re Chriſtianâ eſſent; nec tamen vlli illorum venit in mentem, vt perſuaderent Imperatoribus Iudæos & Ethnicos cogerent ad fidem, aut ſaltem eorum filios, ipſis reluctantibus raperent ad Baptiſmum: Ergo neque id nobis tentandum eſt, quia non ſumus meliores Patribus noſtris, nec ſapientiâ aut zelo fidei pares.

Ad eandem regulam morum Eccleſiæ, & Traditionem, ſuam ſententiam expendit S. Doctor. Non minus neceſſe eſt Cathecumenis in peccatum lapſis, confugere ad Baptiſmum, quam Chriſtiano peccati læthalis conſcio, ſuo vulneri adhibere in remedium Sacramentum pœnitentiæ, & poſt amiſſam baptiſmi gratiam, arripere hanc poſt naufragium tabulam: quodnam enim poteſt inter hæc duo ſacramenta diſcrimen afferri? niſi forte videatur periculoſior baptiſmi procraſtinatio, quam Confeſſionis: Atqui frequentiſſimum fuit prioribus Eccleſiæ ſæculis, baptiſmum differre ad adultam & prouectam ætatem, & interdum ad mortem vſque, idque paſſim vſurpatum fuit, etiam à Sanctis, quos tamen per tot annos, baptiſmi gratiâ deſtitutos, abſtinuiſſe ab omni peccato læthali, vix eſt credibile: nec vſquam legimus huiuſmodi dilationem baptiſmi,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [476] - 396
PUBLIC DOMAIN

saltem per aliquot dies, aut per annum fuisse damnatam peccari mortalis: immerito igitur, & præter traditionem, ac SS. Patrum mentem, accusabimus grauis culpæ, quamcunque confessionis & pœnitentiæ dilationem; & & qui ita sentiunt, totam damnant Ecclesiam.

Adde, argumenta D. Bonauenturæ solui à D. Thoma euidenter quod dicitur positiue, id est, conuinci nulla esse, & falsa assumere. Duo enim sunt præcipua; primum est à comparatione peccati, seu offensæ Dei cum furto, quod alio loco refutatum est: esto, verum sit quod hodie Probabilistæ negant, dilatione rei ablatæ furto, nouum peccatum admitti, aut primum augeri, quod res Domino, cui sublata est, vtilis & necessaria sit, ac proinde nouo damno afficiatur ex restitutionis prorogatione; immerito inde infertur, si cunctemur satisfactionem iniuriæ Deo illatæ, nouam inferri, quasi Deus nostris bonis perinde indigeat, ac homo suis: & ex eiusmodi procrastinatione nouum damnum illi accrescere. Cui similem facimus Deum? Nonne dignius, & altius de diuinâ maiestate sentiemus, si cum Propheta canamus: *Dixi Domino meo, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Ergo ex hoc capite, non est petendum nouum peccatum.

Neque etiam ex altero, quod differentibus confessionem, & contritionem impendeat periculum, ne morte incauti opprimantur, & cum noluerint, cum possent resipiscere, id nequeant, cum maxime vellent. Hoc argumentum iam solutum est exemplo dilationis baptismi: neque enim maius à procrastinatione confessionis impendet periculum, quam à remisso baptismo: Et quæcunque nectantur moræ, peccato imputentur. Sed ne aduersarii vtroque exemplo, suam causam muniant, quasi citra peccatum possint pericula adiri, nec magis sit noxia & periculosa electio opinionis pro libertate, prætermissâ opinione pro lege, quam confessionis, aut baptismi ad tempus prorogatio: apertum enim inter ista discrimen assigno, quod huic moræ sacramentorum, si quod subsit periculi genus, remotum sit, proximum vero, quod inuehit, & annexum habet electio opinionis minus probabilis pro libertate, prætermissâ tutâ pro lege. Nam si desit causa, quæ ad hanc electionem cogat maioris mali euitandi; inexcusabilis plane est apud Deum, & apud homines, qui reiecto

remedio, præsentissimo, periculo se obiicit violandi legem diuinam, ductu opinionis, quam probabilius est falsam esse, & legi aduersam. Licet summę sit prudentiæ, pericula quæque peccati & salutis longissime prospicere, & auertere; non tamen eodem, aut pari gradu, necessaria est cautela, sicut nec eodem loco instant, aut pari impetu feruntur: propior est morti senex quam iuuenis, illi dicitur esse ad portam, isti in insidiis, quia senex diu viuere non potest, iuuenis cito mori potest. Certum tamen est, mortem repentinam hominis sani, periculis remotis accenseri, quia casu aduenit, & vix millesimo, ex vnâ ciuitate intra biennium, id genus mali accidit, ac proinde culpæ saltem læthali, & mortali, non est imputanda negligentia, si quem mors inopinata rapuit. Quæ verò pericula peccati, & salutis, impendent ex electione opinionis pro libertate, non sunt longius repetenda, sed trahuntur & aduocantur ipsiusmet opinionis vsu, quam certissimum est, non esse tutam, idest, non aduersari legi pro commodo: & hoc probant quæcunque argumenta quatuor classibus prosecuti sumus, & illud maxime ex D. Fagnano exemplum à duobus poculis, quorum scis alterum esse veneno infectum: quis dicat innoxium fore vtriusque haustum, vel periculo proximo carere arbitrariam optionem vtriusque, causatus vni tantum venenum infusum, alterum esse sanum, & ignorantiam, cui duorum insit, ab vtroque periculum arcere?

Quis illum excuset, qui ista apud se reputans, poculum alterum hauriat, nullo metu mortis? Sed quis non damnet extremæ dementiæ, si opinatus, vni duorum venenum permixtum, certissimus vnum sanum esse, & in alterum omnem veneni suspicionem deriuari, istud alteri prætulerit?

Ab hoc exemplo inuictum argumentum sumo, quod nihil differt, ab eo quod sibi obijcit P. Ferrerius capite 6. & duobus sequentibus, nisi quod dilutum & dimidiatum referat, tacito aut dissimulato discrimine periculi proximi & remoti, & rei quam eligimus, per se, aut quasi accidentario adjuncti. Potest autem hâc formâ validius proponi. Quisquis sponte se obijcit periculo proximo peccati, & salutis, per se connexo actui, à quo liberum est illi cessare, in quem trahitur commodi, voluptatis, aut libertatis exer-

cendæ causâ, postpositâ opinione tutâ, non solum negatiue, sed etiam positiue, ille censetur imprudentissime, agere: neque potest excusari, quod subsit probabilitas opinioni quam sequitur par aut minor probabilitati opinionis pro lege & salute stantis. Atqui res nostræ eo sunt statu, vt proximum insit per se periculum peccati, annexum opinioni quæ fauet libertati contra legem: Ergo imprudentissime agit, qui sententiâ pro lege postpositâ, alteri adhæreat.

Si dicas, probabilitatem excusare; quia idem est cum iudicio prudenti. Sed præter quod hæc responsio, est perpetua petitio principij, multis argumentis falsi conuicta, meminisse oportet quod ex Ioanne Majore refertur paginâ 13. propter hominis ignorantiam, introductam esse opinionum pluralitatem post primi parentis peccatum: vt nostrum scire, ac ignorare comparatum, nihil sit; ac proinde discordiam opinionum probabilium proficisci à peccato originali; vt mirum sit, arboris adeo pestiferæ non solum innoxios esse fructus, sed etiam esse veluti cornu salutis; & sicut de Rinocerote dicitur, si cornu intingat fonti venenato, aquas purgare, ita ignorantiâ aut probabilitate, quod perinde est (cum præcipuum illi ab ignorantiâ sit præsidium, & à rei ineuidentiâ) quoscumque actus lege prohibitos, ab omni peccato, & iniquitate mundari, & esse præsentissimum remedium, quo omne peccati periculum arceatur: cum tamen nihil nisi voluptatis & commodi amor, ad hunc actum cogat, & duo aut tria suppetant remedia, nempe cessatione ab actu, quem probabilius est aduersum esse legi, & electio opinionis pro lege stantis. Si quis in biuio aut triuio positus, sciat duas vias tutissimas esse, & à tertiâ tantùm periculum latronum timeatur; quis excuset eum, qui securitatem sibi & aliis polliceatur, hanc postremam secutis, duabus superioribus prætermissis?

Hinc refellitur objectio insinuata pagina 50. actum quem probabilius est esse malum, & legi aduersari, probabilitate sententiæ oppositæ fieri tantum materialiter & objectiuè malum, non formaliter. Posset forte locum habere hæc distinctio, si necessitas hunc actum materialiter malum extorqueret, non vtilitas, aut voluptas ad illum alliceret. Deinde, si non desinat esse malus ex adjunctâ du-

bitatione; quî fieri poteſt, innoxium ex opinione minus probabili, non eſſe lege prohibitum, cum ab huiuſmodi opinione abſtergi non poſſit formido falſi & peccati?

Reſponderi poteſt ex eodem loco, malum eſſe, & vere peccatum imputari, quemcumque actum à dubitante profectum, ne malum ſit quod aggreditur; quia ita comparatus eſt, vt nolit abſtinere ab illâ re, etiam ſi compertum haberet malam eſſe: at longe abeſt ab huiuſmodi affectu, aut diſpoſitione animi, qui ex opinione minus probabili pro libertate operatur. Sed voluntaria prorſus eſt hæc interpretatio animi dubitantis, & inde deſumpta differentia, dubium inter & opinionem probabilem. Nam affectus dubitantis ideo malus eſt, quod nolit ſe fraudare certo commodo & emolumento, metu incertæ culpæ. Atqui ita etiam comparatus eſt, qui minus probabilem habet opinionem pro libertate contra legem: Ergo nihilo minus peccat, quam qui dubitans, an contra legem peccet, non deſinit operari.

Ex his ergo omnibus apertè concludimus, periculum amare, qui ex opinione minus probabili operatur relictâ tutâ pro lege. Vbi ſumme notandum eſt, opinionem tutiorem ſumi poſſe, comparatiuè ad tutam & licitam, minus tamen à periculis remotam; & hoc ſenſu electio opinionis, & partis tutioris, relictâ minus tutâ tamen licitâ, conſilij eſt, non præcepti: atque ita Cœlibatus Matrimonio anteponitur, quia, vterque ſtatus bonus eſt & tutus, minus tamen obnoxius eſt periculo peccati Cœlibatus, quam Matrimonium. Si vero pars tutior ſumatur, vt dicitur aduerſatiue, opponitur rei malæ, & hoc ſenſu præceptum eſt, non conſilium, partem tutiorem eligere. Ad hoc poſtremum genus, reuocamus electionem opinionis pro lege ſtantis, prætermiſsâ opinione æque aut minus probabili, pro libertate pugnante, quam demonſtratum eſt, non carere periculo proximo peccati; Et cum ex D. Antonino dicitur, conſilij eſſe non præcepti, tutiorem partem eligere, interpretandus eſt omnino comparatiue, non aduerſatiuè locutus: quia eo loci præſcribebat regulas ſcrupuloſis, ac penè ſuperſtitioſis, qui ſe anxia religione, & ſtulto timore torquent. Plura addemus ſequenti Paragrapho & Articulo.

PARAGRAPHVS

Paragraphvs Vltimvs.

Concluditur nec D. Thomam, nec vllum Theologorum, posse minus probabilem pro libertate opinionem tutam facere.

Cvm ab actu ad potentiam consecutio sit legitima, concludere licet, Theologorũ neminem, nequidem ipsummet Theologorum Principem, posse opinionem pro vtilitate, probabilem facere tutam contra legem, quamdiu intra probabilitatis fines continentur, nec euadit in necessariam. Id enim nunquam factum à D. Thoma, nec tentatum, nisi in his quæ posset argumentis necessario confirmare: Ergo nulli hoc vnquam Authorum concessum, quod commune jus volunt quidam esse cuiuslibet Doctoris Classici. Antecedens probatur: Nullo exemplo probari potest hoc vnquam à D. Thoma factum; nam ex omnibus S. Doctoris scriptis, Author in Theologicis versatissimus, nulla referre potuit, præter duo, de dilatâ Confessione, & de vnitate detestationis omnium peccatorum: has vero demonstrauimus minimè fecisse secutas intra probabilitatis fines, sed inde extraxisse vi argumentorum, & in ordinem superiorem euexisse. Nec solum id tentauit, sed expresse docuit hoc nulli Theologorum esse concessum, vt dissidentibus inter se Theologis Doctoribus, possit quisquam certum & tutum facere, contra jus, seu naturale, seu positiuum; quod nostri officij sit doceri & scire: & quamdiu dissentient inter se Doctores, non excusabitur à peccato, qui secus quã sententia vera docet, quidquam aget contra legẽ.

Confirmatur: non potest excusari à peccato, qui sententiam falsam secutus, contra legem agit, nisi habeat conscientiam erroneam certam, & ignorantiam inuincibilem: Atqui D. Thomas negat dari huiusmodi ignorantiam cuiuscumque juris etiam positiui, quo nos instrui & imbui oporteat, & de quo notæ nobis sint dissentiones Theologorum. Itaque siue exempla, siue scripta D. Thomæ consulamus, nec sibi, nec vlli Doctorum, illud jus vindicare, nec posse vsurpari ab vllo citra culpam, ex D. Thomæ tum documentis, tum exemplis colligimus.

Nec mirum: neque enim vlli Theologorum concessum est, quod in jure interpretando, negatum est Papiniano Iurisconsultorum doctissimo; cuius tamen opiniones singulares, ab Imperatore vocantur dubitationes. Quis ergo

pro indubitatis habebit, quidquid Theologus magni nominis sentiet, etiam si alij Theologi recentiores, & antiqui reclament: & si suas singulares opiniones se consulentibus aperiant, tacitâ dissentione aliorum, malâ fide agunt: si fateantur se ab aliis Theologis dissentire, non minus imprudenter agent qui illorum sententiæ adhærebunt; quam is qui remedium receperit à medico quamlibet erudito propinatum, etiam si monuerit Hippocrati, Galeno, omnibusque Græcis, & Arabibus Medicis fuisse improbatum.

Atque hinc responderi potest argumento P. Ferrerij cui absurdissimũ & temerarium videtur, negare, quod Theologi ferè omnes, à centũ circiter annis docent, tutam esse quamlibet opinionem probabilem. Nam alterum horum accidat necesse est, aut posse me sequi hanc opinionem probabilem, & ex eius ductu agere citra vllam culpam, aut peccare & errare qui hoc tutum & licitum esse docent. Istud verò postremum omnino à sensu communi alienum est, & summè injurium illustrioribus Ecclesiæ Doctoribus qui ita docent. Tandem his rationibus, quas pro demonstrationibus habet addit; contrariam sententiam vniuersim ab omnibus reiici, & adeo debilibus fundamentis nixam, vt videatur non aliâ de causâ prodiisse, quam vt splendorem addat doctrinæ quam sustinet: sicut inquit, rerum pessimæ, id ad minus boni habent, vt optima quæque naturæ opera commendent. Hortatur Paulus alios aliorum onera portare. Ego patiar illius consilio, quæ hactenùs scripsi his dissertationibus, reponi inter mõstra cõmendandis aliorum virtutibus nata; dum condonetur mihi & liceat sententiæ quam propugnaui adhærere. Quid mirum, si non audeam sapere vltra Angelicum præceptorem, qui à nullâ re sibi magis timuit, quam à quæstionibus moralibus dirimendis, quas longe difficiliores, & subinde periculosiores iis existimauit, quæ ad Theoriam & speculationem pertinent?

Sed dices: probabile non distingui à prudenti judicio, ac proinde quidquid ex opinione probabli agitur, innoxium esse & honestum. Vtinam conuinci possem hoc argumento; sed iam monui non tam esse argumentum quam Thesim & vbique principium peti: nec persuadeor duobus Scripturæ locis quibus confirmatur, Ecclesiastici 7. *Noli esse iustus multum, neque plus sapias quam necesse sit, ne obstupescas.* Et illud: *Qui obseruat ventum non,*

seminat, & qui considerat nubes, nunquam metet. Quid ista ad Thesim faciant non video, ne vllus hactenus Interpretum aut Scriptorum insinuauit ante Malderum. Nam præter quod ex Metaphoris Scripturæ non solent probari apodicticè dogmata fidei & morum: locus ille damnat anxiam nonnullorum sollicitudinem, qui metu, aut amore, rerum ad salutem inutilium, & interdum noxiarum torquentur. At quis credat Sapientem his verbis improbasse eorum cautelam, qui sibi timent à rebus, quas antiqui omnes suspectas habuerunt, & à quibus abhorruere plurimi sapientum, cuius generis sunt opiniones probabilius falsæ & aduersæ legi, quam consentaneæ. Nec verius in illos cadit altera reprehensio, nimiæ & morosæ iustitiæ. Id enim velim scire, an istam objurgationem Sapientis commereatur ille, qui ex consilio suæ salutis sollicitus, Matrimonium per se bonum, & honestum ac tutum, postponit Cœlibatui, quod minoribus periculis pateat. At quis neget, opinionem probabilius falsam, & aduersam legi, minus tutam esse Matrimonio? Longius ergo ab affectatione nimiæ iustitiæ aberit, qui probabilior & magis tutam pro lege opinionem, minus probabili & tutæ pro commodo, quàm qui vitam religiosam conjugio antepositerit.

Hanc disputationem claudam Argumento, cui perinde aduersariis & nobis, sit respondendum, hoc tamen discrimine, quod illis multi ineluctabile putent, nobis vero nullum faceſſat negotium, imo occasionem suppeditet luculentissimam, bene merendi de his, qui nostra dogmata etiam monstris accensent, cum suâ infamiâ in alienam gloriam natis. Si vnus aut alter Theologorum magni nominis probabilem faciat opinionem, cui tutò & prudenter adhæreamus, sequitur Thomistas omnes, qui reiectâ scientiâ mediâ, prædestinationem, & scientiam diuinam sulciunt gratiâ efficaci, aut omnipotentissimâ voluntate, & prædefinitione diuina, pro Caluinistis & hæreticis habendos: quia non tantùm vnus, aut alter magni nominis Theologus, sed recentiorum plurimi ita sentiunt & scribunt, quibus citra iniuriam negari non potest authoritas sanciendi opiniones probabiles & tutas: si id iuris concedi cuiquam singularium, aut societati Doctorum potest. Sequitur etiam ex eâdem lege probabilitatum, eos qui ex vnâ scientiæ mediæ regulâ, semotâ quacunque gratia efficaci, aut diuinæ omnipotentiæ efficaciâ, prouidentiam,

prædestinationem æternam constituunt, non abesse ab errore Pelagianorum aut Semipelagianorum, quia sic censent omnes fere D. Thomæ, & D. Augustini discipuli: Atqui ista præter grauem noxam famæ virorum integerrimæ fidei, summæ eruditionis ac sanctitatis, innumera pariunt mala, quorum fidem facit hoc vnum quod attigimus, aliis prætermissis: de quibus fusè sectione quartâ.

Quid ad istud argumentum responderint, aut responsuri sint aduersarij ex suis principiis, nescio; id vnum scio ex nostris facillime solui. Vel enim argumentum illud extraneis ab vtraque Scholâ, vel suis authoribus euidens est quoad illationem, & rem illatam; vel incertum quoad vtramque partem; vel euidenter probabile quoad illationem, probabile tantum quoad rem illatam: prima acceptione ad rem non pertinet, quia si euidens sit quoad vtrumque, exit fines probabilitatis, & euehitur ad ordinem superiorem scientiarum. Secundo etiam sensu, nihil ad controuersiam facit, quia est suspensus omnino animus, quoad assensum illationis, & rei illatæ.

Vrget ergo tantum argumentum, si tertiâ acceptione interpretemur, atque hoc sensu dicimus, vtriusque partis illationis assensum de probabilitate, certum esse & necessarium, de re vero illatâ, seu de errore Caluinistarum Thomistis, vel Pelagianorum Patribus Societatis obiecto, nullum esse posse, & si posset, nullum adhiberi debere, nec licere. Nam si vtrinque paris aut parum inæqualis sint probabilitatis, suspensam distinent mentem, sicut duo pondera æqualia stateram: & quamuis ad hoc vt se in vnam partem flectat, non desit facultas naturalis, illicitum esse assensum asserimus. Vel enim omnes vis fide dignos esse, vel intestabiles aliquot, vel omnes suspectos habes, si hoc secundum, & tertium eligas, à Controuersiâ recedis, quæ tota est de opinionibus vtrinque pari aut parum inæquali probabilitate pugnantibus.

Deinde quâ conscientiâ fidem habebis iis, quos eâ indignos censes? Maxime si assensus vergat in noxam, & iniuriam illorum, quos putas insontes; si hos omnes fide dignos habeas, dum se immunes ab errore, & aduersarios errori obnoxios pronunciant, cum pari fere probabilitate pugnent, quis non videat sibi futuros impedimento, ne mens in vllam partem inclinet, sed hæreat anceps & suspensa? Atque illo Pyronismi genere, nullus sapiente

dignior, & conuenientior est status, quia in hac ancipiti disceptatione, prudentia monet cohibeas assensum, ne decipiare, aut charitatem lædas. Potes enim salua conscientia omnes absoluere, nullum, ea illæsa damnare, eadem lege, qua Iudex, reum etiam graui suspicione laborantem, non conuictum, eximere à culpa, & pœna potest, non multare.

Hinc agnoscat prudens Lector, quantum interfit aduersariorum inter & nostram sententiam. Illa omnibus noxia est, etiam suis authoribus, qui videntur sibi fodisse foueam, & laqueos parasse, in quos se inducant: altera omnibus fauet, etiam aduersariis. Ne igitur inter monstra, suo malo in alienum bonum nata reponatur, sed eo forte sensu, quod res optimæ & insolitæ, monstri nomine insigniuntur: neque enim quidquam præstantius, & minus hodie vsitatum fructu, quem ex nostra sententia decerpimus, vt Charitati simillima, atque illi germana, quia verissima, nulli noceat, omnibus benefaciat, ne iis quidem exceptis, qui in se monstri infamiam & inuidiam deriuant.

ARTICVLVS VLTIMVS.

Expenditur Theologorum testimonium & antiqui recentioribus conferuntur.

QVAMVIS videamur hactenus vnius D. Thomæ mentem inquisiuisse, superiori tamen Sectione cum SS. Patrum sententiam expendebamus, hic locus penè exhaustus, & fere nihil prætermissum est, ad demonstrandam discordiam omnium quotquot fuere Theologorum, ante primum quod sciam Medinam. Quod ex loco argumentoso, paucis & euidenter eo demnostratum. Probabilitatum securitas tota nititur ineuidentia rei, & inde consecuta ignorantia inuincibili, à qua habet probabilitas vim excusandi, aut purgandi à peccato actum, materialiter & obiectiue malum, seu legi repugnantem aut lege prohibitum, ita vt eiusdem sit ambitus & latitudinis, securitas cum probabilitate, & vtraque cum ineuidentia, & ignorantia falsitatis rei, speciem veri habentis, & fultæ rationibus non leuibus & futilibus; sed quæ negotium facessant, quales suppetunt infinitæ, etiam contra mysteria fidei, multo difficilioris solutionis, quam quæ vrgent aduersarij, pro libertate contra iura legis: atque ita probabilitas secura, metienda est iuxta ignorantiam inuincibilē.

Hanc vero antiqui Theologi nullam admittunt, vel certe minimam iuris naturalis, nec D. Thomas cuiuscunque iuris, quo nos instructos, & imbutos esse oporteat, maxime si dissidium sit Theologorum, nec lateat inquirentem illud ius. Contra vero probabilistæ in infinitum laxant huiusmodi ignorantiam cuiuscunque iuris, vt probabilitati securæ viam latissimam aperiant: Ergo antiqui Theologi à recentibus omnino discordes sunt, nequidem excepto S. Anthonino, quem Sanchez inter eos reponit; qui in dubiis tutiorem partem eligendam docent; & qui secùs ageret, contra propriæ conscientiæ dictamen peccaturum: Ergo nullum habent ex antiquis, qui sibi faueat, vt merito è nostris in Medinam, vt in primum authorem referatur huius inuenti aut gloria aut inuidia.

Ad catalogum recentiorum, qui longo ordine cap. 10. referuntur pro sententiâ, quæ probabiles opiniones tutas omnes facit, multa respondet Vvendrochius, quæ nobis omnia non probantur: quædam enim licet vera videntur asperius dicta. P. Mercorus Part. 2. Art. 26. multa habet perinde fortia, sed modestius scripta. Respondet itaque, qui stant contra doctores ex antiquis & recentibus, superare à se dissentientes multis nominibus, maximè numero, authoritate, & concordia. Numero quidem: quia quotquot nostrum Medinam antecesserunt, si Armillam excipias nobiscum conueniunt. Vincunt etiam authoritate quia licet recentiores antiquis sint fortè anteponendi, in iure positiuo interpretando, quod ab arbitrio hominum pendeat, & in dies mutetur; si tamen disceptatio sit de iure naturali omnino immutabili & æterno, ad quod controuersia nostra pertinet; quis neget antiquos Patres & Theologos magis audiendos esse quasi Magistros Modernis multo securiores? Denique si concordiâ res modicæ crescunt, discordiâ magnæ dilabuntur; hinc etiam potior est nostra causa: quia vna vox, vnus est omnium nostrum consensus: aduersariorum vero non sunt conuenientia testimonia; vix duo inter se consentiunt. Disputationis primæ Sect. 2. ad finem, enumerauimus ex P. Mercoro vsque ad quindecim dissidentes sententias: & nullus quod sciam è Societate præter Tamburinum, defendit securitatem probabilitatum, eâ laxitate quâ explicatur illo opusculo, nullâ restrictione adhibitâ rerum necessitate medij & præcepti, qualem apponit Suares.

Atque id euincitur hoc argumento, præter plura quæ superius latè prosecuti sumus. Non est dubium quin tutior pro lege esset semper eligenda pars, si vera esset sententia Vvendrochij, Anonymi, & Comitoli, nullam iuris naturalis ignorantiam excusare à peccato quidquid sit contra legem: consequutio hæc euidens est, nec minus aperta quam illi adiungo. Esto ignorantia inuincibilis, si qua detur excuset, cum prætermittitur res ad salutem ex præcepto necessaria, demus nouum peccatum impedire, & auertere; nullus tamen dixit, huiusmodi ignorantiam habere vim, & efficaciam mediorum ad salutem, quæ ex illa reiicimus. Quare nisi velimus gratis de salute periclitari, anteponenda sunt semper, quæ certo, aut probabilius sunt præscripta media salutis, iis quæ commodi, vtilitatis, & voluptatis causâ geruntur, & omnino certus es, non esse media quæ conducant ad salutem, sed probabiliter tantum opinaris, non esse illi obnoxia, nec prohibita necmala.

Illustri exemplo rem paulo altiorem & obscuriorem, oculis omnium subiicio. Henricus IV. ad æternam Galliæ, & totius orbis Christiani felicitatem, hæresim, quâ fuerat à puero imbutus, eiurasse fertur argumento nostro simili conuictus. Consuluerat omnium Ordinum viros doctissimos, Caluinistas, Catholicos: & obseruauerat omnes fere in hoc conuenisse, Religionem Catholicam certum esse, & efficax ad salutem consequendam medium, hoc verè differre, quod Catholici non solum certum, sed vnicum esse præsidium contenderent, ac medium, quo salus nobis æterna constare possit; Caluinistæ securam esse, & efficacem ad salutem non dubitabant, sed vnicam negabant esse, rati ad minus probabiliter, quam profitebantur Religionem ad id esse idoneam.

Quid tum acerrimi Iudicij Princeps? Redeundum sibi statuit ad auitam Religionem; quia certa esset ad salutem via, licet probabili aliquorum iudicio, fortè non esset sola, quâ salutem consequeremur. Quare constituit ex regulâ Augustini certam Religionem omnium consensu, esto probabiliter non solam amplectendam esse, relictâ incertâ: quia si abducaris à primâ idoneâ ad salutem, & fortè etiam necessariâ (si ita loqui liceat in gratiam Hæreticorum & Aduersariorum) nulla, ne dicam probabilitas, sed neque ignorantia inuincibilis, hunc errorem excusabit, aut efficaciam, & vim medij omnino certi, & probabilius vnici,

ad ſalutem ſupplebit. Cum eadem, quæ glorioſiſſimum principem ad eiurandam hęreſim impulerunt, argumenta nos cogant ad opinionem pro lege omnino certa ad ſalutem, cum probabilitate, an ſola ſit tuta, quamuis ſola certo ſit efficax, reuerà non auſim excuſare, qui conſilium Regis prudentiſſimum, & exemplum ſequi abnuerit.

Hinc refellitur quod vltimo capite reſpõdet idem Auctor, ad exempla de Medico, Iudice, miniſtro Sacramentorum, nempe, his omnibus ſequendã eſſe partem, ad finem quem ſibi proponunt certo efficacem, & tutam ex præcepto Eccleſiæ vel Principum, non ex officio Medici, &c. Id eſt peccaturos quidem ſi ſecus agant, & relicto certo remedio, & tuto, probabile tantum aſſumant, non quia res mala ſit, & eâ de causâ prohibita, ſed mala tantum ſit ex prohibitione.

Contra hanc ſolutionem ſic inſto: Miniſter ſacramentorum (eadem eſt de Medico & de Iudice ratio) ita debet conſulere ſaluti verbi gratiâ pueri, vt ſi ſciat remedium certum vnum, alia plura probabilia, non poſſit relicto certo, vllum probabilium vſurpare: Et ſi ſecus agat, peccat grauiſſimè, etiamſi quodcumque præceptum abſit. Immo ipſa Eccleſia peccaret, ſi hoc illi liberum relinqueret: quia ignorantia quæcumque, etiam inuincibilis, aut probabilitas, non ſupplet effectum medij certi, neque dat illius efficaciam probabili, niſi id habeat ex inſtitutione diuinâ. Ergo peccat contra officium miniſtri, non contra præceptum Eccleſiæ: etſi Eccleſia eius arbitrio relinqueret, vel crederet aliud remedium certum, quod falſum ſupponimus (quandoquidem iſta duo remedia, aut ſacramenta ita diſtinguimus, vt vnum ſit certum aliud probabile) vel ſibi perſuaderet Eccleſia, ſe poſſe probabili remedio dare efficaciam certi, etiam ſi non habeat ab inſtitutione diuinâ, quod eſt planè erroneum, Ergo ſi miniſter relinquat certũ ſacramentum, & aſſumat probabile, aget contra officium: nec illa electio erit mala, quia prohibita; ſed prohibetur ab Eccleſia, quia mala, & contra inſtitutionẽ Chriſti, quæ nullo modo patitur, relicto ſacramento certo, probabile vſurpari.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Refellitur reſponſio vltima Caramuelis ad quartum argumentum.

NON eſt paſſus Caramuel vltimam ſui Apologematis partem diſſentire à reliquis: & ſicut toto opere pa-

rum ſincere egit, & ſophiſmatis luſit, non argumentis pugnauit, paſſim extra controuerſiam excurrit, conceſſa accurate probat, negata vix attingit, inſolita profert, quæ magnam excitant expectationem, ſed ipsâ interpretatione euileſcunt: hæc omnia in re litterariâ, non morum vitia (abſit enim vt mores carpam hominis integerrimi, & humaniſſimi, cuius vitam iurarem longe doctrinâ ſaniorem, quod contra aliis accidit, qui ſecus & peius viuunt, quam alios doceant) noluit abeſſe à fine operis, ſed in maius auxit, vt fieri ſolet: quod enim Æſopus de linguâ acutiſſime dixit, ex homine optimam & peſſimam rerum eſſe, verius in finem cuiuſque rei conuenit.

Hâc reſponſione ad quartum argumentum, ideſt totius Apologematis parte vltima, probandam ſuſcepit rem difficillimam, falſo incuſari iuniores, præ antiquis conſcientias laxaſſe: at ille magna aſſeueratione pronunciat, recentiores conſcientias cõſtrinxiſſe, & Ethicam ſeueriorem reddidiſſe; & ſubinde aliquam inter illos init comparationem ita diminutam & mancam, vt hoc vnum tantum euincat, in recentiorum nonnullos verbum Chriſti cadere, *colantes culicem, Camelum glutientes*. Dicam quod mihi à viginti aut vltra annis contigit. Cuiuſdam famoſiſſimi Caſuiſtæ, cuius nomini parco, celebritas & multiplex editio lucubrationum, diu reluctantem impulit, vt aliquid ex illo legerem, ne mihi ſolo nomine, aut vulgi rumore notus eſſet. Primum incidi in Tractatus duos, vnde ni fallor erat initium ingentis voluminis, de immunitatibus vnum, alterum de legibus, qui ſe conſequebantur, vt ex collatione vtriuſque, ſtatuere poſſem de Authore, quid mihi ſentiendum. Occurrerunt multa legenti ſane miranda, ſed vnum capere non poteram, authorem his duobus Tractatibus, adeo ſui diſſimilem momento euaſiſſe. Tota de legibus diſputatione, ita benignioribus vt loquuntur, opinionibus indulgebat, vt legum omnium crederem excidium iuraſſe. Nam tot, & tanta exigebat in commune, ad vim ligandi legibus aſſerendam, vt vix vnquam hæc omnia conuenire poſſent; quorum tamen ſi minimum deeſſet, actum de lege pronunciabat, & antiquatis atque abrogatis accenſebat. Sed de immunitatibus ita moroſum, ita rigidum, & auſterum agebat interpretem, vt vix meis oculis crederẽ, adeo diuerſa potuiſſe excidere vni ſcriptori, vel adeo varias perſonas potuiſſe aſſumere, & ſubinde mutare. Quam fidem merentur, qui ita à ſe

ipsis dissentiunt? Vel quam sis habiturus, dum minimam imminutionem immunitatum damnant peccati mortalis, & securitatem pollicentur, iis qui leges tantum non conculcant? Sanctum erat illi immunitatis nomen: legum vix vllam validam agnoscebat, nisi acceptam à subditis, nisi longo vsu confirmatam, nisi luce meridiana clariorem, denique quid non requirebat, ne vnquam lex obtineret? Quis neget verissimum esse de huiusmodi scriptoribus, quod ex Euangelio retulimus? Si huiusmodi Casuistas rigidiores velit antiquis Caramuel, partim concedam, nempe, cum de immunitatibus, & priuilegiis tractant, & quæ ad proprium commodum spectent. At si de diuinæ legis iuribus, de interpretatione Decalogi scribant, à se ipsis dissentiunt, fucum faciunt, personam mutant, vt quidam putent locum esse inclamandi cum Propheta, *tempus faciendi Domine, dissipauerunt legem tuam.*

Si consilium Caramuel iniuerat, serio & argumentis, non verbis refellendi expostulationes D. Fagnani, aduersus ipsum & recentiores aliquot, decurrenda illi erat tota lex naturalis & diuina, nullo capite aut apice prætermisso, accurate expendendæ erant antiquorum & modernorum Theologorum de singulis præceptis opiniones, & inter se conferendæ, quid de mandatorum maximo, de diligendo Deo, quid de cultu diuino & fuga idololatriæ, quid de iuramento, de simonia, quid de charitate in proximum, de elemosyna, de iure vindictæ, de mendacio, de calumniis, de furto, de restitutione, de inculpata vitæ & famæ defensione sentirent: vt ex collatione legitimè institutâ constaret, iure an iniuriâ accusasset D. Fagnanus recentiores aliquot legem corrupisse, licentiis & vitiis laxasse habenas. Quid vero Caramuel? Prætermissa omnino lege naturali & diuina, minuta quædam prosequitur constituta positiuo iure, quod ad arbitrium in dies abrogatur, & nunquam in eodem statu permanet: vt timendum sit, ne in illam comparationem cadat aliud Christi verbum, in eos qui *decimant mentham, & rutam & quodlibet olus,* prætermissis iudicio & charitate Dei, *cũ hæc oporteret facere, & illa non omittere.*

Præter hoc vitium, aliud isti comparationi subest nihilo priore minus. Vt probe institueretur, educendi erant longo ordine antiqui per singulas ætates, & conferendi cum iis, qui à centum, aut ab octoginta annis scripserunt de moribus, vt palam fieret, reus ne esset alicuius culpæ & pœ-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [490] - 410
PUBLIC DOMAIN

næ, qui cum D. Fagnano exclamaret, ô tempora! ô mores! Sed quid ille? Laudato obiter tantum & semel D. Thomâ, non de moribus, sed de more Diuos referendi in Album Sanctorum, nullum præter Gersonem citat, qui non scripserit nostro aut superiori sæculo. Quid enim ad ista Gordonius, qui nuper desiit viuere? Quid Cano superstes vltimi sæculi anno sexagesimo? Quid Ferus iunior Cano, censuram Romanam passus, cum suo Apologista, Michaele Medina? Quid Martinus Cromerus illis suppar? Quid Corduba? De Cajetano aliis paulo antiquiore, dicam veriſſime, quod de Origene circumfertur: vbi bene & D. Thomæ adhæsit, nemo vnquam melius ac sanctius: vbi permisit sè suo sensui; interdum lapsus est. Sed mirum est Caramuelem tacere, quidquid nedum pie, sed etiam rigide, & tuto scripsit Cajetanus, & vnum arripere quod illi liberius excidit de legibus humanis. Non incommodum hîc esset D. Margaritæ responsum ad iudicem hominis in crucem acti cultum sibi improperantem. *Vnde scis*, inquit, *hanc notam Christo inustam? ex tuorum libris*, inquit, iudex, *at qua cæcitas* inquit, Virgo, *cum idem libri Christi diuinitatem & mortem prædicent, fidem abrogare diuinitatem testantibus, & habere crucis ignominiam referentibus.* Ita de Caietano: cur vbique seuerè de moribus sancientem reiicis, & semel, aut iterum laxiorem colis?

Præter hæc duo non bonæ fidei argumenta, addo tertium, immerito accusari D. Fagnanum, quasi omnes passim recentiores traducat, tanquam Ethicæ Christianæ corruptores. Absit à viro prudentissimo adeo siniſtrum iudicium, scit plures è modernis, quibus ne minima quidem labes insit, aut laxitas nimia possit vsquam obiici, quales etiam è Societate aliqui, & omnes fere vtriusque Iurisconsulti. Adde male suffragiorum hâc de re numerum iniri; quæstio enim ad omnes ne dum Theologiæ, aut iurium-consultos pertinet; sed ad eos etiam qui Christiano nomine censentur, & per se possunt sapere ac proprio iudicio regi. Sed hi omnes testati sunt se alieniſſimos esse ab huiusmodi laxitate probabilitatum. Inter quos eminet è Societate Paulus Comitolus, qui suo & aliorum nomine Præfatione ad Lectorem ait, *In deligenda opinione, eam qua tum ponderè argumentorum, tum testium authoritate, antiquitate, & multitudine euinceret, secuti sumus: hanc enim dumtaxat tutam, ab omnique metu culpæ exploratam esse pu-*

tauimus in D. Thomæ vestigiis semper institimus &c. Quid tot Episcopos referam, qui huiusmodi probabilitatem suis censuris confixerunt? Nec dubium est, si hâc de re Concilium Oecumenicum haberetur, non minus sanciendis morum regulis certioribus, quam olim Fidei dogmatibus aduersus Hæreticos confirmandi, quin suffragiis Pastorum damnaretur, aut ad minus intra certas metas, adeo vaga probabilitas cohiberetur.

Sed prætermissis, quibus hæc collatio scatet, aliis vitiis, quartum & vltimum attingam. Vellem certo scire, an probabilitatem à Caramuele explicatam, ac defensam probent hi omnes recentiores, quos tacito vbique nomine, contendit antiquorum seueritatem superare, & laxitatem correxisse; Atque vt singulos paucis decurram, qui non solum plura beneficia illicite cum Corduba docent, sed etiam contra ipsum inualide recipi, nec posse tuto seruari: qui contra Angelum & Gersonem, non solum consuetudinem negligendi officium diuinum, sed vno etiam die prętermissum sine causâ, damnant peccati mortalis: qui idem pensum horarium imponunt Subdiaconis & Monialibus: qui oua prohibent Quadragesimæ tempore, quo antiqui carnis vsum indulgebant: qui indictam jejunij legem, consuetudine nondum firmatam, olim sine culpâ, hodie negant lædi posse: qui Leandrum carpunt ad collationem indulgentem octo vncias (quam suo sæculo D. Antoninus damnabat peccati mortalis) atque vt paucis omnia complectar, qui contra Bernardum (male à Caramuele explicatum) censent leges humanas, non solum pœnam, sed etiam culpam inferre, pro re subjectâ leuem, aut grauem (quod acrius expendit Caramuel, quam exigat nostra disputatio.)

Iterum quæro, an qui his de rebus paulo rigidius quam antiqui opinantur, adhæreant Caramueli, quamlibet opinionem probabilem de Fide & moribus, sufficere ad salutẽ, & tutam esse asserenti, & hanc securitatem conciliari ab vno Authore, cæteris reclamantibus? Si hanc primam omnium opinionem laxissimam, quæ sit omnium laxitatum origo ejurent, illorum consilium laudamus, & nisi à se ipsis dissentiant, non dubitamus, quin multo grauius ferant laxiores Theologorum modernorum opiniones, de præcepto Charitatis fere abrogato, & alia sexcenta his similia acrius insectentur, quam octo vncias cibi ad collationem die jejunij permissas, quam excusatum per horam diebus festis

ſetuile, quam vnius oui ſorbilis hauſtum condonatum per Quadrageſimam. Si vero probabilitatum regulam, aut potius licentiam, inter diuina huius ſæculi inuenta, & ſumma Eccleſiæ hodiernæ beneficia conceſſa, & antiquæ negata enumerent; niſi velint à ſe ipſis diſſentire, & ab omnibus traduci, tanquam deliri penè & ridiculi, ad minus debent in ſpeciem excuſare, & ſubinde tutas agnoſcere ſententias antiquorum laxiores, quas videbantur damnaſſe & correxiſſe; quia non deeſt illis quod ad probabilitatem requirunt, nempe ratio aliqua grauis, & Doctorum authoritas.

Quare videtur ad finem huius diſputationis Caramuel remiges imitari, qui terga obuertunt, vultu auerſo, ad ea, quæ velis & remis loca petunt. Quidni dicam eâdem arte nauticâ præcepta Eccleſiaſtica de jejunio, de ſacro audiendo, de abſtinendo ab ouis &c. expendi à Caramuele & in ſpeciem defendi, vt euertat; quia ſatis indicat, quas improbat opiniones, non carere probabilitate à ratione & ab authoritate: quare ad aurem dicit, Ego antiquis aſſentior, quia non deſtituuntur ſua probabilitate, quæ ad ſecuritatem ſufficiat. Id habet ad minus incommodi, vt quod de mendacio dicitur, ſuſpectos habeamus Probabiliſtas, etiam dum vera dicunt; & putemus ludere, dum ſerio agunt. Mitridatem ferunt ita aſſueuiſſe venenis, aſſumptis ſubinde quæ parauerat remediis, vt cum captiuitatem & Romanorum potentiam fugâ non poſſet, vellet ſaltem morte euadere, venenũ fruſtra tentaſſe, quia longâ aſſuetudine innoxium fecerat, & ad optatam mortem inutile. Idem Caramueli aliiſque Probabiliſtis contingit, vbi ſe iſtis laxitatibus permiſerunt, ab huiuſmodi laqueis, etiamſi velint, nequeant ſe expedire, nec fidem inueniant, dum forte illas ex animo damnant.

PARAGRAPHVS VLTIMVS.

Totius Operis concluſio.

DIFFICILLIMAM & intricatiſſimam controuerſiam tandem abſoluimus, ſolutis & exhauſtis omnibus, quæ fœcundiſſimi ingenij Author prope infinita congeſſit, texendæ ſuæ Genealogiæ probabilitatum, cuius ſeriem ab orbe condito, ad noſtra vſque tempora deduxit, improbo prorſus labore, & exitu non admodum felici. Quid enim aliud expectare poſſis de opere adeo præpoſtero, quo rem à quatuor diebus natam probari oportuit mundo fuiſſe co-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [493] - 413
PUBLIC DOMAIN

æuam, eiusdem cum cœlo originis & perennitatis? Quot & quanta necesse fuit comminisci ad comparandam antiquissimæ nobilitatis opinionem, inuento nouo, cuius primum Authorem superior ætas tulit? Seneca Nomenclatoribus sui sæculi parum felicis & tenacis memoriæ, illius loco audaciam dabat, quâ ad arbitrium, nulla sinceritate & fide, obliti vera nomina, sufficere nihil dubitabant, quæ primum in buccam venissent. Si qui noui homines, & à se ipsis nati, aliquo fortunæ ludibrio, ad opulentiam & primas regni sedes, aucupatâ malis artibus principis gratiâ prouehantur; non desunt Scriptores, qui à Pharamundo, aut multo altius, ab antiquis Heroibus illorum originem & nobilitatem repetant: quid si dixero vix meliori consilio susceptam, aut maiori fide, vel validioribus argumentis confirmatam hanc probabilitatum genealogiam?

Et hæc præter argumenti dignitatem, & amplitudinem maximam, causa fuit prolixioris huius dissertationis, quâ respondendum fuit Authori, qui infinita congessit; omnia decurrit, omnia delibauit, pauca ac propemodum nulla serio & accurate tractauit. Si hanc methodum imitatus, plurimis delibatis, nihil definiuissem; quid ex nostra concertatione reportares erudite Lector emolumenti?

Atque hinc primum excusanda prolixitas, & danda venia, quia vix licuit breuius, exacte respondere tot & tantis quæ obiiciuntur, & veram securæ probabilitatis, & legitimæ pro salute Genealogiam per omnes Mundi ætates deductã, omnium generum argumentis, omnium Scriptorum testimonijs confirmatam prosequi, & ad calcem perducere, qualem exhibet nostra disputatio.

Posset forte videri superfluum vni rei, ac difficultati enucleandæ tamdiu fuisse immoratum: quia si reliquis quæ ex Theologiâ exuberant quæstionibus, tantum otij & tẽporis in scribendo, & legendo impendatur, nullus foret librorum finis, aut fructus. Ita est: si minutioribus, vt plerique faciunt, ac singularibus, quæ vix quidquam cum aliis cõmune habent, & maioris subtilitatis sunt quam vtilitatis rebus implicaremur, vno litigandi, nullo sanctius viuendi studio: at quam mihi dabis ex totius Philosophiæ ac Theologiæ penu depromptam disputationem, nostræ parem difficultate & amplitudine; quæ licet vnius quæstionis nomen habeat, reliquarũ sit origo & summa; ex quâ veluti è regulâ, omnes deriuandæ sint, & ad illam reuocandæ? Nulla est, ad quam nõ

pertineat probabilitatum delectus. Hinc nobis indaganda fuerunt occultissima & prima syndereseos, legum, conscientiæ & prudentiæ principia: hinc explicanda, & constituenda omnia vitæ Christianæ & humanæ officia, quæ vnâ nitũtur, tutioris pro lege, & pro fine consequendo opinionis electione: hinc totius Scripturæ, Traditionis, & Patrum, ac Theologorum, non tam verba nuda, quæ cauillis patent, quam loca argumentosa, operosius fuerunt discutienda, vt omne effugium aduersariis præcluderetur.

Præter methodum in his omnibus argumentis per suas classes ordinandis singularem, præter rerũ copiam & vbertatem; ex his dissertationibus, alium colligere licet fructum non pœnitendum; nempe plurium tractationum peritiam, de ignorantia quæ doctissimos quosque exercet, de resolutione Fidei, de controuersiis cum Hæreticis, de Caluinistarum priuato spiritu, & alia id genus non pauca; ne quis expostulet se tamdiu vnâ quæstione singulari se implicatum, neque forte hactenus expeditum.

De primo iam satis dictum est, vnicam esse quæstionem genere, sed multiplicem partibus, quam si capias & definias pauciſſimę te fugient. Et quamuis vnicã esse daremus, neque tantæ amplitudinis; sicut pro lege per totam vitam decertare glorioſissimum reputo, ita nullum pœnitere oportet tẽdoris impensi, lucubrationum Lectioni, quibus defenditur. Vnum supereſt insinuatum, cui respondeam, meo & P. Mercori nomine, cui objectum à multis, non stetisse promissis, nec asserta respondere titulo operis, sed in eodem luto cum aduersariis hærere, parum aut nihil differre ab illorum licentiâ, denique distare verbis, sensu cõuenire. Multos sparsi ab æmulis huiusmodi rumores, ad optimi libri lectione deterruerunt: sed bona verba. Eius mentẽ & D. Fagnani sententiã pro virili explicui & propugnaui: & ne quis de meâ dubitet, aut implexã causetur duobus pronuntiatis clarissime explano & complector, quibus confirmandis insudauimus.

Primum, pro lege standum certissimè, cum præscribit necessaria ad salutem; & ad quemcunque finem ex instituto, aut officio consequendum, efficaciâ medij adhibenda; quia nulla probabilitas, quanta quanta sit, nulla ignorantia inuincibilis, resarcire potest damnum quod tibi ipsi infers, dũ à lege recedis præscribente media ad finem ex officio prosequendũ necessaria. Hoc infinitis argumẽtis demõstratũ est.

Aliud pronuntiatũ addo, non eâdẽ asseueratione, nec paris

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [495] - 415
PUBLIC DOMAIN

certitudinis gradu,aliis sequendum,mihi tamen certissimũ, pro lege standum,etiam cum præscribit media ex præcepto necessaria ad salutem;quæ si prętermittantur,absit vt in me recipiam apud Deum excusatũ iri,eos qui sequẽtur opinionẽ pro libertate cuiuscunque probabilitatis,quamdiu superierit verè probabilis pro lege opinio:Nam quamlibet aduersariorũ argumẽtis eleuetur,timeo ne apud Deũ ita inualescat,vt Dei iudicio causâ cadant qui in illâ,litẽ mouerunt.

Sed dices,nos res morales reuocare ad regulas exactiores, cum tamen pinguiMineruâ sint tractandæ:& hoc ex D.Antonino referebat P.Ferrerius;& ne intactũ prætermittã,disputationem claudam illius argumẽti solutione. Fateor certissima iura legis nõ esse metienda subtilitatibus Metaphysicis,aut demonstrationibus Mathematicis. Sed mirum est in alienũ omnino à vero sensum hanc regulam detorqueri. Quod enim à sapientibus sancitum est,ad vim & authoritatem legum tutandam, in illarum perniciem conuersum est. Certissimum enim est, omnes rescindi & abrogari; si vis ligandi illis constare nequeat, nisi comperta sit, & euidentior luce meridianâ,& si subsit minima dubitatio,standũ pro libertate,quia jus possidet immunitatis à lege. Cur negas minus esse legis quã libertatis jus, vt si minima probabilitas illi faueat,lex causâ cadat? Nulli vero deerit vnquam huiusmodi probabilitas,nisi stolidis,quibus satis non suppetet ingenij,vt graue de legis sensu dubium moueant. Sed si per se sapere, aut potius dubitare nequeant, in subsidiũ excutiẽdo legis jugo, *Magistros prurientes auribus* aduocabũt.

Hoc vnum à Caramuele velim mihi,aut potius legi,&Deo concedi, cuius causam hactenus pro virili tutatus sum; ne quæstionũ quæ ad salutẽ spectant, tractandarũ pingui Mineruâ,& ex regulis moraliter certis,& probabilibus rationẽ libertati vindicet, quasi Deo & legi semper aduersam. Demus has disputationes morales, nec ad rerum Mathematicarum euidentiam exigendas, nec ad Metaphysicæ subtilitates euehendas esse:sed iniquum plane fuerit, ac periculosum, probabilitatem Physicam, ac moralem vbique admouere, quasi machinam legibus diuinis labefactandis, & libertatis juribus muniendis comparatam.

FINIS.

MONITVM
AD LECTOREM.

AD finem huius secundæ disputationis, & exordium noui vertentis anni (quem tibi felicem precor Christiane Lector) Ianum me imitari oportet, & è superioribus duorum, totidem ex iis quæ superiunt agenda breui te mouere Quamuis præteriti temporis rata magis & firma quam futuri sit ratio; certius tamen hinc videor posse in antecessum dare tertiam disputationem aduersus Amadæum, titulo libri promissam, sed exhibere non licuit, quod prælum longe sit tardius calamo: nec dilatione longiori eorum quæ jam edita sunt, & possunt iustum volumen conficere, passi sumus te diutius fatigari. Censebat Socrates semotis rebus supra nos positis, vni Ethicæ homini studendum. Lætor nostrum opus non omnino abesse ab huius sapientissimi philosophi præscripto, & nunc disputationes morales, præ dogmaticis magis feruere, & præcipuam, sin solam esse omnium curam. Atque hinc placuit nostras in longiorem, & operosiorem, quam meditamur Theologiam inchoare proluſiones. Et cum de re morali vniuersim duabus primis Disputationibus, quàm potui accuratè, disseruerim, constituta de opinionum ex lege delectus regula; supereſt vt tertia disputatione. quam primum danda, nostram regulam in singulas rerum moralium quæstiones

inducamus. Quod si à nobis exactè præstitum fuerit, vt pro virili conabimur, habebis (erudite Lector) non tam disputationem, quam summam Thomisticam, & Angelicam, omnium quos vocant conscientiæ casuum: hanc verò partem, sequetur altera Dogmatica, de libertate humana, & scientia diuina, aduersus eundum Theophilum, & alios melioris notæ, & maioris authoritatis recentiores.

Has prolusiones, si gratas & vtiles tibi fuisse sensero, adiungam quam à multis annis molior, totius Theologiæ, Scholasticæ, controuersæ, & ethicæ Analisim, ipsomet D. Thoma sui interprete, & defensore deductam, ex hoc vno monosyllabo Dei nomine EI, perpetuo conclusionum nexu contextam.

His de posterioribus, breui in antecessum dictis, vnum aut alterum ex superioribus attingam, ex argumento Caramuelis, à dispensationibus Pontificiis octo exemplis munito, excidit aliud cogitanti, aut disputationis æstu abrepto, vnum satis difficile, & intricatum, nunc accuratius tractandum, & omnino enodandum, de ritu initiandi Sacerdotes, aliosque altaris ministros, apud Græcos, & Latinos diuersè, apud illos sola manuum impositione peragendo, apud nos adiunctam habente traditionem materiæ, qua peragitur ministerium.

Hinc contendebat Caramuel, ex probabiliori, & tutiori sententia, positum ritum in traditione & contactu materiæ, prætermitti a Græcis sola manuum impositione contentis, qua ex minus probabili opinione, Romana Ecclesia Græcæ Presbyteros, & ministros validè habet initiatos. Ergo, inquit, Caramuel ex sensu totius Ecclesiæ, opinio minus probabilis tuta est, etiam in Sacramentis administrandis, ad quæ tamen si vsquam aut vllibi, probabiliora &

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [498] - 418
PUBLIC DOMAIN

tutiora sectanda sunt, maximè ex nostra sententia: quia ritus institutio pertinet ad necessariam efficaciam medij, quę nulla ignorantia, etiam inuincibili, aut probabilitate suppleri potest.

Illud argumentum de ritu Grecorum versat, vt audio, accuratissime Grauina noster, & pluribus infringit solutionibus, non vacauit hunc authorem legere, quia nec ad manum habeo. Caramueli duo repono: primum in ipsum retorqueo hoc argumentum, & quęro si ritus Grecorum in ministris consecrandis secus habeat, quam fert Christi institutio, an validè putet sola impositione manuum, esse ordinatos? Si id neget, ad quid nos illo argumento vexat, quod in illius caput recidit, & illi omnino succumbit, aut debet nos eo secum leuare? Si asserat ritum Grecorum, à vera Christi institutione dissentientem, validum esse, & efficacem vi suę probabilitatis, ad Ecclesię Græcæ ministros consecrandos, ipse viderit in quę se abrupta precipitem det, si concedat ministros rite initiari, non ex Christi institutione, quę hic omnino alia est, sed ex mera probabilitate, seu vt ipse dicit, veritate formali, cui nulla obiectiua respondeat, seu nulla Christi institutio, quæ ferat sola manuum impositione, rite initiari Ecclesiæ ministros.

Sed ne videar cum Caramuele in eodem luto hæsitare, & iisdem opprimi difficultatibus; altera me ab illis expediam responsione, in hoc posita, non vnam esse omnium Sacramentorum institutionem, nec parem materiæ, aut formæ designationem, quibusdam à Christo quoad genus tantum, aliis quoad speciem, etiam præscriptam fuisse. Sacramentum Ordinis de quo agimus, ad primam classem pertinere Sacramentorum, quibus vage, & quasi gene-

re tenus, constituta sit in materiam manuum impositio, cum liberiore materiæ ministerij contactu, aut traditione: quia primi ritus Scriptura, Concilia, & Patres meminerunt, & nascente Ecclesia cum Euangelium nondum scriptum tradi posset, sine libri contactu plures ad Diaconatum euecti sunt.

Ergo inquies, traditio & contactus materiæ accidentaria est consecrationi ministrorum, contra Concilij Florentini definitionem, quæ maxime vrget materiæ traditionem. At si illa sententia obtineat, nullos Ecclesia Græca legitimos Episcopos, Sacerdotes habet, aut habuit vnquam: quia omnes sola impositione manuum ordinauit, quæ essentialis, vel adæquata non sit ratio consecrationis, vel si vt hæc absurda fugias, velis accidentariam esse consecrationi traditionem materiæ, aperte Concilium Florentinum damnas.

Sed facile ab his nodis nos exsoluimus obseruatione superiori, nempe impositionem manuum institutam à Christo, quasi communem, & genericam huius Sacramenti rationem, & eo loco esse, quo ad matrimonium reponitur significatio sensibilis internæ voluntatis, quocunque signo, seu verbis, seu nutu facienda; quæ pro ratione contrahentium variari potest, non accidentario, sed quasi materialiter diuersa, hoc sensu, cum ad matrimonium validum, ad absolutionem Sacramentalem legitimam, necesse sit exprimi consensum mutuum coniugum, & voluntatem Sacerdotis peccata remittentis; si coniuges sese mutuo tradant, nutibus, aut verbis, hoc perinde est, quodcunque signum adhibeatur, essentiale futurum Sacramento. Eadem ratione, si velis absolutionem Sacramentalem perfici hoc vno verbo *absolno te*, aut si velis adiungere ad integrum

sensum, *à peccatis*, vel *à tuis peccatis*, eadem est essentia, & ratio formalis absolutionis, materialiter vt dici solet, immutata.

Idem assero de ordinatione ministrorum, impositionem manuum omnino ad Sacramenti essentiam requiri, ex Scriptura, & Concilijs, accedere traditionem materiæ, ad ministerium Ordinis collati idoneæ: sicut significationi consensus ad matrimonium verborum, aut nutuum delectum; sicut absolutioni Sacramentali verbum *absoluo te*, pleno sensu, aut *à peccatis*, vel *tuis peccatis*, si verbum *absoluo*, fuerit suspenso sensu prolatum. Ita impositionem manuum, ad ministrorum consecrationem, validam efficit ex Christi prescripto, quæcumque, vni eidemque apud omnes ritui impositionis manuum, designatio addetur traditionis materiæ; & aliquam inducet varietatem consecrationis ministrorum, non minus illæsa institutione Christi, quam cum ad matrimonium, nutus, aut verba adhibentur consensui coniugum significando, vel absolutio Sacerdotis pluribus aut paucioribus verbis, ad peccatorum remissionem efferendam perficitur.

Et cum ita res se habeat, nulla probabilitatum opitulatione, quam intempestiue aduocat Caramuel, sua constabit Græcis Sacerdotibus, & ministris consecratio valida, suaque vis definitioni Florentinæ Synodi. Nam Ecclesia Græca initiandis suis ministris, impositionem manuum adhibet, adiuncta etiam alicuius materiæ traditione: Ecclesia verò Romana, vt plenior, cumulatior, ac certior sit consecratio, impositioni manuum certam addit materiam: vnde concludo, vtramque Ecclesiam eundem formaliter, & diuersum materialiter, ritum vsurpare, nec magis differre illarum ordinationes,

quam matrimonium nutibus, aut verbis initum, quã remiſſionem peccatorum, hoc vno verbo *abſoluo te*, vel *abſoluo te à peccatis*, vel *abſoluo te à tuis peccatis* collatam: quare licet accidentarium ſit diſcrimen, id tamen quod adhibetur, ad Sacramenti eſſentiam pertinet, quaſi generis ſpecifica quædam deſignatio.

Atque ita nos facile exſoluimus à tricis, quibus nos Caramuel, veluti quibuſdam nodis aheneis, implicitos putabat. Quid enim ſupereſt difficultatis de ordinatione Sacerdotum, quam non reſcindant accommodata, & luculenta aliorum Sacramentorum exempla?

Sed multo grauior ex alio capite nobis impendet, quam diſſimulare non ſinit hic locus, quam uis fortè non ita ſit expedita ſolutio. Pluribus Chriſtianæ pacis, & charitatis ſtudioſis, vereor ne offendiculo ſit, quod ad limen primæ Diſputationis occurrit, de ſcriptis à Theophilo in nos, & in ſocietatem libris, & de Suare, cum aliis eiuſdem inſtituti Theologis collato, iudicium, aut durius in ipſum Theophilum diſputationi inſperſum aliquod verbum. Fateor homini ad ingenuitatem, & ad quandam ruſticam ſimplicitatem, ſtudio & natura comparato, qui res quaſque ſuo nomine, qui ficum, ficum appellare ſolet (qualem me eſſe agnoſco, idque vbique præ me fero) incommodum eſſe, & periculoſum, congredi cum aduerſario lutulento, & rixoſo; & vix fieri poſſe, quin illa lucta aliquid vitiorum ei affricet, quibus alter ſordeſcit.

Theophilum vero Raynaudum noſtro ſæculo multa ſibi fere in omnes, & maxime in Dominicanos permiſiſſe, præter honeſtum & verum, & facta, atque infecta, ac portentoſa in illos conieciſſe, cer-

tius est, & verius quam vellem, & quam vt pluribus sit comprobandum. Vix licuit homini importuno respondere, quin plura ab inuito extorserit; ne indefensam omnino veritatem, & innocentiam nostram abiicere viderer. Hinc multatum falsitatum, & calumniarum conuicto, non erat visum adeo atrox conuitium, quod ipse sibi nomen asciuit, potius quam dederim, falsitatum cusoris, aliquando designare. Quas vero toties exagitauit, quasi blasphemias in D. Thomam à nostris collatas, supra omne, vt ipse loquitur, doctum laudes; defendendi ratio nihil nobis videbatur habere mali, & supra inculpatam tutelam, deprompta ab encomiis, quibus ipse, aliique eiusdem instituti, Suaresium ornant, Augustino, ac Thomæ parem faciunt, aut forte superiorem, vt æquo animo ferrent, à nobis minus eleganter, & impense laudari sanctum Doctorem; eoque loco non reponi, quo Suarem euexerant, vt vtrisque nostrum moderandum insinuarem, ab immodicis laudationibus nostrorum hominum, eoque spectabant, quæ ex aliis de Suare retulimus, à nobis improbata.


Nec fraude quis dicat ingesta, quasi nihil ad rem faciant, sed nobilissimi Theologi famæ deterendæ, tantum opportuna sint: nam ipsiusmet loci series, hanc sinistram à me suspicionem longe amolitur. Quærebam optimum illud temperamentum, inter extrema nimiæ laudationis, aut iniquæ vituperationis; qua vero illud ratione inuestigare, aut statuere potui certiùs, quam illa apud omnes receptissima, cum virtutis medium quæritur, collatione aut recessu vitij vtrinque extremi, quo appeti solet. Censebam sine dubio grauissimè peccasse illum Suaresij censorem, nec omninò probabam ab aliis

congeſta ſupra modum elogia, quæ Lectori ſubieci, vt mihi aſſentiretur, mediumque probaret, inter extremas licet diſparis noxæ laudationes, multoque iniquiores vituperationes, vt illarum faſtidio, vel odio, acceptius eſſet medium, quod conſtitutum ibam. Hæc vera eſt cauſa, quæ me impulit ad referenda in vtramque partem teſtimonia: Cæterum ſi fraudi futura ſint, quæ ex aliis referimus tantum etiam improbanda, neſcio quis tandem Scriptorum ab hac noxa, aut culpa futurus ſit immunis, cum omnes id frequentent.


Sed difficilior forte erit excuſatio, quæ hoc noſtrum de Suare iudicium anteceſſere de Theophili libris in nos certo ſcriptis, & de aliis, quæ credebatur in ſuum inſtitutum edidiſſe: iſtud etiam non gratis ingeſtum eſt, ſed ad ſuſceptum argumentum maxime pertinebat, nam reſponſuro mihi in nos editæ diſſertationi, referebat plurimum noſſe, morem illius authoris, qui in omnes fere apertè, aut clam mutato nomine, aſſumpſiſſet virgam cenſoriam, nec ſuis etiam peperciſſet, vt ferebat communis opinio. At ſi ea falſa ſit, non deerit mihi excuſatio erroris communis, cui etiam ſua non deerant argumenta: ſed deceptum me velim, errati culpam deprecor, & omnibus argumentis, quibus opinionem meam, aut communem ſaltem in Gallia propugnare poſſem, velim præponderare eadem opuſcula, vltimæ editioni Lugdunenſi inſerta, ab iis quibus magis comperta erat mens Theophili, & qui non fuiſſent paſſi, inter opera illius genuina extare, ſi aliquid haberent, quod cadere non poſſet in omnes, nulla ſuæ matris ſugillatione, aut occulta reprehenſione, quam omnino alienam ab eius mente, & à meis ſcriptis credi volo.

FINIS.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [504] - 244
PUBLIC DOMAIN




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [505] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [506] - -


PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [507] - -


PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [508] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [509] - -

PUBLIC DOMAIN

GWLB Hannover 35
036 856 819

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [510] - -

PUBLIC DOMAIN


(420)

I 419 d
1.
8°

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [511] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 120:1, [512] - -

PUBLIC DOMAIN